






PETRI ROYZII MAUREI

ALCAGNICENSIS

CARMINA.

PARS I

CARMINA MAIORA CONTINENS.

EX LIBRIS ET TYPIS EXCUSIS ET MANU SCRIPTIS EDIDIT,
PRAEFATIONE DE VITA OPERIBUSQUE ROYZII COMMENTARIISQUE
INSTRUXIT

DR. BRONISLAVUS KRUCZKIEWICZ.



CRACOVIAE.
TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE
provisore Josepho Filipowski.
1900.

ALMAE STUDIORUM POLONIAE MATRI

UNIVERSITATI LITTERARUM JAGELLONICAE

A. MDCCCC

QUINGENTESIMUM DIEM NATALEM CELEBRANTI

PETRI ROYZII MAUREI

XVI SAECULO PER NOVEM ANNOS IN EADEM IUS PROFESSI

CARMINA A SE EDITA ATQUE ILLUSTRATA

PIO ANIMO DEDICAT

EIUSDEM UNIVERSITATIS QUONDAM ALUMNUS.

PRAEFATIO.

Petri Royzii carmina, per varios libros et manu scriptos et typis editos dispersa, in hac editione ita disposui, ut maiora primo volumine comprehenderem, minora, ad quinquaginta versus continentia, alteri adsignarem. A qua instituta ratione hac illac, ne cognata argumentoque coniuncta distraherentur, discedere sum coactus. Unde factum est, ut et dantiscana, utroque genere mixta, extremam primi voluminis partem sint sortita, et minora quaedam, iam a Royzio una cum maioribus typis evulgata, eodem volumine passim occurrant. Praeterea maioribus adnumeravi fragmenta, quae iustum versuum numerum, etsi non explent, procul dubio expletura erant, si integra perfectave essent.

Quo modo et maiora et minora in species particulasque distribuerim, ex capitum indicibus utrique volumini additis elucet, ut supervacaneum videatur hoc loco de ea re disputare; unum moneo me rerum temporumque, quantum licuit, ratione non neglecta imprimis perspicuitati consuluisse, id quod diligentius cuncta reputantibus persuasum fore spero.

Infra praemitto primo volumini conspectum ordinis carminum Royzii, qui est in libris manu scriptis preloque antea impressis, cum huius editionis ordine compositi, ex quo, quantopere discesserim a ratione libris tradita, satis apparebit. Qui conspectus etiam eos haud leviter iuvabit, qui mea po-

De Royzii vita operibusque.

I. De Royzii ante adventum in Poloniam fatis.

Petrus Royzius Maureus sive hispano nomine Ruiz de Moros natus est nobili genere primis fere saeculi XVI annis Alcagnitii, in Hispaniae aragoniensis municipio, ad Guadalopen fluvium, qui influit in Iberum, sito; unde cognomina Hispani, Celtiberi, Alcagnicensis nomini suo adscribere solitus, interdum etiam ipso poetae gadalophaei nomine usus est. Patrem habuit Martinum, patricium alcagnicensem. Elementa litterarum in urbe patria didicit ibique usus est magistris primo Sobraria, deinde post eiusdem mortem Olito ad romani ingenii monumenta cognoscenda. Deinde Ilerdae (Léridae) in studio generali, quod a. 1300 conditum in ea urbe tum floruit, iuri imprimis romano operam navavit. Quo tamen anno Ilerdam se contulerit, quamdiu ibi in studiis versatus, quibus magistris adiutus sit, cum ipse memoriae non mandaverit, universitate ilerdensi sublata tabularioque eius igni deleto in obscuro iacet. Id quidem indiciis posterioris eius vitae ducti pro certo fere affirmare audemus eum circa a. 1530 et sacris initiatum diaconum esse factum, et satis iam peritum fuisse antiquarum litterarum, utique iuris civilis atque canonici.

Sed utut tum temporis animum excultum habuit, eruditione in patria parta acquiescere noluit Royzius. Italia cum antiquitus, tum vero post renata antiquitatis studia Hispanis, sicut ceteris Europae gentibus, artium scientiarumque sedes censebatur, Hispanosque in Italiam discendi gratia peregrinaturos multa in dies magis adiuvare videbantur. Iam a. 1364 Albornotius (Carillo de Albornoz), cardinalis archiepiscopus toledanus, vir rerum publicarum artiumque peritissimus, cum in Italia commoraretur, Bononiae, in illa artium celeberrima arce, hospitium magnificum, aedes amplas hortosque complectens, hispanae iuventuti studiosae sub patrocinio sti. Clementis pecunia sua instituendum curaverat adeoque largiter

mis antiquarum litterarum cultoribus saepe impugnatam et irrisam, ad historica fundamenta laetioremque stili elegantiam revocaverat, neque solum singulas iuris quaestiones idoneis antiquorum scriptorum locis intexendis quasi flosculis in praelectionibus suis exornabat, sed etiam ipse poeticen colebat praestansque poeta illius aevi audiebat. Pronum autem habileque ad poesin erat Royzii ingenium libenterque per omne vitae spatium a severa iuris interpretatione ad carmina pangenda decurrebat, unde factum est, ut singulari pietate admirationeque in Alciatum ferretur eumque sibi imitandum proponeret, qui iuris scientiam cum musarum antiquarum cultu consociavisset. Ac cum expertum esse Royzium iam in Hispania vires suas in carminibus scribendis nulla exstent testimonia, in Italia mox hortante ipso Alciato innotuisse musas eius audimus poemate quodam (a. 1538) epigrammatisque, quae imprimis in Matthaeum Curtium, celebrem tunc medicum Bononiensem, scripsisset partimque typis expressa in publicum edidisset.

Inter amicos Royzii excellebat hoc tempore Antonius Augustinus Saragossius (1517 – 1586), qui postea archiepiscopus tarraconensis fuit. Is et ipse tum carmina scripsit, et deinde libris doctis, praesertim ad epigraphicen pertinentibus inclaruit. Royzium aut iam in Hispania, aut, id quod veri similius est, tum primum cognitum adeo adamaverat tantique faciebat, ut in dialogis suis in publicum editis ipsum difficillimas iuris quaestiones dissolventem induxerit. Mansitque duorum virorum excellentium amicitia etiam tum, cum Royzius in Poloniam secessit, Augustinus vero aliquanto post in Hispaniam revertit, crebro epistularum librorumque ultro citroque missorum commercio sustentata. Ceterum Royzius ea erat ingenii indole eaque doctrinae copia liberalitateque praeditus. ut in Italia omnium animos facile sibi conciliaret, imprimis vero iuvenes scientiae avidos ad se traheret ita, ut, quocumque incederet, disputatorum omnigenum globo circumdaretur. Quo in numero etiam Polonos, fortasse Martinum Cromerum Stanislaumque Orichovium fuisse, cum demonstrari nequeat, tamen est veri simile. Nam Bononiae hoc tempore

latum gnesnensem gerente, in ea urbe habitabat. Imperabat hoc tempore Polonis ex stirpe Iagellonis Sigismundus I, rex sapiens et mitis, nisi quod tum iam senio confectus uxori suae Bonae, itala Sforzarum gente ortae, contra salutem rei publicae nimis indulgebat. Huius quidem reginae gratia et ipse Petrus Gamratus, luxuriosae vitae infamia victa ad summa provectus auctoritate pollebat, et summi honores non pro meritis, sed per clandestinas mulierum familiariumque artes, per ambitum largitionemque distribuebantur. Quin etiam summi in re publica viri, Ioannes Tarnovius, supremus exercituum regni dux idemque castellanus cracoviensis, et Petrus Cmita, palatinus cracoviensis, studiis reginae imperiosae concedere cogebantur, unicusque regis filius haeresque imperii Sigismundus Augustus, inde ab a. 1530 rex vivo patre constitutus, sub auspiciis matris educatus mollius, quam imperaturum tantis rebus decebat, ingenium est sortitus. Regnum, consociatis sub uno rege Lituanis, cruciferis devictis eorumque ditionis parte expugnata, reliqua ducatus Prussiae nomine in clientelam nuper recepta, Masovia etiam in provinciam redacta, erat amplissimum, devictis vero paulo ante acerrimis hostibus, Moschis Valachisque, pace inter furentia apud finitimos bella fruens, satis opulentum, civibus litteris antiquis artibusque italis eruditis abundans, celebrabatur a rerum scriptoribus et poterat videri beatum, nisi sub hac pacis fortunaeque specie semina malorum iamiam germinantia delituissent. Nam ipsae adiunctae terrae, Lituania, Prussia, Masovia, quas communibus eisdemque ac Poloniam legibus subicere ad summam rerum corroborandam reges studebant, in contrarium nitebantur, vetera singulariaque instituta sua tenacissime tuendo; neque vero sua moveri sinebant Poloni, ne quid de partis commodis privilegiisque deperderent anxii, eaque erat complicatae regni machinae ratio, ut nec commode moveri ab sene rege tralaticiis artibus atque institutis, nec facile mutari atque in aptiorem formam redigi posset. Ea, qua nititur rei publicae salus, quaeque apud finitimos occidentem versus sitos populos iam invalescebat, ordinum temperatio, apud Polonos iam inde

animi novarum rerum cupidi, ut plerique pro facultatibus iam non solum italas, sicut antea, sed praecipue germanas scholas, plerasque fidei catholicae inimicas, frequentare non dubitarent. Quibus difficultatibus Sigismundus I rex succurrens, cum et edicto vetuisset (a. 1534), ne iuvenes poloni studiorum causa peregrinarentur, et anno post (1535) constituisset, ut professores in universitate cracoviensi viginti annos emeriti nobilium ordini ascriberentur, parum profecit; quin etiam ipse edictum de peregrinis scholis adeundis brevi post Royzii in Poloniam adventum a. 1543 antiquavit.

Ceterum in fidei integritatem institutorumque ecclesiae auctoritatem non solum iuvenes tum in Polonia studiose inquirebant, immo omnia conspirabant, quae rem hanc cunctis, doctis etiam summisque in re publica viris, consideratione dignam redderent. Pravis enim institutis corruptisque sacerdotum moribus medendum esse iam dudum plerique consentiebant, dogmatum auctoritas et Hussi et aliarum sectarum doctrinis nuper paululum erat imminuta; iam vero postquam Luther aperte ab ecclesia romana defecit, neque solum sectatores et imitatores, verum etiam defensores contra ipsius caesaris arma invenit, etiam ei, qui plerique neque Luthero favebant neque ab unitate romana desciscere in animos inducebant, venisse tandem rebantur tempus, quo vitiosa cum rei publicae commodo emendari possent. Alebantur haec studia et ipsa antiquitatis institutorum divulgata notitia et praecipue crebris cum Germania, defectionis sede, commerciis. Nam non solum Poloni iuvenes scholas Germaniae frequentabant, sed etiam gravitate auctoritateque conspicui viri amicitiam cum doctis Germanis, reformationis fautoribus, ut Erasmo Rotterdamensi, aut defensoribus, ut Melanchthone, initam crebris refovebant litteris, in ipsaque Polonia coloni ex Germania, passim urbes tenentes, cum antiqua patria iam mercaturae rationibus coniuncti, proni erant ad exempla Germanorum imitanda. Atque ipso fere eo tempore, quo Royzium Cracoviam venisse diximus, agitabantur iam in ea urbe per circulos clam consilia novandae fidei, imprimis vero in domo Ioannis Tricesii, docti viri discipu-

180 ch. 106 sq.), etiam ius canonicum. Ius romanum tanti faciebat, ut eo pro gentili utendum vel certe gentilis iuris defectus ipso sarciendos esse Polonis persuadere non intermitteret. Neque tamen praelectiones suas anxie professionis finibus eum circumscripsisse, sed et Polonorum Germanorumque singularia instituta et litteras antiquas respexisse, immo vero orationes suas ad modum Alciati praeceptoris crebris antiquorum auctorum imprimisque poetarum locis pertexuisse probant Decisiones lituanicae, quas ipse postea edidit. Quin etiam poeticen privatim docuisse videtur, si quidem se Stanislai Carncovii „ora castaliis aquis rigasse" ipse in carmine ad eum scripto (II, 176, 24) commemorat. Disputationum adeo erat studiosus et peritus, ut hanc provinciam in universitate iagellonica abunde implesse sit putandus. Sed praeter Carncovium, quem ipse auditorem suum dicit, discipulorum eius nomina ignorantur. Ceterum cum universitatis iagellonicae professoribus, collegis suis, nullo artiore familiaritatis vinculo coniunctus fuisse videtur, cumque plurima carmina et longiora et breviora facile componeret, rarissime tamen scripsit et de collegis suis et de ipsa universitate. Quin etiam in Gamratum, archipraesulem gnesnensem eundemque episcopum cracoviensem atque universitatis cancellarium, non eo, quo par erat esse in ipsum, qui cum Cracoviam arcessivisset, animo fuit. Publice quidem editis carminibus, quantum res decusque exigebat, eum laudavit, fuisse tamen, qui se maledicorum epigrammatum in Gamratum celato nomine suo emissorum accusarent, ipse commemorat (II, 229, XXXIII). Quod crimen, quamquam refutat atque aversatur, tamen vix ab eo afuisse carmina quaedam adhuc servata testantur. Nam ut praeteream ea, quae multa contra gulam obesitatemque scripta (II, 434, IV; 439, I; 440, III; 442. XI; 414 XX) ad Gamratum facile referri possunt, exstant septem carmina mordacia (II, 253, sqq.), quibus praefectus quidam scholae exagitatur, quod edicto magistros, in eisque ipsum Royzium (conf. II, 254, III), barbas ponere iusserit. Scimus autem morem tondendi barbas, qui medio aevo apud clerum romanum invaluerat, a sacerdotibus catholicis Poloniae eo

Neque tamen hac re summam salarii abunde satisque auctam esse inde coniciendum est, quod Royzius mercede constituta non contentas extra muros, ut ita dicam, universitatis reditus suos amplificare conabatur. Brevi innotuit inter Polonos eius iuris peritia, quam cum mox etiam vernaculorum Poloniae institutorum notitia auxisset, factum est, ut variis de causis a consultoribus crebro adiretur. Sed et haec provincia non satis fructuosa fuisse videtur: laetiora uberioraque rediisse sibi ex carminibus, quibus pangendis tempus ab officiis relicuum studiose insumeret, ipse adnotavit (II, 220 sqq., III; V; XIV; XLIII; XLVI; XLVIII). Omnes enim tum latinis musis gaudebant: carmina in honorem suum componi, res a se gestas antiquis versibus celebrari, memoriam suam epitaphiis ornari, denique dedicari sibi poemata cupiebant, poetarumque studia interdum splendidis praemiis donabantur. Royzio prae ceteris erat annitendum, ut carminibus eos celebraret, qui et ipsi iustum pretium pro laudibus persolvere, et, si probassent de se scripta, poetae nomen ingeniumque plerisque possent commendare. Gamrati praepotenti gratia uti non potuit, fortasse etiam noluit, factiosa eius consilia in capessendis rebus publicis improbans, ideoque ipsius Bonae reginae, Gamrati fautricis perpetuae, caruit favore.

Sed quo maiora erant haec subsidia, quibus ingenii culpa fatisve iniquis destitutus est, eo firmiora certioraque contigerunt ei brevi post adventum in amicitia Samuelis Maceovii, tum episcopi plocensis et regni vicecancellarii. Erat enim Maceovius vir bonus, rei publicae amans, traditae fidei rerumque divinarum cultor, litterarum studiosus, alienus a malis artibus fallaciisque. Is Royzii ingenium candidum, acre ingenuisque artibus deditum, facile dilexit, neque solum gratia sed etiam pecunia ad maiora nitentem adiuvabat. Dubium fere non est, quin principum in re publica polona administranda virorum, ut Ioannis Tarnovii, Petri Cmitae, Andreae de Gorca, aliorumque ingeniis, mox etiam rebus gestis, insignium, ut Stanislai Hosii, Augustini Rotundi, ipsiusque Ioannis Langi Silesii, curiae austriacae in Polonia legati, Royzius notitiam inierit in aula Maceovii, ubi quicquid in

peritia poeticoque ingenio commendante. Regum vero Maceoviique gratia facile assequebatur, ut non solum aulicorum, sed etiam aliorum nobilium Polonorum oculis in eum conversis ad convivia invitaretur lautisque saepe epulis interesset. Ita cognitum sarmaticum epulandi morem, immodico vini cibique usu notabilem, pluribus carminibus in eisque uno ampliore cum festiva benevolaque vituperatione descripsit (I, 233–239; II, 259—264).

At inter ea conditione sua in aula regia, in qua plurimum spei ponebat, in dies minus erat contentus. Frustra exspectabat a rege munus aliquod fructuosum sive iudiciale, sive ecclesiasticum, talia enim contingebant vulgo Polonis nobilibus, ipsius vero nobilitas peregrina, ut in censum venire posset, opus erat potentibus adiutoribus, quibus excepto Maceovio carebat. Alios florere gratia promoverique per mulierum artes ad ampliores gradus afficique beneficiis, se solum praeteriri aegre ferens in otio multa epigrammata acerba in medicos astrologosque, qui immerita auctoritate fruerentur, in presbyteros plerosque sacro munere indignos, in mulieres ambitiosas impudicasque conscribebat (II, 409–429; 464—467). Mortuo vero a. 1545 Gamrato de ipsa mercede honoraria, qua liberalitate eius fruebatur, timens, iam redire in patriam in animum inducebat, cum Maceovius, Gamrati in episcopatu cracoviensi successor, gratia liberalitateque sua desperantem recreavit Cracoviaeque retinuit. Brevi ante Gamratum Elisaben reginam exstinctam (1545) Royzius tribus brevibus epigrammatis (II, 32) deploravit, mox ipsum Gamratum funebri carmine ampliore prosecutus (I, 93—98), mense post ad Maceovii episcopi cracoviensis designati laudes celebrandas transiit (I, 227–230). Nec defuerunt continuo occasiones nova carmina componendi ipseque propensior ad ea fuisse videtur, episcopo cracoviensi amico facilius optata assecuturum se ratus, si paululum adniteretur. Accidit, ut astrologus quidam vaticinaretur Maceovium, si Cracovia excessisset, vivum eo non reversurum, vulgoque deplorabant homines creduli fatum episcopi, cum aegrotus spreto vaticinio in lectica pellibus involutus urbem reliquisset. Qui cum

quod tamen conscripto libro primo, Andreae comiti de Gorca († 1551) dedicato, quo antiquissima temporum ordine usque ad conditam Cracoviam urbem percucurrerat, sive ipsa mole rerum sive temporis angustiis impeditus non tam abiecisse quam distulisse videtur. Certe ex eodem fonte etiam aliud imperfectum carmen de Hedvige, Polonorum regina (I, 22 sq.) fluxisse veri simile est. Quin etiam posteriore tempore, certe circa a. 1560 agitasse videtur Royzius de historia Polonorum versibus continuanda, quoniam Andreas Tricesius, amicus eius, carmine a. 1565 (Epigrammatum lib. II, Cracoviae 1565) emisso eum Sarmatiae cruenta bella descripturum praedicat. Eisdem denique temporibus sed prosperiore successu vergilianaque arte compositum est a Royzio carmen de caeso Stanislao sancto, Poloniae patrono, quod dedicatum Samueli Maceovio, utpote sti. Stanislai in episcopatu cracoviensi successori, eidemque tum iam regni cancellario, a. 1547 aut brevi post excudendum curavit (I, 3—16).

Neque tamen haec speciosa poetici ingenii animique Polonis deditissimi documenta, ne ipso quidem Maceovio adiuvante, suffecere ad condicionem poetae meliorem reddendam, rege senio confecto et clandestinis uxoris consiliis aulicorumque callidis artibus obnoxio. Quod ut vidit Royzius, indignatione exacerbatus, plurima tum ipsum carmina et res et singulos homines acerrime notantia emisisse videtur. Itaque et aulicam vitam epigrammatis (II, 239 sq.) maioribusque tribus carminibus (I, 242—244; II, 381—383) acerbe traduxit, et Polonorum regnum latrunculorum lusu assimulavit (II, 9), et de feminarum importuna ambitione (II, 394 sq.; 464—467), de avaritia sacerdotum (II, 409—416), denique de morum perversitate identidem conquestus est (II, 222 sqq.; 257 sqq.; 446 sqq.). Sed haec tela, quamquam tecte sineque nomine emissa, vulnerabant homines delictorum conscios auctorique inimicos reddebant (conf. II, 225, XXI; 231, XL), vel abalienabant, fortasse etiam eos, quos non petebat. Certe hoc tempore Stanislaum Orichovium, virum antiquarum litterarum peritum et studiosum, eloquentem, impigrum, principum virorum gratia innixum, in partes inimicorum Royzii tansgres-

machos movissent, nominibus tantorum virorum ab invidia tegerentur atque in publicum commendarentur. Libelli tamen illi typis excusi esse non videntur, fortasse etiam ne missi quidem sunt ad eos, quibus inscribebantur, manseruntque solum in libris manuscriptis consilii capti certa indicia (II, 36, adn. 1; 63, adn. 3; 71, adn. 1), omissi ratio latet, nisi forte valetudine mala Royzium impeditum esse suspiceris. Nam hoc tempore eum morbo gravi implicitum esse, ex quo medicorum cura Maceoviique auro sublevatus vix convaluisset, certa exstant vestigia (II, 50—52).

Interim rex senex ipsa prima resurrectionis Christi die a. 1548 fatis occubuit, mutataque inde rerum publicarum ratione, quam gnari iam antea praevidebant, procul dubio factum est, ut Royzius a consilio relinquendae Poloniae destiterit. Atque primum omnium ad mortem funusque regis digno carmine describendum acriter animum intendit, ita ut iam quinque diebus post funus calendis augustis eiusdem anni celebratum Historiam funebrem suam elegantissime compositam (I, 99—117) officinae excudendam tradiderit. Quo carmine extremo poeta ipsum Sigismundum Augustum ita alloquitur, ut facile perspiciatur eum multum spei in novo rege ponere. Neque ea spes eum fefellit. Bonae enim reginae praepotenti gratia deminuta Samuel Maceovius, qui statim initio in comitiis Piotrcoviensibus una cum Ioanne Tarnovio matrimonii a rege cum Barbara de domo Radivilorum initi ius in dubium vocatum integritatemque pontificali auctoritate tutatus est, offensam apud renitentes gratia apud regem iam dudum merita compensavit. Itaque etiam Stanislaus Maccovius, tum castellanus voinicensis, Samuelis frater germanus, praefectus aulae Barbarae reginae creatus est. Rex cum Cracoviae toto anno 1549 habitaret atque etiam postea usque ad mortem Barbarae reginae (a. 1551) ibidem plerumque commoraretur, crebro Royzium in causis forensibus publicisque consilio adhibuit iamque calendis octobribus a. 1549 in aulam arcessitum iurisconsultum regium esse iussit atque pensionem annuam ducentorum florenorum sex fere mensibus post, anno 1550, ad impensas huius muneris tolerandas ei in salinis

in deteriorem mutata sit. In his angustiis laboranti Royzio subvenit Ioannes Langus, Maccovii ipsiusque communis amicus, quo auctore poeta noster, cum a Ferdinando I Vindobonam ad professoris iuris munus suscipiendum invitatus esset, a Sigismundo Augusto splendidiore condicione oblata retentus est. Cuius condicionis singula accurate non produntur, certum tamen esse videtur eum tum primum professoris munere solutum, mercede annua, quam ante obtinuerat, aut salva aut etiam aucta quingentisque florenis circumscripta, totum ad curiae officia obeunda, consiliarii regii, opinor, titulo exornatum transiisse, neque abest suspicio, quin ei iam tum beneficii ecclesiastici in Samogitia obtinendi spes sit oblata. Atque iam a. 1549 cum praepositum krożensem canonicumque mednicensem factum esse commemoravit Sobieszczański in libro q. i. Encyklopedya powszechna (s. v. Roizius), unde tamen traditum hoc hauserit, non adnotavit. De anno quidem iure dubitari potest, quoniam in regiis de Royzio decretis, a. 1550 et 1559 emissis (msti. ossol. bibl. 180, 60 et 106), ipsius nomen caret titulis ecclesiasticis. Id quoque multis rationibus nisus pro certo affirmaverim ante a. 1551 Royzium Cracoviae fuisse professorisque munere adhuc esse functum. Ceterum cum Sigismundus Augustus rex, Barbara uxore mense maio a. 1551 defuncta, in cuius honorem Royzius aliquot epitaphia composuit (II, 34—36), in Lituaniam sedem suam transtulisset, etiam Royzius ab eo quidem tempore, utpote consiliarius regius, eodem se collaturus erat nisi febri pertinaci hoc ipso tempore correptus Cracoviae aliquamdiu remanere esset coactus. Convaluisse se paulatim Anselmi Ephorini, civitatis cracoviensis physici, arte atque cura ipse refert (II, 189 sq.), corporis tamen macie confecti facies adeo est mutata, ut Andreae Tricesio amico scripserit eam imagini suae, sibi antea eius pecunia paratae, plane non respondere (II, 247). Curationis huius impensam, Royzio impare sumptui tolerando, ipse Sigismundus rex tulisse videtur (II, 190, V). Recuperatis viribus a. 1551 aut 1552 in Lituaniam penates transtulisse est putandus; certe a. 1557 Vilnae iam adfuit (I, 159 sq.; II, 84, 19 sq.; 91 sqq.). Polo-

suis putarent, nobilium iudicia in curia praesidentibus cancellariis rarius exercebantur, urbanorum vero tam frequenter, ut ad extremum circa a. 1565 ea iudicia cancellariorum appellari mos invaluerit (II, 95)[1]. Ceterum iudicia in curia urbanorum seiuncta a iudiciis nobilitatis iam Sigismundo I regnante, certe eo tempore, quo Royzius in Poloniam venit, instituta fuisse multa indicant. Royzii igitur tempore erant in Polonia duo tribunalia regia, ad quae causae ex appellatione redibant, alterum nobilium, alterum urbanorum, quibus, Lituania nondum in unum corpus coniuncta, accedebant duo utriusque generis tribunalia lituana, eaque quattuor tribunalia ad a. 1551 plerumque Cracoviae, ubi rex vulgo habitavit, deinde in Lituania Vilnae, quo inde ab hoc tempore sedem transtulit, vigebant.

Royzius, ut iam supra monui, inde ab a. 1549 decreto regio cognitor causarum Poloniae atque Prussiae urbanarum factus, una cum Martino Cromero adsedit in curiae tribunali cancellario Samueli Maceovio eodemque tempore in universitate Cracoviae ius tradebat, mortuo vero Maceovio, cum regis voluntati obsecutus professoris munus Cracoviamque reliquisset, eodem assessoris munere una cum Stanislao Carncovio atque Augustino Rotundo, tum praetore vilnensi, Ioanne Prerembio procancellario (1550—1559) praesidente, Vilnae fungebatur (II. 81, 18 sq.; Decis. lituanic. praef. extr.). Ad nobilium forum augustale procul dubio non adhibebatur, nisi quod fieri potuit, ut eum interdum privatim rex cancellariusve de nobilium causis consuleret. Nam Royzius praeter ius romanum canonicumque etiam teutonicum, cuius elementa fortasse iam in Italia perceperat, atque ipsum ius polonum Cracoviae addidicit, ita ut eum in quavis iuris quaestione regi cosulentibusque profuisse multa exstent vestigia.

Inter has fori iurisque curas ne musae quidem, quas a iuventute cultas plus sibi profuisse, quam Dicen, Iovis

[1] Adde de hac iudiciorum polonorum ratione ad ea, quae in mea dissertatione polona adtuli, libri Lengnichii q. i. Ius publicum regni Poloni edit. alterius Gedani a. 1563 sq. cur. tomi II, lib. III, cap. VIII §§ 42 et 43; lib. IV, cap. XIII §§ 8—10.

tum Royzius singulari celebravit carmine, Cracoviae mense augusto 1553 typis excuso. A. 1555 in Farnesium cardinalem, quod Iulio III, pontifice maximo, defuncto pro Francogallorum partibus Romam armis occupasset papaque fieri vellet, epigrammatis invectus est (II, 295), eodemque anno aliquanto post Paulum IV, pontificem romanum electum, quasi crudelem, patris ecclesiae nomine indignum, caesaris atque Hispaniarum regis hostem Turcarumque socium, carminibus arripuit (II, 289—291). Quas invectivas ne ab animo Royzii, ecclesiae romanae devoto, abhorrere putes, studiis erga Hispaniam patriam caesaremque excita esse cogita. Adde quod tum ipsum in Polonia Paulum IV sacris rebus anteponere divitias opesque praeque eis assequendis ne sanguini quidem hominum parcere fama invaluerat. Ceterum carmina illa Royzius neque typis evulgavit, neque, opinor, publicanda scripsit, siquidem eodem fere tempore et Diras in pontificis maximi eiusque maiestatis hostes composuisse videtur (I, 263 sqq.), et carmina animo romanae curiae devoto ad Ioannem Domanovium, a. 1556 episcopalem Samogitiae sedem ingredientem, composuit (II, 84 sqq.), et a. 1557 Lipomano, Pauli IV ad res ecclesiae romanae contra novatores in Polonia tuendas legato, dicatum poema Chiliastichon (I, 159 sqq.), in quo de Paulo IV honorifice loquitur ecclesiaeque romanae victoriam inter Polonos vaticinatur, Cracoviae in lucem emisit.

Poema Chiliastichon convertisse videtur in Royzium oculos omnium ecclesiae romanae amicorum et propugnatorum. Itaque tum maxime eum praepositum krożensem et brevi post canonicum vorniensem sive mednicensem creatum esse suspicor, curia vero romana studiis eius fidelibus commota titulis protonotarii apostolici comitisque palatini eum exornavit.

Inter has prosperas fortunae vices Nicolao Trebuchovio, castellano gnesnensi cubiculique regii praefecto, Bresti in Lituania a. 1558 exeunte aut 1559 ineunte nuptias maximo regiae familiae procerumque coetu celebranti epithalamium amplum conscripsit (I, 80 sqq.). Paulo post aestate a. 1559

constitutiones ecclesiae mednicensis seu Samogitiae continebat[1]), hodieque Petropoli inter bibliothecae Zaluscianae copias, in quibus eum Varsoviae Ianocki vidit, delitescere videtur.

Secuta sunt deinde tempora, quibus rex magnis negotiis expetitae a nobilibus legum exsecutionis diversarumque regni partium in unum corpus consociandarum distentus, Lituaniae, quoad ipse abesset, Nicolaum Ioannis Radivilum, cancellarium lituanum palatinumque vilnensem, praefecit ipsumque ius creandorum magistratuum in ea terra ei concessit. Radivilus cancellarii nomine iam antea urbanorum causis in Lituania ex appellatione iudicandis praefuit, tum vero supremus evasit iudex, iure ad regem ab eius iudicio provocandi decreto regis sublato. Royzius, qui et ipse iam antea una cum Domanovio, Samogitiae episcopo, atque Narcussio, praeposito ticotinensi, cognitor causarum Lituaniae urbanarum fuisse videtur. hoc certe tempore assedit Radivilo et in iure reddendo eum adiuvabat (II, 95, 24). Inter haec fori lituani polonique negotia cepit consilium edendi in lucem pauca ex eis, quae in eius cognitionem inciderant, publicoque sunt ab eo disceptata. Elegit igitur ex rerum copia quinque quaestiones, quas singulis libris complexus opus contexuit illud Decisionum lituanicarum, quod Sigismundo Augusto dicatum prodiit Cracoviae mense aprili a. 1563. Cuius operis libro primo egit de testamento eius, qui mortem sibi conscivisset, secundo de usitata tabellionum clausula, qua testator aegro corpore sanaque esse mente scribi soleret, tertio de conatu et inchoatis delictis, quarto de legitimis excusationibus eorum, qui in ius vocati non venirent, quinto de fenore sive usuris. His praemisit epistolam Vilnae ad regem Kalendis sextilibus a. 1562 conscriptam, in qua disputavit de iuris utilitate atque auctoritate, de romani iuris praestantia commodisque ex eo in Poloniam introducendo fluentibus, de legum iudiciorumque polonorum vitiis, de suis post adventum in Poloniam partibus muneribusque sibi oblatis, pro-

[1]) Plura de ea re vide in libro, q. i. Wołonczewski, Biskupstwo żmujdzkie. Kraków 1898 pg. 40—46.

de eo lati paeniteret (II, 132, 5—7). Qui, destitutus spe et prosperi in patriam reditus et ecclesiae samogitiensis ad meliorem condicionem revocandae, vacuefacto tum Vilnae ad sti. Ioannis archipresbyteri munere, eo impensius niti coepit ad illud impetrandum. Supersunt adhuc carmina, ex quibus non solum ipsi regi, qui illud munus conferre poterat (II, 25 sq., IX et X), sed etiam Petro Myscovio, tum regni poloni procancellario (II, 108 sq., 28, II), atque Radivilo, duci in Birże et Dubingi, qui ipso hoc tempore palatinus vilnensis cancellariusque lituanus factus est pauloque ante fidei calvinicae se addixerat (II, 193 sq.), ut se regi commendarent, Royzium precibus institisse perspicuum est. Ac tum quidem conatus illi haud erant irriti. Anno enim 1566 exeunte, aut ineunte 1567 Royzius archipresbyteria illa potitus est, fuitque illud ipsi initium ad ampliores dignitatis gradus Vilnae ascendendi. Etenim iam octobri a. 1567 canonicus vilnensis in locum post Virbicium episcopum mednicensem creatum etiamtum vacuum successit et augusto a. 1569 custos cathedralis vilnensis electus est. Decrevit his temporibus capitulum vilnense, ut solum canonici omnibus sacris initiati integro sui muneris reditu, diaconi dimidia, subdiaconi quarta eiusdem parte fruerentur, clerici vero omni fructu carerent. Sed Royzio, quamquam diacono, integer reditus relictus est ea condicione, ut pro viribus iura bonaque capituli tueretur. Archipresbyteri ad sti. Ioannis nomine praefuit Royzius scholae cum illa ecclesia coniunctae, quam arte diligentique cura ita exornasse excoluisseque fertur, ut academiae fere speciem prae se ferret. Ius romanum lituanumque in ea traditum esse ipsumque Royzium docendo iuri romano litterisque graecis in eadem operam navasse commemorant.

His ita comparatis unum obfuit, quominus Royzius fortuna sua omni ex parte gaudere posset: stipendium annuum, regis consiliario debitum, solvi ei desitum est circa a. 1567. Quod qua ratione factum sit, non satis liquet. Royzius quidem contendit non ablatam sibi esse pensionem, sed translatam a salinis vieliciensibus ad aerarium regium, petitque a rege, ut ipsi eam assignandam decernere velit, ali-

se classis iudicis munere abdicaverit, rex vero classiariis urbe interdixerit. Quod interdictum cum nihilominus classiarii neglegerent, seditione Gedani coorta populus vi undecim homines ex classe regia corripuit capitaque in ipsa urbis porta decollatorum stipitibus infixa in littore exposuit. Quin portis clausis tela ex propugnaculo urbis in regias naves mittebantur. Quae res merito mitem regis animum offendit. Nam quamquam classiarii lasciviae laesique regii interdicti crimine absolvi non poterant, classisque illa regia antea ab hostibus vastata iam tum ipsa haud procul aberat ab interitu, tamen ab urbe regis imperio obnoxia regiam classem hostiliter deleri, scelus maiore poena expiandum videbatur. Neque vero tum primum Gedanum imperii poloni iura laesit, saepe enim urbes Prussiae mari adiacentes opibusque fretae solutius quam pro condicionibus a Casimiro Iagellonida quondam sponte acceptis agebant libertatemque affectabant. Quod, cum a rege regnique ordinibus tum ipsum id praecipue ageretur, ut legibus prioribus auctoritas visque restitueretur legumque novarum auxilio diversae regni partes in unum corpus coalescerent, diutius tolerandum non videbatur.

Itaque iam a. 1567 placuit mitti ad urbes Prussiae, imprimis Elbingam atque Gedanum, legationem, quae imperium detrectantes ad fidem servandam adigeret accuratiusque singula regi reique publicae praestanda definiret. Quae dum parantur, classem regiam vastatam esse a Gedanensibus allatum est, eaque fuit causa accelerandae legationis. Munus delatum est ad quinque regni senatores, quattuor castellanos Carncoviumque, episcopum cuiaviensem, legationi praefectum, in cuius dioecesi Gedanum situm Lutheri tamen dogmata sequebatur auctoritatemque episcopi respuebat. Royzius, utpote rerum prussicarum peritus consiliarius regius, Carncovio additus est, eaque potissimum videtur fuisse causa, cur iam ante legationem susceptam Volborium ad Carncovium, ut supra monui, proficisceretur. Legatio autumno a. 1568 Varsovia a regis latere iter ingressa est, quod, saeviente eo tempore in litoribus Vistulae peste, Carncovius cum Royzio navi secundo flumine faciebat (I, 271—274). Elbin-

gae prospere rebus compositis hieme iam adpropinquante legati ad Gedanum accesserunt. At Gedanenses, ne novis impositis legibus libertas ipsorum deminueretur, anxii, legationem contra conditiones deditae quondam Polonis urbis ad se mitti praetendentes, armatis per muros dispositis, polonae nationis hominibus cunctis urbe expulsis portisque clausis, legatos aditu intercluserunt (I, 274 sq. 4). Legati re infecta redire ad regem sunt coacti. Royzius graviter offensus rem carminibus descripsit, in quibus regem Polonosque hortabatur, uti Gedanenses utpote laesae maiestatis manifestos gravissima poena afficere non dubitarent, caverentque sibi a muneribus, quibus Gedano missi singulos senatores corrumpere conarentur. Hanc carminum seriem in plura exemplaria descriptam in publicum emisit eo, opinor, consilio, ut, animis senatorum nuntiorumque ad comitia missorum contra Gedanenses exacerbatis (I, 280—296) fautorumque urbis gratia fracta (I, 290—292), gravius in reos consuleretur. Rex enim proximis comitiis Lublini exeunte a. 1568 habendis adhibito senatorum consilio iudicium de Gedanensium delicto exercere constituit ipsosque ad causam dicendam citari iussit. Quorum legatis a. d. VIII id. ianuarias a. 1569 interrogatis brevi apparuit Clefeldium burggravium culpa non vacare ideoque ipsum ad causam dicendam arcessi placuit. Clefeldius primo valetudinem excusare tempusque cunctando terere (I, 296 sq., 13), mox ubi necessitate coactus ad tribunal venit, causa dicta noxius iudicatus, in custodiam liberam datus est. Deinde postulati sunt in ius Ferber et Proitus, duo urbis consules, Giesiusque decurio, quibus et ipsis auditis culpaeque convictis medio demum augusto mense a. 1569 quaestio de Gedanensium delicto ad finem est perducta. Praeter Clefeldium etiam Ferberum, Proitum Giesiumque in custodia retineri placuit, donec altera legatio Gedanum mittenda urbis res componeret. Clefeldius et Giesius Sandomiriae, Ferber et Proitus Piotrcoviae in custodia habebantur, sed tam liberali atque commoda, ut Royzius novis carminibus inveheretur in eam indulgentiam, quae Clefeldii talheris deberetur, praedicaretque laesae iustitiae ipsum Deum succurrere ultorem, qui interea

in perfidam Gedanensium urbem pestem gravem demisisset (I, 298—300).

Alteri legationi Lublino missae haud secus, quam primae, praefuit Stanislaus Carncovius Royziumque habuit ad iura interpretanda reddendaque adiutorem. Inter ceteros additus est etiam Casper Gescavius (Jescavius, Jeschke), qui legatorum edicta Gedanensibus germana lingua interpretaretur. Is eo tempore Locae defuncto in abbatis olivensis munere successit, quam rem Royzius carminibus memoriae mandavit (I, 275 sq., 5), sicuti etiam alia primae secundaeve legationis, versiculis prosecutus est (I, 276—279). Legatio tum iam sine ulla cunctatione a Gedanensibus in urbem recepta ad res componendas kalendis decembribus a. 1569 accessit. Ac primum quaestione instituta Gedanenses de laesae maiestatis crimine, quod commisisse prima legatione urbe prohibita sunt iudicati, ad regis ipsius clementiam relegantur, deinde iure regio, quo urbs teneretur, accurate explicato atque definito, conscriptae sunt concedentibus Gedanensibus constitutiones illae, quibus mox nomen Carncovianis inditum est.

Prospere compositas res Royzius laetus novis carminibus celebravit. Carncovio, quem episcopum urbs Lutheri doctrinae dedita agnoscere noluisset cuique nuper contumax portas clausisset, nunc iudici regioque rerum suarum arbitro fasces submittere esse coactam praedicat (I, 300 sq., 17), domum regi a Gedanensibus plus centum annis ante promissam nec adhuc datam secundum condiciones compositas esse concessam gratulatur (I, 302), novam constitutionem urbi datam regi approbandam commendat (I, 303 sq.).

In comitiis varsaviensibus a. 1570 a. d. IV kal. iulias (conf. II, 157 sq., 54) Carncovius rationem rerum a legatis Gedani actarum reddidit constitutionemque urbi praescriptam sanciendam proposuit. Rex legatos pro susceptis laboribus collaudavit, nuntiique in comitiis congregati gratias eis egerunt. Eodem fere tempore Gedanensium legati veniam a rege commissi criminis maiestatis laesae orantes impetravere, impetrata tamen venia de constitutione carncoviana conquesti, ut mutari posset, petebant. Qua de causa ex eisdem comitiis

pridie kal. octobres novos legatos ad constitutionis illius praescripta exsequenda mitti placuit. Interfueritne Royzius etiam huic legationi necne, affirmare non ausim, attamen neque Carncovium participem eius fuisse, neque eventum votis rei publicae respondisse compertum est. Ceterum brevi post, exeunte iam a. 1570 Clefeldio, Ferbero, Proito Giesioque, culpa condonata a rege, concessus est reditus in patriam, quem Royzius singulari amplioreque carmine insignem reddidit (I, 304 sqq.). In quo ipsam Gedanensium urbem ad redeuntes exsules de regis clementia, de ipsorum in regem perfidia, de civibus a rege potentium tyrannide liberatis eoque laetis, de Curei cuiusdam impudentia atque fatuitate, verba facientem fingit. Erat autem Achatius Cureus urbis secretarius, qui Royzii carminibus de Gedanensium motu scriptis maledico libello responderat, eaque ipsa res illam Royzii exsecrationum plenam Prosopopoeam Dantisci excivisse videtur.

Gedanensium rebus ad ultimos fere vitae terminos occupatus Royzius claris illis comitiis, in quibus a. 1569 Lublini auctore rege diversae regni Poloniae partes, imprimisque ipsi Poloni atque Lituani idoneis legum condicionibus sanctis in unum rei publicae corpus coaluerunt, continuo adesse non potuit, nihilominus tamen transigendae rei magnificae acerrimus fautor, inter dubias paciscendi vices singula aptis carminibus comitabatur. Itaque et nutantes Lituanos hortatur, ut tutandae ab hostibus Vilnae gratia in condiciones concedant (II, 274, 42), et coniunctionem non posse esse firmam atque solidam, nisi aequitate parique coniungendorum iure nitatur, admonet (II, 275, IV et V), et iureiurando denique sanctam unionem appellat pretiosissimum unionem, Dei regisque magnum opus, quod Poloniae hostes metu perculerit (II, 274—277). Cum deinde certior esset factus Ioannem Chodkievicium, Samogitiae capitaneum, qui post mortem Radivili Nigri una cum Radivilo Rufo pro separato Lituaniae regimine acerrime nitebatur, maerore tristitiaque confectum iacere, quod eum etiamtum patratae coniunctionis paeniteret, tribus carminibus eum leniter castigando docuit id esse factum, quod Deus atque rex voluissent, qui-

bus ille, etiamsi adversatus esset, par esse non potuisset (II, 127 sq.).

Peropportune etiam accidit, ut inter lublinensium comitiorum de consociandis regni partibus pactiones Romanus Sanguszko dux, palatinus braclaviensis campiductorque Lituaniae, qui iam a. 1567 aliquot milia Moschorum ad Czaśnik fugaverat, Ullam arcem a Moschis in finibus Poloniae exstructam, quam paulo ante ipse Ioannes Chodkievicius maioribus copiis frustra oppugnabat (II, 124 sq.), ceperit soloque aequaverit, unde expugnata signa nobilesque Moschos captivos Lublinum ad regem adduxit. Ita duplicatae regis ordinumque laetitiae non defuit Royzius poeta, qui duodeviginti epigrammatis ad regem scriptis victoriam victorisque ducis fortitudinem celebravit suasitque, ut deletae arcis loco a Polonis nova arx contra Moschos exstrueretur (II, 19—23).

Neque sola tum haec publicis rebus dicata carmina aetate iam ad septuagesimum vitae annum appropinquante scripsit Royzius, composuit enim eodem fere tempore epitaphium Petro Barzio, castellano premisliensi (II, 139 sq.), dimittebat libros, praecipue Decisiones suas lituanicas, idoneis propempticis instructas (II, 110 sq., 32; 140 sq.; 148 sq.; 155 sq.; 159; 323 sq.), celebravit multis carminibus Albertum Lascum, victoriis de Valachis Tatarisque relatis clarum (II, 133—138), quin etiam mortem Ludovici I, Hugenotorum ducis, qui in proelio ad Jarnac a. 1569 vulneratus et deinde occisus est, duobus carminibus tetigit (II, 325 sq., 17). Inter haec fundebat querelas crebras de pensione sibi iam inde ab a. 1567, ut supra suspicatus sum, non soluta. Praecipue vero post dantiscana negotia suscepta regem precibus de stipendio fatigabat (II, 23 sqq., 9; 27—39). Ac rex tandem 600 florenos ei assignavit mandatavitque Nicolao Naruszevicio, magno thesaurario lituanico, ut ei hanc pecuniam tribus acquis portionibus primamque statim anno vertenti persolveret. Sed ne tum quidem satis commode res cessisse videtur, ita ut Royzius de ea re ipsum Ioannem Chodkievicium, tum magnum Lituaniae mareschalcum, adierit (II, 125 sq., XV).

Praeter stipendii extorquendi curam aliud insuper ne-

gotium nubem obduxit ultimis hispani poetae annis. Valerianus Protaszewicz Szuszkowski, episcopus vilnensis (conf. II, pg. 145 sqq.), cum per Lituaniam novandae fidei studia sub potenti Radivilorum Ioannisque Chodkievicii praesidio vehementer propagari pluresque in dies deficere ab ecclesia romana videret, ipse coercendo motu impar, ab Hosio cardinale petivit impetravitque, ut Iesu ordinis fratres Vilnam arcesseret. Itaque iam a. 1569 aliquot huius ordinis sacerdotes missi sunt, quibus cum episcopus haud procul a templo sti. Ioannis aedes amplas, triginta fere fratribus excipiendis aptas, praediaque rustica donasset, proximo iam anno Maggius provincialis ipse cum viginti sacerdotibus, plerisque Polonis collegii pultusciensis ad instituendum Vilnae collegium eodem venit. Novo collegio vilnensi praefectus est primus rector Stanislaus Varszevicius, vir strenuus atque eruditus. Qui cum sacerdotibus sibi commissis suam aedem ad sacra procuranda deesse videret, id agere coepit, ut proximum sti. Ioannis templum, quo interea hospitum nomine fratres utebantur, ordini possidendum traderetur. Atque episcopus vilnensis, ut id patrari posset, Royzio aliud ampliusque beneficium offerebat, dummodo ordini templo cederet Is tamen, sive quod senex sedem mutare noluit, sive aliis rationibus ductus, in tradito sibi munere retinendo perseverabat. Discidia inter praepositum templi fratresque paulatim oriebantur, illo ius suum vindicante, his ad liberiorem templ usum tendentibus, cum interea Iesuitae adiuvante episcopo intercedentibus nuntio apostolico Annaque, regis sorore, in eunte a. 1571 a rege diploma obtinuerunt, quo post morten aut cessionem Royzii in possessionem templi veniebant. Ne que ita diu Royzius ordinem in eo iure exsequendo moratu est. Etenim cum pridie idus februarias a. 1571 in consess capituli vilnensis iura eiusdem contra episcopum etiamtum defendisset, iam a. d. X kal. apriles eiusdem anni aliquo diebus post Varsavia allatum regis diploma exspiravit.

III. De Royzii ingenio, moribus habituque.

De Royzii ingenio moribusque, cum iam supra idoneis locis memoravi, tum hoc loco addenda quaedam et ad communem rationem revocanda videntur, ut viva defuncti imago quadamtenus excitari possit. Erat natura, utpote Hispanus, animo mobili atque irritabili, sed candido liberaliumque artium, boni aequique studioso. Ex patria, ubi auctoritas pontificis maximi regisque, altero alterum adiuvante, plurimum pollebat, quique tum regnabat, Carolus, imperator romanus, non solum nomine, sed etiam ditionis amplitudine antiqui romani imperii potentiam splendoremque renovasse videbatur, pietatem reverentiamque erga utramque potestatem Royzius in Italiam allatam ibique confirmatam ad Polonos adtulit. Quamquam igitur cum praestantissimis in Polonia fidei reformatoribus, Andrea Tricesio, Fricio Modrevio, Nicolao Reyo, Andrea Wolano, Ioanne Mącinio, studiorum artiumque liberalium communione tractus, amicitiae vinculis erat coniunctus, nihilominus tamen in eis, quae scripta reliquit, et papae et caesari fidus deditusque reperitur. In novandae enim fidei studia passim invehitur, ad eadem coercenda pontificibus romanis ius gladii concedit, inquisitionem, quam vocant, in Hispania vigentem, comprobat, Caroli V fortuna bellica aeque ac reformatorum cladibus laetatur, caesarem de hostibus victoriam reportaturum vaticinatur reformationisque turbas certe ad genuinam fidem emendandam atque corroborandam collaturas contendit (II, 303 sq.; 325 sq.; 336; 337—343; 345; 353; 354—356; Decis. lituan. IV, 252; I, 263 sqq. alia). Neque si. contra Paulum IV pontificem aliquot versiculos acerbos conscripsit, ideo descivisse a se est existimandus, revocandum enim est illud ad singulares rationes, quas supra in tertia huius dissertationis parte (pg. XXI) exposui. Ceterum ipsa litterarum antiquarum studia, communi quodam humanitatis linguaeque vinculo diversas nationes consociantia, imprimisque ius romanum, praecipua Royzii cura, ad speciem maiestatis romani imperii animo amplexandam eum impellebant. Ius enim romanum apud eum non solum idem est ac ius

caesareum (Decis. lit. I, 253), sed etiam ius commune ac perfectissimum, quod soli iuri canonico auctoritate concedere commemorat (Decis. lit. III, 283) quodque una cum auctoritate caesaris quam latissime valere partesque a iure vernaculo vacuas etiam apud Polonos aeque atque in Italia Hispania Galliaque explere cupit (Decis. lit. I, 251 sq.; V, 3; 322).

Quae viri opinio ultimis viginti fere vitae annis rerum improviso eventu paulatim repressa et ad aequiorem modum redacta est. Nam et Lutheri aliorumque doctrinae contra caesaris arma defensoribus suis steterunt, et singularum nationum linguae, mores institutaque magis magisque iura sua vindicabant, et, qui Carolo V in Hispania rex successit, Philippus II carebat imperatoris romani dignitate. Regem autem Hispaniarum obsequi romano imperatori cum Royzius aspernaretur, ne Galliarum quidem atque Poloniae reges ab auctoritate caesaris pendere facile iam concedebat. Itaque parcior iam est in laudibus Ferdinando I aut Maximiliano II impertiendis (II, 316 sqq.), in eisque ipsis ducitur potissimum aut suae rei privatae aut cognationis cum Poloniae regibus ratione, Germanorum vero nationem, Gedani praecipue seditione contra Poloniae regem exorta, acerbissimis versiculis persequi non dubitat (I, 278 sq.; II, 267; 344).

Posterioribus igitur vitae annis solum in iuris romani praestantia celebranda pontificisque romani auctoritate extollenda perseverabat; quin etiam fidei romanae integritati ardentius quam antea patrocinabatur tridentini concilii decretis innixus. Studiis autem, quibus romanum imperium amplexus erat, in Polonorum regnum translatis et regis Poloniae auctoritatem augeri atque confirmari (II, 265 sq.; I, 289 sq.), e malis, quibus rem publicam laborare perspexit, occurrere mederique cupiebat. Quo sine dubio referenda sunt pleraque in quibus praecipuae provinciae suae memor iudiciorum polonorum vitia tangit, modo legem polonam de homicidii poena improbans, modo exprobrans iudicia ad arbitrium libidinemque exerceri, cum a proceribus eae tantum leges, quae ipsi prosint, respiciantur, modo ius romanum accuratius Poloni cognoscendum latiusque usurpandum esse contendens. Cete

rum in censura exercenda ne sacerdotis quidem virique iuris canonici periti officia neglegebat, saepiusque in praesules, qui aut ipsa novandae fidei studia adiuvarent, aut inter profanarum rerum curas ambitiosi corporibusque dediti muneris sibi commissi obliviscerentur, acerrime invectus est. Atque ut acer in exagitandis vitiis, ita strenuus in celebrandis sacerdotum virtutibus, prae ceteris Samuelis Maccovii, deinde Carncovii Domanoviique integritatem vitae sanctitatemque morum carminibus testificatus est. Quantopere autem curae ei fuerit, ut vita moresque christiani integri servarentur, documento vel id esse potest, quod de Iudaeorum liberiore cum Polonis Lituanisque commercio deque eorum apud utrosque iuris condicione conqueritur: nefas enim esse ex lege divina christiano apud Iudaeos famuli munere fungi, cum eis cibum capere, lavari, habitare eorumque consuetudine uti, neque aequum esse Iudaeis fenerare permittere, id quod divina lege christiani prohibeantur (Decis. lit. V, 322; 218 sqq.; 233 sqq.).

Royzius, ut scripsit, ita pleraque esse sibi persuaserat, quae aliis praecipiebat aut exprobrabat, ipse in vita communi sequebatur aut vitabat, — multa tamen quae in lucem emiserat, non ingenuo artis studio animique sincero affectu debentur, sed fortuitis rerum condicionibus, vitae commodis, amicorum patronorumque desideriis invitationibusque. In brevibus epigrammatis, in quibus eos, quorum vitia traducit, non nuncupat, plerumque ingenio suo obsequitur, in carminibus vero certis nominibus inscriptis saepissime et sui ipsius et eorum, quibus scribit, ratione gratiaque ducitur. Unde id ipsum explicabis, quod carmina eius plerumque ad viros sive in Polonia sive apud exteros opibus gratiave insignes referuntur, docti autem litteratique etiam ei, quorum amicitia utebatur, aut nunquam, ut Ioannes Cochanovius et Nicolaus Reyus, aut raro parceque commemorantur, praesertim si a Chiliasticho carmine recedas, cuius propositum pleniorem partium ecclesiae romanae recognitionem requirebat. At circa remunerationes sportulasque aut assequendas aut grata memoria prosequendas, circa acutas inimicorum irrisiones invectionesque musa eius praeter modum fere versatur. Regem

fatigat saepissime precibus de pecunia sive debita sibi, sive affectata (II, 23—31), Radivilum Rufum (II, 103 sq.) et Myschovium (II, 108, 28, II) adit pro novo munere a rege impetrando, ab Augustino Rotundo petit, ut rem suam regi commendare velit (II, 216 sq., V), a Chodkievicio atque Zalevio thesaurario, ut sibi pensio annua citius numeretur (II, 125, XV; 251), a Kostka equis suis avenam (I, 278), a quodam pellem promissam (II, 234, XLVIII), ab aliis equos (II, 201 sq., 26; 233, XLV); Samueli Maceovio gratias agit pro auro donato (II, 50 sqq.), Carncovio pro lignis ad toleranda frigora missis (II, 165 sq.), Radivilo pro sapphiro largito (II, 105), Scassevio pro amplis muneribus (II, 243 sq.) Cervino, canonico mednicensi, pro hospitio atque piscibus sibi missis (II, 183, 4), Baltazari Simosevio pro equo donato (II, 241); archimagirum et pincernam aulae regiae lacessit propter mensae vitia (II, 239), abbatem pelplinensem detestatur ob potionem abominandam sibi in hospitio appositam (I, 277); accusat Grodnam urbem pagosque Straż et Parcanias, quod ibi aliquando non invenerit, quo commode deverteretur (I, 278; II, 125, XIV; 271), queritur apud Ioannem Firleium, regni mareschalcum, quod sibi Varsaviae idoneum hospitium non sit assignatum (II, 157 sq., III—V). Quarum similiumque quisquiliarum carminibus mandatarum taedia minuuntur quadamtenus forma eleganti atque faceta, qu a Royzio talium artifice proferuntur. Magis vero offendimu eis carminibus, quae Royzius pro certa mercede constitut haud raro scripsit, nisi poetam communi illius aevi consue tudine et precibus ambitiosorum hominum, quibus onerab tur atque concedebat, excusare malumus. In quo numer sunt multa epitaphia, quae cum praeter versus saepe etia prosam contineant orationem, aut eandem sententiam plurie varia forma expressam repetant, ipsa rationem usumque, c debentur, satis diserte produnt. Quin nonnullis vivis pete tibus scribi a Royzio epitaphia in sepulcris ponenda cer exstant vestigia (II, 139; 144; 225; 231). Martinus Krzcz novicius, nobilis Lituanus, Royzio, si epithalamium sibi scri sisset, se equum donaturam pollicitus est. Quo composi

missoque Royzius, cum frustra equum promissum exspectaret, carmen scripsit, in quo iocatur, equum aut pedibus esse captum aut e stabulis profugisse, cum tam longo tempore non veniret ad eum, cui esset destinatus (II, 201 sq.). Praeter epitaphia epithalamiaque multa minora carmina variis rebus, ut stemmatibus, libris, imaginibus, tormentis, aedificiis, horologiis, illustrandis aut celebrandis inscribenda a Royzio componebantur (II, 16, XVII; 280—285; 134—137; 111; 168 sq.; 170; 337; 485—487).

Praeterea misit saepe Royzius fautoribus amicis familiaribusque non solum, quos ipse composuerat, libros, sed etiam rara aptaque aliorum auctorum opera eisque adiungebat sua carmina commendaticia sive propemptica. Haud raro etiam amicorum suorum opera in publicum edenda similibus carminibus, quae illorum temporum more aut praemittebantur textu aut postponebantur, comitabatur atque commendabat. Atque musa illa subsiciva sollemnisque, quamquam minus honorifica, sterilem se non praestitit poetae, qui cum se circa a. 1550 totum fere ad iudicis officia contulisset, senex expertum se esse iniquam Dicen deam conquestus sit, quod pecuniae carminibus partae expertem se reddidisset (II, 221, V).

Royzius, quamquam Polonos summatim laudat vicinisque gentibus humanitate praestare fatetur (II, 267, 26), tamen vitia eorum nec celat nec dissimulat. Ipse vini lautarumque cenarum amator, Polonos tamen in eadem re iustum modum excedere persaepe queritur, animos eorum ad imitandos exterorum mores habitusque, ad profusam luxuriam, licentiam discordiamque pronos, notat, interdum etiam firmiora pietatis amorisque vincula inter proxima cognatione iunctos desiderat (II, 265 sq.). Est tamen interdum, ubi indulgeat vix tolerabilibus. Nam plecti capite furta plebeiorum ex polonae legis praescripto, id quod antea Fricio Modrevio assentiens indignabatur (II, 207 sq.), in Decisionibus lituanicis (III, 393—395) eo excusari posse scribit, quod in Polonia rustici plebei ad furta nimis sint proni. Lituanorum Samogitarumque ingenia atque mores minus quam Polonorum ei

probantur; etenim etiam apud illos regnare ebrietatem, praeterea Vilnae furum immensum esse numerum, denique dolos malos, fraudes furtaque pervulgata esse apud rusticos Lituaniae Samogitiaeque (II, 269 sq.), eiusque rei causam suspicatur esse vicinitatem contactumque Moscovitarum, quibus haec vitia praeter modum sint familiaria (Decis. lit. III, 538 extr.). Ipsa itinera in Lituania facere admodum esse difficile et molestum, non esse enim, unde cibum potumque idoneum emas, deversoria autem atque hospitia carere omni cultu humano (I, 240 sqq.); haec ipsa tamen leviora esse prae difficultatibus itineris per Moschorum fines inhospitales suscipiendi, quas atris coloribus depingit Canobio, papae legato ad Russorum imperatorem tendenti (I, 209 sqq.).

Royzius cum legum iurisque esset peritissimus ingenioque acerrimo humanioribus artibus exculto excelleret, potius disputator promptus acutusque, quam orator eloquens fuisse videtur, ipsaeque eius partes in dantiscano motu sedando eo ducunt, ut eum tradendo iuri causisque iudicandis, quam legationibus obeundis rebusque publicis componendis aptiorem fuisse suspicemur. Vividus enim animus eius facile ultra, quam par erat, effervescebat, carebatque cum necessaria aequitate atque tranquillitate, tum etiam taciturnitate atque calliditate, quibus viro vere civili opus est. Haec tamen vitae publicae aulicaeque impedimenta in convictu privato cariorem fere eum reddebant, moribusque integris, comitate et humanitate non fucata, facilitate atque loquacitate facile assequebatur, ut ab honestissimo quoque diligeretur, ab eruditissimis vero inter doctissimos numeraretur. Neque vero multorum iras aut odia in eum id excitavit, quod vitiis pravisque civium moribus minime pepercit, agnoscebant enim vulgo homines prudentes nasci id ex vero Poloniae amore, quam alteram patriam Royzius singulari studio esset amplexus neque solum ei, qui iudiciis eius assentiebantur, sed etiam qui quadam ex parte ab eo dissentiebant. Itaque et rex ipse in decreto suo propensam erga se suosque Royzii voluntatem agnoscit (ossol. ms. 180, 106), et Andreas Tricesius, cum in ignotum calumniatorem ob editum poema Chiliastichon Royzii

obtrectantem acerrime invehitur, egregiam eius famam in memoriam revocans gentis polonae amicum eum dicit adicitque superiorem eum esse, quam cui calumniae nocere possint (Tricesii Silvarum lib. VIII, Crac. 1568). Alio loco idem Tricesius studium atque amorem suum ei profitetur his verbis (Epigr. lib. II, Crac. 1565):

Vir clarissimo et undecunque amico,
Musarum decus elegantiorum:
Hoc cum tempore saepe cogitarem,
Donandus tibi qui libellus esset,
Non alter mihi visus inter omnes,
Qui te dignior esset atque praesens
Vatis Maeonii sacrum poema,
Qui vatum pater atque fons perennis
Magno dicitur omnium favore:
Exemplum tibi, quod sequaris, ut sit,
Quando sarmaticae cruenta gentis
Magno pectore bella detonabis,
Et deformibus eruos tenebris
Nomen Lechiacum ducesque primos.
Ergo fronte hilari cape hunc libellum,
Ut sit Tricesii tui sodalis,
Qui te sic amat, ut suos ocellos,
Tempus mnemosynon tibi per omne:
Seu tu hyperboreo sub axe vives,
Seu fines patrii coles Iberi.
Sic venam tibi carminum perennem
Dent Phoebus pater et novem sorores,
Sic blandae Charites Venusque diva
Aspirent tibi gratias, lepores
Immortaleque largiantur aevum,
Vir clarissime et undecunque amice.

Laudibus praecipuis effert eum etiam Nicolaus Reyus singulari carmine de eo composito (Zwierzyniec ed. Bruchnalski pg. 154): illum limis quidem esse oculis, sed mente recta, multosque ex Italia Germaniaque advenas in Polonia virtutibus superare et veluti natum Polonum id potissimum agere, ut Poloni omnibus bonis artibus exornentur. Neque dubito, quin multa alia aequalium amicorumque honorifica de Royzio testimonia in lucem promi possint, vix tamen quisquam protulerit ampliora, quam quae et latina et polona lingua con-

scripta Ioanni Cochanovio, poetarum polonorum tum principi debentur. Is enim ita de eo iudicat (edit. varsav. vol. II epigr. 33):

Ultima te produxit Iberia, docte Royzi,
 Erudiit Latium, sarmatis ora fovet,
Nec gens ulla adeo est a nobis dissita, quo non
 Ingenii penetret fama secunda tui.

Aliud eiusdem epigramma (ib. 75) carmina ab eo Royzi dono missa esse declarat:

Spica datur Cereri, pulchra datur uva Lyaeo,
 Floribus ornatur Chloris et ipsa suis:
Hoc pacto neque ego videor errare, Royzi,
 Qui, quamvis vati, carmina dono tibi,

alia convictus familiaris utriusque viri clara servant vestig (ib. 23; conf. II, pg. 356, 14):

Quae haec est invidia, o Phoebo dilecto Royzi,
Ut cum socraticis sermonibus et sale multo
Me respersisses primum, spumantibus idem
Mox pateris plenoque incautum immerseris auro?
Aurea ut illa quidem tua dicta omnesque lepores
Exciderint mi animo, neque quicquam praeter iaccho
Plena domum attulerim et somno nutantia membra

Royzius corporis colore erat fusco (II, 226, XXII), vu paene deformi, oculis eminentibus limisque, et ita debilib ut ad eorum vim sustentandam vitreis uti usque cogeret Barbam nutriebat intonsam (II, 226, XXII; 238, LXIV s 253 sqq.; Reyi epigramma supra designatum). Valetud fuisse eum infirma, praesertim febribus obnoxia, ex eis, q supra de eius vita adtuli, satis elucet. In Decisionibus e lituanicis, Francofurti ad Moenum a. 1570 typis expres in prima charta titulum libri exhibenti, exstat delineata cies consessus iudicum in causis cognoscendis occupator In quo consessu imago iudicis, adversus praesidem in l prima collocata, tam accurate refert vultu ea, quae Roy propria fuisse modo monui, ut eam esse Royzii ipsius, f tasse ad exemplar a Tricesio paratum expressam, cum fa persuasum haberem, supra inter pg. VIII atque IX repetend curaverim.

V. Royzii scripta, quaenam innotuerint et qua ratione servata sint.

Royzium, cum circa quadragesimum demum vitae annum Cracoviam venisset brevique amplioribus carminibus editis innotuisset, vires suas iam ante adventum in Poloniam in poesi expertum esse et facile suspicamur et disertis edocemur indiciis. Certe tradit Andreasius eum etiamtum, cum in Italia commoraretur, composuisse et maius poema quoddam, cuius ne titulus quidem nobis notus est, et epigrammata, quorum pars etiam typis in Italia edita esset (conf. supra par. I, pg. XI). Sed haec aut deperiere aut delitescunt in bibliothecis; mei quidem conatus ea adipiscendi ad irritum redacti sunt. Certe ea ad vitam Royzii accuratius cognoscendam aliquid afferre potuerunt, abesse eadem ab hac editione minus est dolendum reputantibus carmina, in Italia a poeta Hispano vix tum se ad Polonos migraturum praevidente composita, terminos huius corporis fere excedere. Ceterum huius iacturae dolor, ne nimis augeatur, ipse poeta dehortari videtur, qui nusquam, ne occasione quidem data, cum multa vitae ante adventum in Poloniam actae commemoret, primitiorum musae suae illius temporis faciat mentionem.

Iam eorum in numero, quae apud Polonos composuit, duo erant opera prosa oratione scripta, quae quoniam ab hac carminum editione aliena sunt, hoc saltem loco accuratius describere placet. Alterum, manu solum ad privatum capituli mednicensis usum scriptum, hunc titulum praeferebat: „Constitutiones ecclesiae cathedralis mednicensis seu Samogitiae. Sub Sigismundi Augusti principatu, Pio IV pontifice maximo ad romanae, Ioanne Prerembio ad gnesnensis, Ioanne autem Domanovio ad huius mednicensis seu Samogitiae ecclesiae gubernacula sedente, anno post Christum Deum servatorem nostrum natum primo et sexagesimo supra milesimum et quingentesimum, mense septembri. Auctore reverendo domino Petro Royzio Maureo Celtibero, viro patricio, regio iurisconsulto atque consiliario eodemque protonotario apostolico atque comite palatino, huiusque ecclesiae cathedralis mednïcensis

canonico". — Manuscriptum hunc, quem Ianocius in bibliotheca quondam zalusciana Varsoviae vidit, titulumque eius, ut supra dedi, descripsit, nunc Petropoli, quo zalusciana translata sunt, delitescere verisimile est. Alterum opus a Royzio soluta oratione anno post compositum atque a. 1563 Cracoviae typis editum ita inscribitur: „Decisiones Petri Royzii Maurei Alcagnicensis regii iurisconsulti de rebus in sacro auditorio lituanico ex appellatione iudicatis. Ad Sigismundum Augustum, Poloniae regem, principem optimum maximum. Cracoviae excudebat Matthaeus Siebeneycher anno a Christo Deo servatore nato tertio et sexagesimo supra millesimum et quingentesimum, mense aprili". Inde a secunda libri charta usque ad undecimam praemittitur operi epistula ab auctore ad regem die eius natali Vilna a. 1562 data, variaque de iuris imprimis romani auctoritate, de rerum Poloniae publicarum condicione deque ipsius auctoris persona continens. Sequuntur quinque decisiones totidem libris expositae. Ad calcem additur locupletissimus rerum index. Opus hoc, eruditione plenum, criticum iuris peritum desiderat, gravitatem tamen auctoritatemque eius id indicare videtur, quod bis postea, primum Francofurti ad M. a. 1570 apud Martinum Lechlerum, deinde post mortem Royzii a. 1572 Venetiis apud Bartholomaeum Rubinum excusum est. Quid vero conferat ad iudicium de humanitate doctrinaque Royzii constituendum, infra parte proxima adnotabo.

Restant carmina a Royzio in Polonia scripta, quae sola hac editione repetuntur. Eorum minorem partem Royzius typis evulgavit, multo maiorem manu solum scriptam reliquit. Typis editorum titulos condicionesque, quoniam in polona mea de Royzio dissertatione (Crac. 1897, pg. 88 sqq. = 128 sqq.) accurate descripsi eaque, quae maxime ad rem pertinere videntur, etiam hoc libro partim supra in vitae Royzii descriptione, partim in adnotationibus infra edito textu adscriptis idoneis locis exhibui, hoc loco repetere supervacaneum putavi. Illud moneo a Royzio inde ab a. 1543 ad a. 156[illegible] quattuordecim plerumque maiora carmina seorsum in lucem esse missa hoc fere temporis ordine:

1. De apparatu nuptiarum Sigismundi Augusti et Elisabes (I, 29—41); 2. Carmen funebre in obitu Gamrati (I, 93—98): 4. Ad Samuelem, episcopum cracoviensem designatum (I, 227—230); 4. Carmen tumultuarium adversus astrologum quendam (I, 251—257); 5. Ad Nicolaum Radivilonem epithalamium (I, 72—79); 6. Inclito Quiritium regi Ferdinando in divae coniugis Annae obitu (II, 309—315); 7. Carmen de sto. pontifice caeso sive Stanislaus (I, 3—16); 8. Historia funebris in obitu divi Sigismundi, Sarmatiarum regis (I, 99—117); 9. Nenia in funere Samuelis Maceovii (I, 118—125); 10. Ad Sigismundum Augustum regem carmen consolatorium (I, 217—223); 11. Ad proceres Polonos de matrimonio regio (I, 197—208); 12. De apparatu nuptiarum Sigismundi Augusti regis et Catharinae (I, 61—71); 13. Chiliastichon (I, 159—196); 14. Carmen funebre in obitu Io. Tarnovii (I, 126—133).

Carmina huius ordinis 4, 5, atque 7 carent notis anni locique, quibus edita sunt, tempora tamen eorum facile definiri posse in editione idoneis locis exposui (conf. Kwartalnik historyczny, Lwów 1898, II, pg. 301 sqq.), Cracoviae autem, sicut cetera, etiam ea prelum subiisse verisimile est. Exemplaribus eorum usus sum in bibliotheca ossolinea Leopoli asservatis praeter carminis 3 atque 12, quae Cracovia ex bibliotheca ducum Czartoryski in usum meum ascivi. Adhibui etiam czartoryscianum exemplar alterius editionis carminis 1. Ceterum exemplar czartoryscianum carminis ad Samuelem (3), quod solum mihi innotuit, media parte truncatum est.

Praeter haec maiora multa minora Royzii carmina aequalium carminibus ex consuetudine temporis illius immixta, aut, ut saepissime accidit, amicorum libris commendationis loco praemissa vel ad calcem addita, in Polonia edebantur. Ex hoc genere innotuerant mihi haec: a) Andreae Fricii Modrevii oratio secunda de poena homicidii, Crac. 1545 (II, 207 sq.); b) Rubricella cracoviensis quottidiana a. 1546 (II, 54, III, ubi falso notatur a. 1564); c) Hymni aliquot ecclesiastici, Crac. 1548 (II, 351 sq.); d) Ioannes Langus Silesius, Carminum lyricorum liber, Augustae Vindelic.

1548 (II, 304); e) B. Groicki, Porządek sądów prawa magdeburskiego, Crac. 1559 et 1562 (II, 195); f) I. Gorscii De generibus dicendi, Crac. 1559 (II, 193); g) Andreae Tricesii epigrammatum liber II, Crac. 1565 (II, 159 sq.); h) Io. Mączyński, Lexicon latino polonicum. Regiomontii Boruss. 1564 (II, 278, 46 et 47; 102 sq. VI); i) Ioan. Raduanus, Radivilias, Vilnae 1588 (II, 102 sq. VI); k) Herberstain, ... actiones suas .... commentariolo notatas reliquit, Viennae austr. 1560 (II, 305 sq.); l) Ipse Royzius in suis Decisionibus lituanicis frustula ex graecorum poetarum carminibus a se in latinam formam conversa publicavit (II, 491 sq.). Praeterea facile fore, ut plura etiam Royzii carmina breviora per illorum temporum libros editos dispersa reperiantur, fidem mihi facit gravis auctor Ossolinius, qui aetate illa vix aliqua opera in lucem edita esse sine admixtis poesis Royzianae flosculis asseverat. Altera tamen ex parte fieri vix posse, ut multa ex hoc genere deperierint aut delituerint, certum fere mihi est, cum ipsa ea, quae typis expressa esse modo notavi, plerumque etiam in libris manuscriptis Royzii serventur.

Accedo ad libros manu scriptos, quibus multo maior pars omnium carminum Royzii eaque nondum edita continetur. In hoc genere ceteris praestant duo formae maximae libri chartacei, paene gemelli, quorum copias si quis ad illa typis a Royzio ipso edita carmina adiunxerit, non multum ad ea, quae hac editione continentur, desiderabit. Est vero alter liber cornicensis bibliothecae nuper comitum Działyński, nunc comitis Ladislai Zamoyski, prope Posnaniam sitae (s. s. Literatura 95), 207 chartas continens, alter bibliothecae ossolineae leopolitanae (s. n. 159), chartis 174 nunc constans, uterque peritorum iudicio saeculo XVI conscriptus. Uterque liber satis luculenter, ossolineus etiam nitide, scriptus caret indice, sed cornicensis integrum textus initium servasse videtur, cum extrema quaedam eiusdem deperiisse subscriptus in ultima pagina solus carminis „In bibulos“ titulus (II. 263, 17) indicat, neque certum est, utrum tantum hoc carmen an plura iniquis fatis sint absumpta. His duobus amplissimis accedunt duo codices chartacei miscelli, et ipsi saec. XVI

scripti. qui nunc in bibliotheca caesarea publica petropolitana asservantur. Alter forma quarta signo Λam. Q. XIV, 130 distinctus (petropolitanum I cum voco) continet post aliorum carmina Royzii Epithalamium Sigismundi Augusti regis et Elisabes 14 chartis exaratum (I, 45—60), alter formae maximae nota $\frac{\text{I Ms.}}{\Lambda\text{am}}$ F. IV, 104 ornatus, quem petropolitanum II dico, pleraque soluta oratione saec. XVI scripta complectitur, quibus admiscentur in chartis 26 ad 31 Royzii Dirae (I, 263—268) et nonnulla plerumque minora carmina, quae in conspectu librorum ordinis huic praefationi adnexo suis locis nuncupabo. Uterque liber petropolitanus continet solum ea, quae iam codicibus cornicensi atque ossolineo servantur, discrepat tamen aliquoties graviter in Epithalamio atque Diris a textu his libris tradito. Quod cum iam maiore parte huius editionis typis excusa nactus libros petropolitanos cognovissem, ad calcem praefationis meae conspectum variarum hac parte lectionum proponam. — Duo faceta Royzii carmina asservantur in ultima charta manuscripti saec. XVI, qui est in bibliotheca comitum Krasiński varsaviensi complectiturque Cricii poemata. Quorum alterum (I. 240 sq.) etiam cornicensis liber exhibet, alterum (II, 263 sq.) solum ex illo libro innotuit. Baccheidem praeter librum cornicensem exhibet navrensis saec. XVI (cf. I, 233, adn. 1.). Unum epigramma (II, 283, XIV) debetur soli libro stockholmensi, de quo rettuli II pg. 280 adn. 1, aliud (II, 7, 4), ab ipso Royzio typis editum, legitur, ut a Jos. Przyborowski liberaliter per litteras edoctus sum, inter alia in Actis tomicianis bibliothecae ordinationis zamoscianae varsaviensis (n. 2858, tom. 23) in pentametro ita immutatum: „Rex hic, haec noxa est, pacis amicus erat“.

Haec innotuere mihi Royzianorum carminum fundamenta manu scripta. Inter quae cum librum cornicensem et ossolineum materiae ab ipsis solum servatae copia facile principem obtinere locum certum sit, ad eos redeo paucis repetiturus, quae uberius in mea polona de Royzio dissertatione exposui. Sunt igitur hi duo libri et servatorum carminum ordine et ipsa textus conformatione inter se perquam

similes, nisi quod ossolineus et satis grandi prima extremaque parte et quibusdam mediis libri corniconsis particulis truncatus est, id quod ex conspectu ordinis Royzianorum infra propositi apparet. Ossolineum quondam integrum fuisse idoneis locis excisa folia declarant, pleniorem tamen cornicensi non fuisse in mea polona de Royzio dissertatione demonstrabam. Neuter liber ab ipso Royzio neque scriptus neque correctus est, id quod praecipue ex vitiosa interdum et textus et correcturarum et titulorum ratione elucet (II, 237, LX; 239, LXIX; 125, XIII; 206, 32; 298, 7; 315, III; 328, 2). Neque alterum ex altero, certe sine tertii cuiusdam libri auxilio, transscriptum esse satis diserta exstant vestigia (II, 239, LXIX; 30, XXIX, 10; 339, adn. 2; 354, adn. 3; 201, adn. 2; 477, adn. 1; 244, adn. 2; 78, adn. 3; 271, adn. 7 alia). ita ut veri simillimum sit utrumque eidem codici, ex confusis copiis, a Royzio improvisa morte superveniente derelictis, composito, originem debere. Ignoti illius compositoris id consilium fuisse videtur, ut a Royzio typis non evulgata quam verissime ad ipsius auctoris rationem collecta conformataque novo codice posteris relinqueret, quod consilium tamen obrutus, opinor, ipsa indigesta et non satis praeparata diversissimorum carminum mole, nusquam religiose tenuit accurateque exsecutus est. Nam cum vestigia in Royzii manu scriptis relicta premens in initio sui codicis carminum partem in Otiorum libros digerere coepisset (conf. infra Conspectum ordinis et II, 63, adn. 3; 71, adn. 1; 175, adn. 1), libris eis etiam aliena admiscuit (II, 56, adn. 1 et meae de Royzio polonae dissertat. pg. 106 sq. = 146 sq.), tertium vero inceptum ne absolvit quidem, reliquam carminum partem iam sine ullo temporum rerumve ordine in codice usque ad finem proponens. Quod si ita fuisse concesseris, facile etiam explicabis, cur quibusdam locis eiusdem argumenti carmina consocientur, neque tamen omnia (I, 275—279 alia), vel cur eadem carmina variis codicis locis repetantur (II, 320, adn. 1; 220. adn. 1; alia). Titulos singulorum carminum sine dubio a Royzio ipso superscriptos in eius copiis vir ille pius invenit, omissos tamen nonnullos vel non satis claros explica

tosve componebat et supplebat, ita ut quidam falsi genuinis admixti in codicem eius irrepserint (conf. II, 220, adn. 2; 240, adn. 5; 488, adn. 1). Quae cum ita essent, ordinem rationemque codicibus traditam sequi in hac editione neque debui, neque potui, praesertim cum exstaret ipsius Royzii testimonium de libris suorum epigrammatum, qui in nostris libris neque usquam distinguuntur, neque cum illa in libros Otiorum divisione apta ratione componi consociarique possunt. Epigramma enim ad astrologum, agricolae filium ad calcem carminis tumultuarii adversus astrologum quendam typis editum (I, 251, adn. 1 = II, 428, adn. 2) ipse Royzius adnotavit ex tertio Epigrammatum suorum libro depromptum esse. At in libris illis Otiorum manuscripti cornicensis, qui solus hanc partem servavit, continentur plurima elegantissimaque epigrammata, quae ab illis Epigrammatum libris vix abesse potuerunt. Si quis vero suspicetur eosdem libros a Royzio vel Otiorum vel Epigrammatum nomine esse inscriptos, huic respondere licet, idem illud epigramma „In astrologum" legi in ea parte utriusque libri manuscripti, et cornicensis et ossolinei, quae Otiorum libris debitos terminos procul dubio excedat. Itaque et dubitandum non est, quin ipse Royzius carmina sua in otiorum epigrammatumque libros distinxerit, et restitui eam divisionem his auxiliis, quae mihi praesto sint, non posse certum habeo. Quibus de causis meam ad rerum copiam diversissimamque naturam accommodatam rationem, qua prae ceteris perspicuitati consuluisse me confido, in edendis his carminibus secutus sum. Ceterum etiam temporum, quibus singula scripta sunt, quantum ratio mea patiebatur et idonea testimonia vel indicia suppetebant, in ordinandis carminibus respexi.

VI. Royzii carmina aestimantur.

Ad Royzii carmina accuratius aestimanda iam accedo. Ea explent quindecim fere milium et trecentorum versuum numerum, qui etsi longe abest ab illis Filelfi versuum my-

riadibus, componi tamen potest cum Ovidiano, superat vero eum, quem sive aequales sive posteriores latinorum carminum in Polonia auctores reliquerunt. In quo numero sunt 7400 versus hexametri dactylici, plus 7300 elegiaci, 550 fere hendecassyllabi phalaecii et 24 unius carminis metro sapphico minore compositi. Eorum tertiam solum partem, qua plerique hexametri dactylici et exigua pars versuum elegiacorum phalaeciorumque continetur, ipse poeta typis vulgavit.

Hexametro dactylico composuit vulgo ampliora et graviora, ut enarrationes rerum actarum (I, 3 sqq.; 24 sqq.), descriptionesque sollemnium in nuptiis, muneribus ineundis funeribusque celebratorum (I, 21 sqq.; 45 sqq.; 61 sqq.; 74 sqq.; 80 sqq.; 99 sqq.), in quibus tamen saepe minus in describendis rebus, quam in praedicandis principum personarum virtutibus versatur, sive singularum pompae partium ignoratione, sive extollendi eos, in quorum laudem canit, studio ductus (conf. I, 93 sqq,; 119 sqq.; 126 sqq.; 227 sqq.; II, 84 sqq.; 114 sqq.; 119 sqq.). Ad carmina funebria proxime accedunt epitaphia eodem metro scripta, longiora quidem illa et vitas defunctorum quadamtenus adumbrantia. Quibus magis respondere metrum elegiacum, quod ipse Royzius interdum ad eius modi argumenta usurpavit, facile concesseris, tamen ne hexametri quidem dactylici in simili materia desunt antiqua exempla. Nam et Statius Silvarum gratulatoria epicediaque, et Claudianus panegyricos suos, et iam primo nostrae computationis saeculo ignotus auctor Panegyricum in Pisonem hoc metro composuerunt; quin etiam Augusti panegyrico L. Varius hanc formam indidit. Eodem metro in carmine consolatorio ad Sigismundum Augustum regem Royzius usus (I, 217 sqq.) recessit quidem a forma auctori Consolationis ad Liviam de morte Drusi probata, potuit tamen Statium nuncupare auctorem. Epigrammatum denique breviorum formam eandem, raram apud antiquos, apud Royzium paulo frequentiorem (I, 287; 298; 301; II, 27 sq.; 29; 136 sq.; 164; 207 sq.; 220; 250; 274; 306; 361; 475; 488), diserte defendit ipse Martialis epigr. VI, 64.

Neque tamen his ipsis satis amplis terminis circum-

scripta est apud Royzium hexametri dactylici provincia: adhibuit enim idem metrum etiam ad frequentia carmina, quibus libros ad amicos patronosque missos prosecutus est, deinde ad didascalica et satirica (I, 137—214; 233—244) Horatii, opinor, satirarum epistularumque formam secutus.

In hoc genere carminum hexametro dactylico expressorum sunt praesertim inter epitaphia atque propemptica nonnulla, quae minus probaveris, continentur tamen etiam ea, quae et amplitudine et argumento formaque ad classicorum elegantiam proxime accedunt, ut Historia funebris in obitu Sigismundi I (I, 99 sqq.), Epithalamium Sigismundi Augusti et Elisabes (I, 45 sqq.), Nenia in funere Maceovii (I, 118 sqq.).

Transeo ad carmina metro elegiaco condita. In quo numero sunt prae ceteris epigrammata, a Royzio plerumque ad Martialis, interdum etiam ad Catulli speciem tractata, in eisque nonnulla suis exemplaribus mea opinione vix inferiora (conf. II, 224, XVI et XVII; 225, XVIII; 226. XXII; 228, XXVIII; 230, XXXV; XXXVI; 231, XXXVIII; XXXIX; 232, XLIII: 233, XLV; 238, LXIV; 239, LXVII—LXIX; 400, III; 401, 4; 411, X; 413, XVII; 418, V; VI; 423, XXIII; XXIV; 429, I; 431, VI; VII; 432, III; 443, XII; XIII; 444, XVI; 449, VI; VII; 450, X; 453, III; 458, II; 462, V; 469, VI; 484, LXXVIII). Quibus argumento simillima formaque eleganti proxima sunt quaedam ampliora, quae satiricorum nomine in hac editione sum complexus (I, 245—247; II, 381—395). Etenim Martialis epigrammata distichis elegiacis scripta raro 20 versuum numerum excedunt neque id casu sed consilio factum esse ex v. 4 epigr. 64 lib. VI elucet, ita ut Royzius, cum ampliora hac forma donaret, non Martialis, sed fortasse Lucilii aut Ovidii quarundam elegiarum argumento similium (Amor. I, 8; II, 14; III, 8; Trist. I, 8; III, 5; V, 6 et 11; ex Ponto IV, 3) vestigia pressisse videatur. Ceterum praeter Royzium multi alii illius aevi poetae idem sibi licere arbitrati sunt.

Ab hoc genere poesis Royzianae facilis est transgressus ad illa, quae lyricum quoddam sapiunt; continent enim diras minasque in nefarios invisosque homines disticho elegiaco

emissas. Quo in numero sunt duae elegiae Ovidianae (Trist. IV, 9; V, 8) et Royziana illa Invectio in praesulem quendam (I, 258—262); ardentissima vero copiosissimaque eius modi invectiva est Ovidii Ibis, ad exemplar Callimachi concinnata, quam Royzius, cum bene cognitam memoria teneret, in suis Diris (I, pg. 263 sqq.) procul dubio secutus est. Argumenta vere elegiaca, si a longioribus epitaphiis recedas, raro hoc metro modulatus est Royzius, ut illos Ad Tomitii manes planctus (II, 37 sq.) vel carmen In obitu Georgii Bona (II, 331 sq.); idem tamen usus est eo aliquoties auctore Ovidio in propempticis, quibus carmina sua, amicis virisque illustribus missa, commendabat. Eodem denique metro enarrabat res gestas (I, 22 sq.; 273 sq.; 281 sqq.) ad speciem ultimi libri Propertiani vel similium in Fastis Ovidianis locorum.

Multo rarius hendecasyllabi phalaecii formam Royzius in usum suum vocavit, ideo, ut suspicor, quod est ea forma potissimum lyricis partibus familiaris, a quibus extra epigrammatis terminos ingenium eius fere abhorrebat. Metrum hoc usurpasse fertur in carminibus suis prima Sappho susceperuntque continuo alii poetae non solum melici, sed etiam dramatici ad partes lyricas exornandas. Idem in deliciis erat apud poetas alexandrinos, quos in eodem genere aemulati sunt Romani praesertim inde a Catulli aetate. Unde facile evenit, ut etiam post renata antiquitatis studia levis illa forma metrica crebros haberet amatores. Apud Polonos iam Paulus Crosnensis in hoc metro vires suas expertus est, nec post eum defuere, qui foverent. Noster hendecasyllabum phalaecium continuit intra eosdem fere fines, quibus apud Catullum Martialemque est circumscriptus, expressitque hoc metro intra paucarum stropharum spatia singulos animi sui affectus, prout res tulerant, laeti maestive, indignabundi vel desiderio aut pietate gratiave commoti. Ac saepissime quidem utitur hac forma ad libros suos commendandos (II, 315 sq.; 292 sq.; 298 sq.; 326—329; I, 196); ceterum eadem exprimit maerorem ex Carneovii valetudine male affecta (II, 170 sq.), gaudium ex restituta (II, 172 sq.), hortatur eundem ad novos canones

edendos (II, 173 sq.), componit carmen nuptiale in honorem Radivili Nigri (I, 78 sq.), prosequitur votis victoriaeque ominibus Radivilum Rufum expeditionem livoniensem ingredientem pro sapphiro sibi donato (II, 105), gratias sinceras agit Scassevio pro muneribus toties sibi oblatis (II, 243 sq.), profitetur gratum in Augustinum Rotundum animum (II, 217 sq.), celebrat Bononiam (II, 345 sq.), canit resurrectionem Domini (II, 362), explicat summum Christi de amore praeceptum (II, 358 sq.), laudat vitam caelibem (II, 364 sq.; 374), invehitur in Clefeldii perfidiam (I, 296 sq.), exagitat avaritiam (II, 233) et ambitionem (II, 413), deridet perfidiam (II, 429; 229), vanitatem (II, 416; 453; 470), exprobrat Rubellio, quod benevolum animum in ipsum, simulans verbis, factis redarguat (II, 237), urget Mundium quendam ob iniuriam Augustino Rotundo illatam poena afficiendum (II, 218), denique Ioannem Tarnovium, virum summum, vita defunctum inducit de suis institutis rebusque gestis loquentem (II, 79 sq.).

Semel tantum, quod cognitum habeam, in carmine ex verbis latinis polonisque festivum in modum mixto usus est Royzius metro sapphico (II, 263 sq.).

Alia metra respuit Hispanus poeta, id quod iure mireris imprimis in iambici versus formis neglectis, quas saepius et a Catullo Martialeque et ab Andrea Alciato, Royzii magistro, usurpatas esse videmus.

Royzium in carminibus latinis verbis miscuisse polona iam supra monui. Ex hoc genere est eius carmen In lituanicam peregrinationem (I, 240 sq.), sapphicum in bibulos (II, 263 sq.) et epigramma ad Io. Firleium scriptum (II, 158, IV). Similiter iam antiqui graeca latinis miscebant. Sed Lucilius in satiris, M. Varro in suis menippeis, Cicero in epistulis hunc morem continuerunt inter eosdem fere terminos, in quibus nos aliquando in sermonibus polonis francogallica germanave usurpamus, primus vero antiquorum, qui composuit carmen id genus, cui nunc macaronico nomen inditum est, fuit Ausonius (ed. Peiper Lips. 1886, pg. 232 sqq.) Festivum hoc comicoque colore infectum poesis genus, iam XV post Chr. n. saeculo ab Italis repetitum, ad perfectioris for-

mae speciem excoluit Theophilus Folengus († 1544), nec defuere eodem fere tempore apud Germanos, qui hanc rationem sequerentur, apud Polonos vero Royzius in hoc genere Io. Cochanovium praecessisse videtur.

In versibus pangendis sequitur Royzius legem, si non omni ex parte a summis antiquitatis artificibus, at certe in universum a bonis auctoribus probatam. Nam vix vituperationem incurrat, quod „ōră stŭpensque" versu incluserit, cum iam Horatio idem licuerit (I, 39, 241). Eidem, cum De apparatu nuptiarum Sigismundi Augusti et Catharinae (I, 63, 74) scripsisset:

. . . . . . inclita regum
Gens, Catharina, vĕnī vĕnī omnis Sarmata clamat

absque dubio Vergilius (Ecl. 3, 79; 6, 44) Ovidiusque (Metam. III, 501) auctores obversati sunt, quamquam hiatus et ipsa in hiatu correpta prima vocalis excusatur apud eosdem naturali fictae echus imitatione et bucolicae caesurae natura, id quod in Royzianum versum non cadit. In eiusdem carminis v. 3 (I, 61) hiavit post primam tertii pedis hexametri dactylici partem ad Horatii, opinor, exemplum (Carm. I, 28, 24) contempsitque Gellii praeceptum (VI, 26), qui solum eisdem dŭabus vocalibus concurrentibus id licere animadvertit. Alius deinde hiatus in caesura bucolica versus heroici (II, 448, II) excusatur simili Aeneidis loco (I, 403). Ipsa insolita quantitas syllabarum vocis „quōtīdīānus" pro sollemni „quŏtīdīānus" (I, 293, 36) nititur, ni fallor, Catulli carminis 68 v. 139 textu manu scriptis tradito, quamquam totus hic Royzii locus suspectus est, siquidem v. 35 tradita forma „iniuria" pro nominativo habita repugnat syntacticae, pro ablativo vero accepta metricae rationi. Martialem secutus „smaragdum" paenultima brevi v. 6 carminis De apparatu nuptiarum Sigismundi Augusti et Elisabes usurpavit (I, 29, 6). Ulae sive Ullae arcis nomen in epigrammatis partim syllaba prima longa (II, 19 sqq., epigr. I—XXXVII; 124, IX), partim brevi (II, 23, XVIII, 4; 124 sq., X—XII) versu inclusit. Licere sibi hoc in voce barbara, antiquorum auctoritate destituta, eo magis putavit, quod idem in aliis vocibus atque for-

mis admittebant iam antiqui, eorumque licentiam in ultima syllaba formarum adiectivorum verbalium in —ndo desinentium inde a Seneca philosopho usurpatam libenter est secutus (conf. II, pg. 312, epigr. XVII et XVIII). Non facile tamen excusari potest, quod formam „moechia“ (μοιχεία) praeter traditam normam pro dactylo admisit (II, 374, LXIX), abusus illo praecepto, quo vocalem ante vocalem corripi in lingua latina a grammaticis traditum est. Sed nulla iam ratione expurgare cum possum, quod forma „exōticas“ choriambum (II, 387, 28), forma „spīnīs“ iambum (II, 354 sq., 6, 7), forma denique „pūtūs“ trochaeum bis (II, 293, 36; 173. 14) explevit. Adnotandum tamen est illa gravissima vitia haerere in carminibus a Royzio ipso in lucem non editis.

Quamquam Romani nomina graeca syllaba ευς clausa partim ad graecam normam, partim ad suam, quae dicitur, secundam declinationem immutabant, tamen casu nominativo atque vocativo vocales „eu“ una syllaba ut diphthongum efferebant, rarissimeque ab hac ratione discedebant (Verg. Culicis vv. 116 et 268). At Royzius duobus locis id admisit, formam Porthmeus pro dactylo usurpans (I, 311, 206; II, 422, XVII, 2). Neque minus insolenter aliquoties nomen Augusti in secunda pentametri elegiaci parte per diaeresim ita distraxit, ut primas huius nominis vocales pro duabus brevibus computaret (II, 12, IV, 2; 26, X, 4; 27, XIII, 2; 29, XXIV, 2). Sed in pentametri elegiaci structura creberrime a severioribus, praesertim Ovidio probatis legibus, Royzius descivit. Nam saepius et ante pentametri caesuram et in exitu syllabas breves et monosyllaba collocavit (II, 393, 32; 313, XIX; 193, I; 429, XIV, 4; 341, 6, 4; 354, 5, 6; 381, 18, II; 382, 24; 391, 4; 390, 4; 193, 16, 4 et I; 356, I et II; 424, I, 4; 310, IV; 314, XXVI, 4), conclusit passim hunc versum vocibus longioribus quam bisyllabis, elidique crebro vocales in altera parte est passus (II, 304, II; 290, IV; 301, II, 4; 308, 7, 8; 317, I, 4; 325, 17, 2; 333, 5, 2; 354, 5, I, 6; II, 4). Sed quae modo in pentametri Royziani structura minus placere animadverti, eius modi sunt, ut eis nec Catulli, nec antiquorum Ovidii successorum, nedum eorum,

qui post renata antiquitatis studia scripsere, carmina prorsus careant, quamquam accuratius scrutanti concendendum est Royzium hac parte saepius, quam Catullum Martialemve, peccare.

In elocutione Royzius rarissime traditam ab antiquis deseruit rationem. Qua in provincia sunt: adiectivum „ansanctus" (sanctissimus), antiquis ignotum (I, 13, 307; 108, 264, ubi me „intactum" ex coniectura edidisse nunc paenitet), verbum „vilere", pro quo antiqui, eique ipsi iam senescente latinitate „vilescere" usurpabant (II, 47, II, 3), verbum ructandi verbi edendi vi ecclesiasticorum scriptorum more admissum (I, 13, 299), „infernum" singulari numero a quarto demum post Chr. n. saeculo usurpatum (II, 373, LXII), „ditia" eadem notione atque inferna (II, 373, LX), „nenia" plurali generis neutri numero (I, 118, 6) „dorca" (δόρκη) pro „dorcas" (II, 386, 6, 9), „infrenduit" ad exemplar perfecti „frenduit" in vulgata sanctae scripturae versione usurpati (I, 177, 460). Accedit, quod contra morem optimorum scriptorum temporumque litteram v, perfectis simplicis verbi eundi propriam, etiam in compositis ita servavit, ut „adivit, redivi" similia fere constanter scriberet. Quod vero „ac" pro „atque" vocalibus sequentium verborum praemittebat (I, 109, 292; 185, 668; 198, 32), minus est culpandus nondum cognita lege, quam primus observavit Gabriel Faernus a. 1563 in nota orationi Ciceronis pro Flacco adscripta.

Ceterum, si summam rerum spectas, Royzius linguae latinae indolem ac naturam accuratius cognitam habuit, quam in singulis haerenti videri potest; callet ille quidem normas sermonis elegantis, penetrat tamen etiam ad priscae et ad posterioris, praesertim iuris peritorum elocutionis proprietates, imitaturque singula, sicubi necessarium commodumve ducit. Certe ex negativarum particularum usu hoc elucere videtur. Nam cum prisca aetate Romani ubique „ne, nec" particulis negabant, quarum partes enuntiativas in lingua elegantiore classicorum „non" (ex „ne oinom" ortum) occupavit, particulis „ne" ad prohibitivas, „nec" ad negationis coniunctione „et" auctae partes restrictis, Royzius aliquoties ad priscam

rediit rationem (II, 393, 21; 400, 2, 2; 315, epigr. v. ultimus; 143, I, 1 sq.; I, 238, 148) Tacito accedens, qui Historiarum l. I, c. 31 „et necdum" eadem vi, atque „et nondum" scripsit. Quae cum adnoto, non defendo debilem causam doctae confusionis temporum elocutionumque in ratione dicĕndi, sed Royzium non temere sed consulto ab optima norma in hac re discessisse contendo. Ita enim facilius intellegetur, quare Royzius interdum imperativis optativisve particulam „non" praemiserit (I, 62, 43; 147, 315 sqq.; II, 16, XIII, 5): scilicet conscius sibi fuit structuram hanc non elegantem quidem, sed tamen non solum priscis familiarem, verum etiam classicis hac illac tolerabilem esse visam (conf. Verg. Georg. I, 456; Ovid. Ars am. III, 131).

Est tamen, ubi abuti videatur Royzius licentia praesertim in usitata verborum collocatione immutanda, ut cum scribit inverso ordine „non ac" (II, 427, VIII, 4), vel „Haec etiam faciles et tribuere dei" (II, 456, 17, 6; conf. Martial. I, 103, 4), vel particulas „postquam" et „unde" in ipso exitu enuntiati collocat (II, 268, II; 269, 30, 3). Antiquorum poetarum licentiam servans Royzius saepius praepositiones ipsis nominum formis, ad quas pertinent, postposuit, easdemque audacter a nominibus alienis vocibus disiunxit. Itaque in eius carminibus legimus non solum „te sine" (II, 75, II, 17), „te contra dicito" (II, 426, VII, 10; conf. Martial. VI, 23, 4), „sine ducitur ullis consiliis" (I, 8, 132), „inter habere suos" (I, 228, 17), sed etiam „Pallade cum Mavors" (II, 80, XVIII, 2), id quod iam ab ipsa antiquorum licentia abhorrere mihi videtur. Praeterea liberior reperitur Royzius in usurpanda tmesi sive in verborum non solum compositorum, sed etiam simplicium partibus distrahendis. Praeter faciliora huius generis, ut „tiaram tempora cinge super" (I, 227, 2 sq.), aut „cui non ante ullus fuerit pietate ferendus" (I, 168, 234), legimus: „funera . . . ante tui cessoris" (I, 4, 6 sq.), quin etiam: „Bona — tu — ventura quid egeris" (I, 174, 376), et „Hac quoque te merito iactas pietate Sebasti — Ane"... (I, 194, 937 sq.). Unde facile apparet Royzium in nominibus metro aptandis non fuisse tam diligentem attentumque, quam

Ovidium, qui (Epist. ex Ponto IV, 12) Tūtĭcāni nomen reticere maluisset, quam aut metro aut usu trito sermoni vim inferre. Sed si in ea re nimiae audaciae accusetur Hispanus poeta, potest appellare ipsum Ennium auctorem, qui similiter „de — me — horitatur", „saxo cere — comminuit — brum", alia huius modi scripserit. Enni fragmenta non ignota fuisse Royzio inde conici potest, quod Andream Patricium in quodam Enni fragmento apud Ciceronem servato emendando adiuvasse traditur; ceterum locos similes Royzius potuit legere in legum XII tabularum fragmentis et apud Lucretium.

Sed etiam in aliis syntaxis partibus aliquando liberius se gessit Royzius. Catone maiore et Plinio minore auctoribus scripsit: „consulo ferre pedem" pro: „suadeo, ut feras pedem" (II, 113, II, 10), aliis locis utitur structura „iubeo indulgendum" „suadeo surgendum" (I, 56, 346; 342), imitatur scriptores ecclesiasticos, cum „potare aliquem" (II, 386, 6, 2) pro „potione recreare" usurpat; idem scribit: „quaeso affore sues" (I, 278, 8, 4), sequitur singularem locutionem Taciti iubendi verbum cum dativo copulantis (II, 418, VI, 1), auctore Seneca philosopho posterioribusque scriptoribus adhibet „incubare alicui" eadem notione atque „instare alicui" (II, 295, III, 4); coniungit ad Catonis maioris normam „secus" cum accusativo eadem vi atque „prope, ad" (II, 387, 18). Insolitis structuris adnumeranda est etiam verborum „haud patior" cum solo coniunctivo copulatio (I, 169, 244; 171, 294). Quibus ita comparatis vix offenderis in pronomine subiecti constructionis accusativi cum infinitivo hac illac omisso (II, 312, XVI, 5; 298, 7, 12 sq.) vel in indicativo interrogationis indirectae (II, 221, IV, 4; 23, XVIII, 5; 222 sq., IX, 2 et 4; I, 137, 10), vel in ipsa obiectiva sententia particula „quod" cum verbis dicendi sciendique coniuncta (II, 229, XXXIII, 14; 237, LIX, 1—4. Conf. Martial. XI, 64, 2), emergunt enim haec variis temporibus passim per diversas antiquae latinitatis species, nec sunt ab ipso antiquitatis imitatorum Royziique aequalium stilo aliena. Unum tamen hoc loco non possum facere, quin notem: Royzium bis a trita vulgarique temporum consecutionis norma in enuntiatis finalibus reces-

sisse, atque coniunctivum perfecti temporis cum praesenti sententiae primariae (II, 451, II, 10), deinde coniunctivum praesentis cum perfecto historico eiusdem ordinis sententiae (II, 290, II, 3) coniunxisse. Saepe talia commode ita explicantur, ut praesumpta ratione quadam logica ipsa formae condicio superata esse dicatur, mihi tamen utroque loco apud Royzium praecipue difficultates metricae vitiosam structuram prodidisse videntur. At cogitationis quadam aberratione oblivioneque factum esse opinor, ut Royzius consecutivam sententiam exorsus, alio enuntiato explicandi causa per parenthesin adiecto, rationis initae oblitus, veluti primariam, indicativo modo concluserit (II, 289, 7 sq.). Vitium vix excusandum vixque ipsi Royzio imputandum est denique illud „dignus auferre" pro „auferri" I, 230, 77. Confusione tamen illa pronominis reflexivi „sui, suus" partes pronominis „is, eius" ex vulgari antiquorum dicendi consuetudine magis magisque usque ad Laurentii Vallae tempora occupantis, iam carent Royzii carmina.

In delectu verborum singulisque cogitationibus adumbrandis exprimendisque et elegans Royzius est et acutus, si tamen in singulis sententiis verborum ordinem, in longioribus periodis enuntiatorum mutuam rationem copulationemque spectas, multis locis vix eum insolentiae cuiusdam inertiaeque crimine absolvere queas. Nam et in dislocandis verbis, quae inter se cohaerent, non solum tritum rationeque perspicuitatis probatum ordinem saepenumero deserit et plerumque nescit sententiarum circuitus ita concludere, ut quodammodo respirii singulaque cogitationis membra colligendi sit locus, sed etiam coacervandis enuntiatis enuntiatorumque membris novarum sententiarum additamentis illustrandis explicandisque fatigat nonnunquam legentis animum stilumque efficit paulo obscuriorem molestumque. Quae cum, quicunque Royzii scripta legerit, facile ita esse concedat, paucis gravioribus locis demonstraturus acquiesco. Atque haec habes specimina laxae cuiusdam languidaeque sententiarum copulationis: I, 229, 47 sqq.; 227, 1 sqq.; 5, 36 sqq.; 142, 142—152; 220, 112—124, inversionis soliti enuntiatorum ordinis: I, 172, 324 sqq.,

transpositi in alienum locum adiectivi attributique: II, 169, 5 sqq.; 169, 9 sq.; 233, 11, perplexi membrorum orationis ordinis: II, 134, 21 sqq.; 19, 1 sq., anacoluthiae: II, 360, 1 sq.—

Ceterum Royzius tantum abfuit, ut perplexas constructiones evitaret fugeretque, ut eisdem etiam delectaretur, scripsit enim epigrammata, quae primo obtutu sensu carent et nisi recto verborum ordine restituto intellegi nequeunt. Huc pertinent primum loci, quibus inter singulos versus partes enuntiatorum ita dispertiuntur, ut prima sede eorum subiecta, tum praedicata, deinde obiecta eodem ordine recurrant, ut II, 7, 3 sq.; 12, 2, 1 sq.; 29, XXIV, 1 sq. Sed haec quadam ratione singula disponendi nituntur, sunt tamen alia, quae eadem prorsus carent, nisi quod recto ordine restituto idem metrum efficitur, quod turbato explebatur ordine. Eius modi carminibus ipse Royzius implicitis nomen inscripsit, ut II, 174, XVIII; 487, XCVI et XCVII.

Sitne ipse Royzius inventor huius generis carminum vel quosnam auctores secutus sit, nescio, certum tamen est eiusmodi lusus pueriles certaminaque versuum insolita conditione pangendorum ad satis remota antiquitatis tempora, certe ad alexandrinorum poetarum aetatem redire. Iam Ennius componebat acrosticha, antiquorumque et ipsa testimonia et florilegia inscriptionesque satis declarant nunquam defuisse, qui in eo genere sollertiam suam experirentur. Componebantur carmina ex versibus, quorum primae (acrosticha), aut mediae (mesosticha) aut extremae (telesticha) litterae voces quasdam sententiasve idoneas efficiebant, conscribebantur versus, qui sive recto sive inverso ordine lecti idem metrum sonabant (versus recurrentes), alii, qui dicebantur rhopalici, quoniam voces, quibus constabant, inde a prima monosyllaba constanter una syllaba praecedentibus erant longiores, proponebantur disticha elegiaca, in quibus alterum pentametri hemistichium initium hexametri dactylici proxime antecedentis repetebat (versus echoici sive serpentini), alia similia. Neque defuisse antiquis saeculo XV et XVI imitatores testatur Lilius Gregorius Gyraldus (De poetis nostrorum tempo-

rum ed. Wotke, pg. 45), recte talia, utpote a genuina poesi aberrantia, improbans.

Est etiam alia ratio illustrandorum carminum huic cognata, elegantior tamen venustiorque, qua similiter sonantia componuntur ad acumen quoddam, ipsi carminis sententiae aptum, excitandum. Et ipsa usi sunt antiqui, prae ceteris rhetores, parechesin. paronomasian similiter appellantes. Ipse Cicero, cum causam contra Verrem ageret eumque ludibrio habere vellet, ad nominis eius genuinam notionem alludere non dubitavit, Quintilianus vero (IX, 66 sqq.) fusius de ea re agit eamque romanorum scriptorum locis illustrat. Certe epigrammatis indoli optime conveniunt eius modi annominationes sonorumque allusiones, quibus Martialis quidem raro (I, 30; VI, 17; VIII, 62; IX, 95; XII, 39), saepissime tamen Royzius utitur, neque solum in epigrammatis, verum etiam in reliquis carminibus.

Ludit igitur acute in diversis notionibus vocum inter se consonantium, veluti cum ius modo recti aequique, modo cibi decocti notione usurpat (II, 239, LXVIII) vel Morae Hispani nomen cum morae voce componit (I, 186, 688 sq.). vel unionem sive consociationem Polonorum Lituanorumque unionem pretiosum seu margaritam appellat (II, 275, III), vel cum Romani Sangusconis ducis praenomine portendi eius vere romanam virtutem commonet (II, 19, I; 20, V). Similiter ludit in eisdem sonis certae, piscis generis, aptarumque formarum adiectivi certus (II, 239, LXIX), vel nominis Petri et petrae (II, 29, XXV, 5 sq.). Nonnunquam talia quantitate solum syllabarum differunt, ut mălus-a-um, mālus-i et māla-ae (II, 357, 8), manibus et mānibus (I, 275, 5, 5 sq.). Sed Royzius ne remotiores quidem sonorum similitudines spernit, ludit enim in Mundii cuiusdam nomine cum mundo et immundo (II, 218, VII—IX), in Ula arce cum formis ulla, ulula, ululare (II, 20, VIII; 22, XV; 124 sq., IX; XI; XII), in Locae abbatis olivensis nomine cum loco (I, 275 sq., 5, I et II), denique in formis fine, fune et funere (I, 189, II, 10; 476, XLIII), perit et parit (II, 311, XI; 312, XVII), Lax et lex (II, 204, 28) comparandis.

Saepe ipsae primae ultimaeve verborum syllabae iam sufficiunt ad aptam parechesim inde proferendam. Ita, cum Gedanenses accusat, quod Polonos senatores auro corruperint, ut mitiore poena pro delictis afficerentur, utitur altero Gedani urbis nomine Dantiscumque appellando premit duas primas huius nominis syllabas quasi largitionem arguentes (I, 290, I, et II). Similiter ex formis vocativorum Zalevi, Krzczonovici, Chodkievici repetit apte vocabula „lēvi“ (II, 251, 58), „vitii“ (II, 201, 26, 8), „vicisti“ (II, 126, XVII), ex forma Tarnavius adiectivum „avius“ (II, 247, 52, 3), ex vocativo Petcuni dativum „uni“ (II, 131, 1), ex forma talherus substantivum „herus“ (I, 298, II, 1).

Ausonius poeta hanc nimiam levemque in carminibus suis minoribus artem ostentabat, ut hexametros dactylicos continuo monosyllabis clauderet, nonnunquam etiam inciperet. In quorum numero unum carmen hoc habet singulare, ut extrema vox illa monosyllaba respondeat ad interrogationem, cetera hexametri parte propositam (pg. 165 sq. ed. Peiper a. 1886). Quem secutus Royzius rem ita immutavit, ut integris hexametris dactylicis distichisve elegiacis interrogationem proponeret, responsum vero in ultimis eiusdem hexametri aut distichi syllabis reconderet (I, 298 sq., 15, I et II). Ex quo genere est etiam aenigma illud in Alberti Lasci stemma navis imagine insignitum, in quo navis quasi ex vocibus „navis“, „avis“ atque „vis“ composita tractatur (II, 136 sq., VII). Conf. II, 410 sq., VI—IX; 226 sq., XXIII.

Iam fere ex eis, quae hucusque dicta sunt, facile suspiceris Royzium in carminibus componendis usum esse libero proprioque iudicio. Quae suspicio confirmabitur singula argumenti, sententiarum ordinis elocutionisque scrutantibus. Nusquam enim servilem in modum exemplar alicuius carminis uniusve auctoris antiquitatis sectatur, libere versatur et in materia et in forma invenienda, scribit ita, ut exigunt tempora rerumque condiciones, quibus utitur. Itaque etiam illa extra argumentum petita otiosa ineptaque fabularum antiquarum commemoratione, qua cultiora fieri sua carmina rebantur primi renascentium antiquitatis litterarum poetae

et posteriores minus periti, carent plerumque Royzii poemata, qui ne talibus abuteretur, permovebatur non solum accuratiore antiquae poesis condicionum notitia, sed etiam sano iurisperiti iudicio fideique christianae reverentia (conf. I, 43, 20 sqq.).

Sed si nominandus est inter antiquos poetas, quem plurimum Royzius aemulatus esse videatur, is erit Martialis, quem ipse suspicit, cum popularem suum esse glorietur (Decis. lituan. I, 31 et 34) libenterque afferat eius epigrammata. Ac si a moribus Royzii honestioribus recesseris, — neque enim tam impudenter lucri causa potentes est adulatus, neque tam facile delectabatur obscoenis in carminibus suis, quam Martialis, — et ingenio et fatis simillimus alter alteri reperietur. Uterque enim in eadem Hispaniae parte natus, virili iam aetate patria relicta in Italiam se contulit ad animi cultum elegantiorem absolvendum, uterque clarissimos ingenii sui fructus extra patriae fines inter hospites edidit, utriusque musa vitae commodis inserviebat, quamquam Martialiana saepius et apertius, rarius et modestius Royziana. Adde quod Martialis spreta iurisprudentia ad carmina componenda vires ingenii sui contulit, Royzius semper quidem iurisperiti munere functus est, libentissime tamen ad poesim decurrebat, utque poetae Bilbilitani ingenium clarissime in eis epigrammatis enituit, in quibus faceta utebatur cavillatione, ita Alcagnicensis noster haud scio an in eodem poesis genere felicissime sit versatus, id quod ipse sibi conscius fuisse videtur (conf. II, 222, VII).

Sed si quaeras, quatenus Royzius pendeat a Martiale, confitendum erit, Royzium ut in universum similem ei in componendorum epigrammatum ratione, ita procul abesse in singulis a servili popularis sui imitatione, quippe qui etiam in similibus argumentis propriam sequatur viam verborumque delectu suo utatur. Iam Martialis interdum medicos exagitat (I, 47; V, 9; VI, 53; VIII, 74; IX, 106) idemque facit Ausonius (pg. 312 et 342 ed. Peiperi); Royzius utrumque multo superat epigrammatum in medicos emissorum numero, neque tamen unquam ab eis verba aut sales mutuatur.

Inter cetera simillimum est illud Royzii de Galatitio (II, 411, X) et Martialis II, 20. Praeterea quadam sententiae cognatione cohaerent inter se Royzii in Decianum (II, 456), Martialis I, 103, Royzii Ad Decumanum (II, 386 sq.), Martialis II, 43 et III, 60, Royzii In Petrum et In Hylam (II, 434), Martialis XII, 12, Royzii Ad lectorem (II, 222 sq.), Martialis II, 23, Royzii In effigiem suam (II, 220), Martialis X, 32, Royzii II, 471, XII et XIII, Martialis VI, 11, 10, Royzii De crastino regio (II, 23—25), Martialis V, 58.

Supersunt leviora. Duce enim Martiale Royzius „smaragdum", ut supra dixi, brevi paenultima versu inclusit (I, 29, 6). Idem quos veris nominibus in epigrammatis noluit appellare, fictis, sed eisdem fere quibus ille, veluti Ligurini, Prisci, Phoebi, Auli, Charini, nominibus notabat, unde et haesisse scribentis animo romani epigrammatis artificem et intra licitos solum fines vestigia in scriptis eius reliquisse consentaneum est. Praeter Martialem Catullus est, cui noster non solum in epigrammatis, sed etiam in levibus illis metro phalaecio conditis carminibus similis videri potest. Ac noverat ille quidem poetam Veronensem (conf. Decis. lituan. III, 180), sed praeter versum intercalarem in epithalamio Radivili Nigri (I, 75 sqq., vv. 43; 53; 63; 69), ad Catulliani carminis 62 exemplar, ni fallor, repetitum, nulla imitationis certiora invenias vestigia. Unum Ausonii epigramma (pg. 315 ed. Peiperi) secutus esse arguitur Royzius in suo De Cassellio praeside picto (II, 448), nisi cum potius graecum exemplar (Anthol. palat. XVI, 318), quod et ipse Ausonius in suo expressit, imitatum esse suspiceris.

Ceterum et Dirarum extremaeque Prosopopoeae Dantisci compositionem ad antiquarum Dirarum Ovidianaeque Ibis, id quod partim iam supra tetigi, et Stanislai ad Vergilianae Aeneidis rationem, et multa propemptica ad similia Ovidii (Trist. I, 1; III, 1 et 7; ex Ponto IV, 5), Horatii (Epist. I, 13) Martialisque (I, 70; III, 4 et 5; XI, 1; XII, 3) effecta esse satis perspicuum est. Sed non solum haec ad universam compositionis rationem spectantia, verum etiam alia singularia imitationum apud Royzium vestigia tantum

abest, ut offendant, ut etiam suaviter afficiant legentium animos, non aberrat enim imitando poeta ab argumento institutave ratione, sed quasi obiter apte tangit revocatque in memoriam celebratos illos antiquorum locos, interdum etiam ad comparationem ingenii sui cum antiquis invitare videtur. Veluti cum v. 33 Querelae manium undecim (I, 293) repetuntur haec: „Dat veniam corvis, vexat censura columbas“, et apto proverbii loco Iuvenalis versum (II, 63) usurpari, et indignatione illa antiqui poetae quasi resuscitata sententiae vim pondusque augeri sentimus. Idem confitendum est de eis locis, quibus non totis antiquorum sententiis, sed singulis verbis locutionibusque Royzius ad sua exornanda utitur. Nam ne duobus quidem illis primis ad Vincentium Portico missis carminibus (II, 300 sqq.), in quibus, sive nuntii ipsius studiis obsecutus, sive ostentandae eruditionis suae ratione commotus, solito fere crebrius utitur antiquis dictionis flosculis, iustum modum excessisse videtur: ita commode apteque inserit singula aliena suis. In universum aestimantibus in verborum delectu ad Vergilii carmina saepissime devertit, paulo rarius revocatur in memoriam Horatius, deinde hac illac etiam Lucanus, Persius, Ovidius, Lucretius, Cicero, Suetonius atque Tacitus. Ad Vergilium rettuli in mea polona dissertatione et in commentario textu huius editionis addito plus viginti locos, ad Horatium fere septem, singulos pluresve ad ceteros neque tamen dubito, quin, si quis accuratius in eam rem inquisiverit, plura etiam antiquorum vestigia sit inventurus. Singulos denique Graecorum poetarum locos Royzius etiam latinis versibus expressit, ut Homeri (II, 492, XIV; conf. II, 135, IV), Hesiodi (II, 491 sq., XII sq.), Theognidis (II, 489 sq.), posteriorumque Anthologiae auctorum (II, 489 sqq.; 465, II). In carminibus suis diserte provocavit ad Aristotelis (II, 476, XXXIX), Platonis (II, 474, XXX), Euripidis (II, 479, LV), Hippocratis (II, 423, XXIV) sententias et ad Ciceronis epistularum ad Atticum scriptarum locum (II, 216, V). Habuit etiam in manibus editionem scriptorum rei militaris, qua Vegetius, Iulius Frontinus, Aelianus latine redditus et falsus ille Modestus continebantur (II, 199 sq. 24).

Sed si quaeruntur argumenta, ex quibus Royzium in antiquitatis litteris versatum fuisse eluceat, vix praetermittenda sunt ea, quae cum prosa oratione composuisset, ab hac editione abesse debuerunt. Decisiones lituanicas dico, quae quamquam proprie singulas iuris quaestiones tractant, multa tamen habent non solum ex antiquis poetis, verum etiam ex historicis, philosophis oratoribusque deprompta. Auctorem enim Andream Alciatum, praeceptorem suum secutus, fortasse etiam rationem a Cicerone totiens observatam respiciens, Royzius aridam iuris tractandi provinciam ita laetiorem reddere conabatur, ut, ubicunque occasio dabatur, ad antiquas litteras, quibus tum praecipue homines studebant, decurreret earumque locis selectis quasi luminibus severiorem de iure disputationem illustraret. Iam in ipsa epistula ad Sigismundum Augustum regem, praefationis loco Decisionibus praemissa, multa eius generis insunt, inter ipsius vero operis libros primus reliquos superat antiquitatis memoriae copia, quamquam et reliqui, imprimis tertius et quartus, satis abundant flosculis illis extra iuris provinciam delibutis. Non omnia haec Royzius ipse ex fontibus primus enotavit; multa repetivit iam enotata ex iuris codicibus eorumque libris, qui renatis antiquitatis studiis de iure romano scripserunt, id quod et ipse aliquoties fatetur (Decis. lit. praef. med.; I, 42; III, 197; 207; 441; 514 sqq.; IV, 114; 150; 416 sq.; V, 135), et interdum, quamquam non adnotat, facile demonstrari potest. Sic cum adfert latine locum Cresphontis, Euripidis fabulae deperditae (Decis. I, 87), nititur Ciceronis Tuscul. disp. l. I, 48, 115, quem non nuncupat. Utrum notum sibi loci auctorem reticuerit brevitati studens, an ignoraverit, locumque fortasse alio scriptore duce, qui ipse Ciceronem non nominavit, adtulerit, difficile est pro certo diiudicare; cum tamen, id quod infra demonstrabitur, in Ciceronis scriptis Royzius bene versatus fuerit, bisque praeterea (Dec. l. III, 361; IV, 149) satis sibi notis Ciceronis locis auctore non nuncupato usus sit, etiam hoc loco eum fontis veri conscium sibi fuisse verisimile est. Similiter res comparata est duobus aliis locis, quorum altero (IV, 72) Royzius provocat ad I

librum Varronis de vita populi romani, altero (III, 43) ad Clitophontem, historicum graecum; prior enim locus debetur Nonio (I, 208), posterior Parallelis minoribus, quae falso Plutarcho tribuuntur (15). Adde quod III, 53 affert quaedam Cratetis historici, quae unde hauserit, assequi mihi non contigit. Proferuntur etiam in eisdem Decisionibus lituanicis multa, quorum auctores, quamquam non nuncupantur, quin Royzio noti fuerint, vix dubitari potest. Nam Neronis vitam, sicut cetera Suetonii, inter notissima eius fuisse ex multis apparet locis (Decis. lit. III, 347; 516; IV, 306; 417), et tamen ea, quae Decis. lit. I, 18 de Neronis morte tradit, ad Suetonium auctorem referre neglexit, cumque vix fieri potuerit, ut aliqua Horatii ei ignota essent, celebrem illum poetae Venusini locum, qui est Satir. I, 1, vv. 106 sq., proferens (Decis. lit. IV, 99) auctoris nomen celavit.

Omnino sunt in Decisionibus lituanicis circiter quinquaginta loci, quos Royzius, cum antiquis auctoribus deberet, ad eosdem non rettulit; eis accedit triplex fere numerus eorum, in quibus traduntur auctorum nomina operumque tituli additis haud raro ipsis librorum capitumque numeris. Saepe Royzius etiam repetit accurate textum loci latini graecive. Graecorum pleraque affert latine versa, nonnunquam et graeca et eorum latinam versionem a se confectam (Decis. lit. praef. init.; III, 263; IV, 138), ut ostenderet artem suam in graecis commode lingua latina reddendis, cui multum tribuebant illius aevi viri docti.

Hac illac incidit Royzius in quaestiones, quibus et ipsius et illius aevi antiquitatis studia illustrantur. In Decisionum praefatione extrema Iustinum enarratae rei testem excitans adicit incertum esse, utrum ad Iustinum, an ad ipsum Pompeium Trogum auctorem sit referenda. Decisionum lib. I § 19 in incerto ponit, utrum Cornelius Gallus, quem Vergilius ecloga decima celebret, idem sit atque ille, quem tangat Ammianus Marcellinus XVII libro historiae suae. Ibidem § 40 monet Didonem non Aeneae desiderio, ut Vergilius finxerit, mortem sibi conscivisse, sed ne contra viduitatis propositum ingratas Iarbae, Gaetulorum regis, nuptias sequi

cogeretur. Atque ita re vera fuisse demonstrari putat epigrammate graeco, quod latine ab Ausonio expressum profert. Antiquorum de patria Homeri controversiam inde ortam esse conicit (Decis. III, 113), quod non tantum natale poetae solum, sed etiam ea loca, ex quibus penates eius orti essent, vel in quibus ipse esset moratus, eius patria dici voluerint. Patriam alicuius non solum locum ipsum, in quo natus sit, verum etiam urbem remve publicam, ad quam locus ille pertineat, habendam esse docet (III, 177 sq.), inde enim explicari, quod Vergilius Mantuae, Catullus Veronae natus esse ab Ovidio et Martiale dicatur, cum alter Andibus, in oppido agri Mantuani, alter in paeninsula lacus Benaci ad Veronam siti lucem aspexerit.

Interdum Alciati praeceptoris vestigia premens (Decis. III, 514—517) etiam in etyma genuinasque latinarum vocum notiones inquirit (Decis. IV, 72; 82; 100—114; V, 27; 49), auctoritatemque traditi locorum textus in iudicium vocat (Decis. IV, 138; 346). Atque artis criticae peritum eum fuisse etiam inde elucet, quod, ut iam supra monui, ipse Andreas Patricius Nidecki, celebri Ciceronis fragmentorum editione occupatus (conf. II, 209, 36), auxilio eius in loco quodam Enni aestimando usus esse traditur (conf. Morawski, Nidecki ed. II pg. 119). Quod igitur hac illac vitiosum textum repetit, ut Pythiam pro Phintia (Dec. III, 361) vel Taberium Hieram pro Staberio Erote (Dec. IV, 306) nuncupando, potius textuum antiquitatis temporum illorum condicio, quam ipse culpandus est.

In mea polona de Royzio dissertatione (pg. 136 sqq.= 176 sqq.) exhibui accuratum indicem locorum, quibus in Decisionibus lituanicis Royzius ad antiquos auctores provocat. Haec omnia cum hic repetere vix sit necessarium, id solum adnoto a Royzio Ciceronem 14 locis, Aristotelem et Vergilium 10, Ovidium, Suetonium et Platonem 6, Euripidem 5, Horatium, Plinium natu maiorem et Gellium 4, Martialem, Plautum, Valerium Maximum, Varronem, Festum, Hesiodum, Herodotum et Hippocratem 3, Livium, Catonem maiorem, Ausonium, Iustinum, Curtium, Ammianum Marcellinum, Ma-

crobium, Nonium et Demosthenem 2, semel tantum Plinium minorem, Columellam, Palladium, stum. Hieronymum, stum. Ambrosium, Priscianum, Homerum, Pindarum, Xenophontem, Diodorum, Plutarchum, Arrianum, Aelianum, Galenum. Philostratum et Artemidorum nuncupari. Praeterea locum Ennii ex Cicerone, ni fallor (Decis. I, 97), Celsi ex Digestis (Decis. III, 207), Senecae philosophi ex Petri Criniti libris De honesta disciplina (Decis. V, 135), Sapphonis ex Aristotele (Decis. IV, 375) deprompsit. Distichon de Homeri patria (Decis. (III, 113) ex anthologia cognitum habuisse videtur. Legisse eum etiam Cornelium Nepotem ea, quae de Attici morte tradit, fere evincunt (Decis. I, 28).

Neque tamen his satis amplis finibus continetur Royzii antiquitatis notitia; multa, ut iam monui, profert in Decisionibus veterum auctorum nominibus non additis, multa praeterea in carminibus eius expressa antiquorum vestigia iam supra collegi.

Quatenus antiquorum iuris praecepta calluerit quidve in universum profecerit ad iuris scientiam inter aequales promovendam iustitiamque legibus constituendam, neque huius loci est disputare et res exigit peritissimum iuris iurisque historiae existimatorem. Certe repetita illo etiamtum vivo Francofurti ad M., et post auctoris mortem Venetiis Decisionum editio opus illud Royzii apud doctos illorum temporum viros in pretio fuisse declarat. Illud etiam patet vel imperito Decisiones legenti Royzium in singulis quaestionibus solvendis niti non solum praeceptorum suorum auctoritate, sed ipsis iuris fontibus multisque et vetustiorum et recentiorum legistarum canonistarumque libris. In ratione iuris tractandi sequitur ille potissimum Andream Alciatum, praeceptorem suum dilectissimum, qui relicta arida illa priorum disputandi via Iustiniani iuris corporis praecepta ad fontes temporumque conditiones referebat, litterisque ac carminibus antiquis illustrabat, neque tamen adeo pendet a praeceptore, ut idoneis locis suam sententiam contra eius auctoritatem tueri non audeat (Decis. III, 128; IV, 117).

Nota fuisse Royzio litteratorum hominum poetarumque

aequalium opera facilius suspiceris, quam demonstres. Nam in ipsis Decisionibus provocat solum ad Petri Criniti libros De honesta disciplina (V, 135) recensetque Laurentii Vallae singulas sententias (IV, 114 et V, 16), ex carminibus vero eius elucet (II, 101, III), inter bibliothecae eius copias in Polonia fuisse librum Francisci Petrarcae De varietate fortunae. Sed cum consideraveris non potuisse fieri, ut ignoraret Alciati carmina Antoniique Augustini, amici sui, opera, quorum notitiae admodum exigua manserunt in carminibus eius vestigia (II, 491), facile concedes multa, ei nota atque familiaria, ex scriptis eius nobis non innotuisse. Conf. II, 100, I et II; 199, II; 66 sqq. 11. Neque vero, si hanc rem ex imitationum in carminibus Royzii expressarum indiciis aestimare coneris, quicquam proficies; nimirum is, qui antiquos poetas servilem in modum noluit sequi, aequalium antiquos imitantium vestigia eo minus pressisse est putandus, ita ut vastum illum laborem multa milia versuum inter se comparandi suscipere vix operae pretium futurum videatur. Certe Royzius, cum aeque ac Alciatus, cui se plurima debere grato animo profitetur (II, 327 sqq., 1 et 2), epigrammata composuerit, praeceptori suo in hoc genere rarissime similis invenitur. Alciatus materiam condicionemque suorum epigrammatum ita descripsit (Emblemata; praefat. lib. I operum Basileae a. 1582 edit. vol. IV):

Dum pueros iuglans, iuvenes dum tessera fallit,
Detinet et segnes chartula picta viros:
Haec nos festivis emblemata cudimus horis
Artificum illustri signaque facta manu... cett.

Similiter Royzius, attamen et aliter et suis condicionibus convenienter huius ed. vol. II, pg. 222, epigr. VIII.

Similitudinem quandam invenias inter Royzii (I, 24 sqq.) atque Zanchii Somnium (Antologia della lirica latina, Costa, pg. 179 sqq.), quae tamen inde orta esse videtur, quod uterque Ovidii Amorum l. III eleg. 5 aemulatus est. Tenuiore etiam affinitatis vinculo cohaerent Royzii epigrammata in effigies clarorum virorum composita (II, 134 sq.; 215; 220) cum similibus huius aevi poetarum, veluti cum epigrammate

Angeli Poliziani in imaginem formosae puellae scripto (Antolog. d. lir. lat. pg. 39). Latina carmina Polonorum, ut Pauli Crosnensis, Ianitii, Cricii, Dantisci noverat absque dubio Royzius, nusquam tamen eorum mentionem facit, nedum eos imitaretur, quos si non ingenio, at certe eruditione multiplicique scientia superaret.

Denique sic iudico Royzium non solum accurato animi cultu scientiaeque copia, sed etiam librorum conscriptorum numero inter doctos poetasque illius aevi in Polonia facile primarium principemque tenuisse locum, ingenio tamen poetico latinorumque carminum elegantia atque venustate quadamtenus cessisse nonnullis, ut Cochanovio ipsique Andreae Tricesio.

Quod inter poetas latinos, de quibus refert Lilius Gregorius Gyraldus, Cricius laudatur (De poetis ed. Wotke Berol. 1894, pg. 69), Royzii vero nomen desideratur, casu evenisse puto, prodiit enim liber Gyraldi Florentiae a. 1551, quo tempore Royzii carminum in Polonia scriptorum fama ad Italos nondum pervenisse videtur; certe Gyraldus ne Ianitii quidem ullam fecit mentionem, qui ante Royzium in Polonia scripsit neque ingenio arteque inferior Cricio censetur.

Appendix I.

Varietas lectionis Royzianae
in duobus codicibus petropolitanis saec. XVI scriptis servata.

I. Liber mstus. Petropolitanus I (Λam. Q. XIV, 130 bibl. caesar.) continet post alia carmina, quattuor chartis descripta, Royzii Epithalamium Sigismundi Augusti regis et Elisabes, quattuordecim chartis exaratum, quod exstat huius editionis vol. I pgg. 45—60; praefatio enim ad Sam. Maceovium, vol. I. pgg. 41—44 huius editionis expressa, desideratur in Petropolitano.

Exhibet autem Petropolitanus I haec a nostro textu differentia:

Versu 8 „cum"; v. 10 „Austriadum"; v. 12 „Sismundo Augusto vinclo socianda supremo"; v. 24 „Coniugia et magni dare summa insignia regni"; v. 33 „collo e niveo"; v. 75 „stat sublime" (sine „et"); v. 81 „proxima primi"; v. 89 „aversos" (recte); v. 92 „actederit Indo"; v. 93 „lota quadrigis"; v. 104 „quem certa"; v. 107 „Aeternis inquit"; v. 111 „inferet oris"; v. 116 „Ansanctum in crustum"; v. 118 „arctus"; v. 121 „supplex accessit"; v. 126 „Gamrateus"; v. 134 „seu"; v. 135 „se" (ut conieci); v. 154 „cernua"; v. 161 „anteriora"; v. 171 „molitur undas"; v. 182 „spumantia" (recte); v. 183 „Asportant"; v. 205 „dedola"; v. 211 „labor"; v. 215 „Esse aptum"; v. 241 „Ansanctae silvae"; v. 243 „Ferro exciduntur"; v. 244 „alta securis"; v. 254

(desideratur); v. 257 „exigua; v. 260 „numina rerum“; v. 267 „indeprensum nihil — nixibus ullis“; v. 315 „discriminat arctus“; v. 320 „praecidunt — servant“; v. 344 „nitescunt“ (recte); v. 376 „teres gutta“; v. 385 „ferragine“; v. 398 „cum“ (ut conieci); v. 407 „choreas relinquere“; v. 409 „aebentem et multa“; v. 436 „Non longe... vecta tenebras“; v. 455 „martia“; v. 481 „oblita cucurbita“.

II. Liber mstus. Petropolitanus II ($\frac{\text{I Ms.}}{\text{Lat.}}$ F. IV, 104 bibl. caesar.) continet 63 chartis pleraque XVI saeculi prosa oratione scripta, inter quae chartis 26—31 haec Royziana huius editionis:

Chartis 26 et 27 (Dirae) = II, 263—268; — ch. 28 (De Zaremba) = II, 251, 59; (Ad cunctatorem) = II, 489; (Arbitrio alieno non bibendum) = II, 262; (Iustae opes quae) = II, 474; (De crastino regio) = II, 24, VI; (De nummo androgyno) = II, 433; (Ad Stan. Carncovium; Ad eundem) = II, 165 sq.; (In Marianum) = II, 433; (In dispensatorem quendam) = II, 431; — ch. 29: (Ad Sigismundum Augustum regem) = II, 30, XXVIII; (Cucumer) = II, 488; (Ad regem) = II, 12, II; (Ad regem) = II, 18, XXVIII; (De longis collar. toll.) = II, 266, 24; (sine titulo) = II, 363, II et I; (In Codrum medicum) = II, 418 sq.; (In medicos) = II, 422; (Ad effigiem Christi) = II, 361 sq., 16; — ch. 30 (De ambitione) = II, 392—394; (De omnipotenti nummo) = I, 245—247; — char. 31 post alteram prioris carminis partem: (carmen implicitum) = II, 487, XCVII; (Ad se ipsum de alea) = II, 221, IV; (De Sigismundo I et Bona) = II, 9, 3; (In Phoebum) = II, 470; (Ad regem) = II, 29, XXIII; 28, XXII et XIX.

Discrepat aliquoties in Diris (I, 263 sqq.) ita:

Praeter ea, quae pg. 263 adnotavi, v. 23 „videns ipse“ (recte); v. 35 „furis“ (ut conieci); vv. 43—64 desiderantur; v. 72 „excutiant“ (ut etiam in ceteris manuscriptis); v. 104 „nostrae haec“; v. 160 „Ut vos sera olim“. —



Appendix II.

Conspectus ordinis carminum Royzii,

qui est in libris manuscriptis preloque antea impressis, cum huius editionis ordine compositus.

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Io. Tarnovium Otiorum lib. I. Librum mittit. pg. 1—3.			II, pg. 71—74.	
Ad Carolum V caesarem. pg. 4.			II, pg. 303.	
Ad Ferdinandum Quiritium regem. pg. 4 sq.			II, pg. 308 sq.	
Ad Io. Tarnovium ducem. pg. 5 sq.			II, pg. 74 sq.	
Materia epigrammatum.— pg. 6.			II, pg. 222.	
Tempus scribendi. pg. 6.			II, pg. 222.	
Ad lectorem. pg. 6.			II, pg. 222 sq.	
In Lentulum. pg. 7.			II, pg. 438.	
Ad Ilum. pg. 7 sq.			II, pg. 387 sq.	
De astrologo consulto. — pg. 8.			II, pg. 424 sq.	
Ad Lesbiam. pg. 9.			II. pg. [illegible]	
[illegible]			II pg. [illegible]	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Callistratum. pg. 9.			II, pg. 431.	
In Marsum. pg. 9.			II, pg. 429.	
De Prisco. pg. 9 sq.			II, pg. 440.	
Ad comitem Tarnovium. pg. 10.			II, pg. 76 sq	
Illustrissimo Felici Srentio, Plocensium ductori. pg. 10 sq.			II, pg. 68.	
Epitaphia (Srentio) 6. pg. 11.			II, pg. 68 sq.	
Clarissimae feminae Ursulae Podlodoviae epitaph. pg. 12.			II, pg. 211 sq.	
Ad Catullum. pg. 12.			II, pg. 414 sq.	
Ad Attalum. pg. 12 sq.			II, pg. 227.	
Ad Tranquillum Andronicum. pg. 13.			II, pg. 330.	
Ad Albertum Starosrebium. pg. 14.			II, pg. 143.	
Ad Rubellium. pg. 14.			II, pg. 453 sq.	
De suo desiderio. pg. 14 sq.			II, pg. 221 sq.	
Ad Polycarmum. pg. 15.			II, pg. 439.	
In medicum Linum. pg. 15.			II, pg. 417.	
De Cassellio praeside picto. pg. 15.			II, pg. 448.	
In ignotum. pg. 16.			II, pg. 229.	
De Tarnovio. pg. 16.			II, pg. 75.	
Ad Sam Maciovium. pg. 16 sq.			II, pg. 50 sq.	

Ms. Corniceusis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Stan. Ostrorogum. pg. 17.			II, pg. 44.	
In Linum. pg. 17.			II, pg. 224.	
Ad claudum religionem professum. pg. 17.			II, pg. 409.	
In Hylam. 2. pg. 17.			II, pg. 469.	
In Syllanum, pg. 18.			II, pg. 224.	
In quendam. pg. 18.			II, pg. 224.	
Ad Pamphilum. pg. 18.			II, pg. 235.	
Ad Villanovanum de peste praelegentem. pg. 18.			II, pg. 249.	
De Caeciliano. pg. 18.			II, pg. 231.	
Ad Pamphilum. pg. 19.			II, pg. 225.	
In Plancum. pg. 19.			II, pg. 448 sq.	
In quendam. pg. 19.			II, pg. 224.	
In Hylam. pg. 19.			II, pg. 434.	
Ad Aulum. pg. 19.			II, pg. 450.	
De iurisconsultis et medicis. pg. 20.			II, pg. 416.	
Ad Sarmatas. pg. 20.			II, pg. 259.	
De ebrietate. pg. 20.			II, pg. 259.	
In Iulum. pg. 20.			II, pg. 449.	
In Acerram. pg. 20.			II, pg. 449.	
In Antiochum. pg. 20.			II, pg. 231.	
In Decianum. pg. 20.			II, pg. 483.	
In Hylam. pg. 21.			II, pg. 434.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In Castrici librum. pg. 21.			II, pg. 431.	
Ad Aulicum. pg. 21.			II, pg. 418.	
In pincernam (In Papilum). pg. 21.			II, pg. 468.	
Ad Gamratum. pg. 21.			II, pg. 89.	
Ad Stan. Hosium. pg. 21.			II, pg. 70.	
Sigismundo regi. pg. 22.			II, pg. 12.	
Reginae Bonae. pg. 22.			II, pg. 10.	
De serpente, insigni illius. pg. 22.			II, pg. 10.	
Reginae Ungariae. 2. pg. 22.			II, pg. 36.	
Duci Minstembergensi. pg. 22.			II, pg. 307.	
Nicol. Radivilo, pal. Viln., Niesv. et Olicae duci. pg. 22.			II, pg. 94.	
Duci Constantino. pg. 22.			II, pg. 70.	
Kiesgali. pg. 23.			II, pg. 199.	
Palatino Cracov. pg. 23.			II, pg. 58.	
Palatino Calisien. pg. 23.			II, pg. 59.	
Palatino Sendomirien. pg. 23.			II, pg. 58.	
In insigne illius. pg. 23.			II, pg. 59.	
Palatino Podoliae. 2. pg. 23.			II, 59 sq.	
Palatino Belzensi. pg. 23.			II, pg. 60.	
Cancellario. pg. 23.			II, pg. 62.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Procancellario. pg. 24.			II. pg. 62.	
Thesaurario regni. 2. pg. 24.			II, pg. 62.	
Thesaurario curiae. pg. 24.			II, pg. 68.	
Episcopo Chelmensi. 2. pg. 24.			II, pg. 56 sq.	
Nominato Posnanien. pg. 24.			II, pg. 57.	
Castellano Radomien. pg. 24.			II, pg. 61.	
Castellano Voinicen. pg. 24.			II, pg. 60.	
Castellano Leopolien pg. 25.			II, pg. 60.	
Castellano Biecen. 2. pg. 25.			II, pg. 61.	
Castellano Vislicien. pg. 25.			II, pg. 60.	
Palatino Valachiae. pg. 25.			II, pg. 325.	
Castellano Sanocen. pg. 25.			II, pg. 61.	
Sibi D. Cracovien. pg. 25.			II, pg. 57.	
Do. iuniori. pg. 25.			II, pg. 57.	
Ante ostium stubae. pg. 25.			II, pg. 485.	
Intus. 2. pg. 25 sq.			II, pg. 486.	
Pelicano. pg. 26.			II, pg. 486.	
Ducissae Minstembergensi. pg. 26.			II, pg. 307.	
Castellanae Cracovien. pg. 26.			II, pg. 57.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ducissae Masoviae. pg. 26.			II, pg. 56.	
Palatinae Calissien. pg. 26.			II, pg. 59.	
Palatinae Cracovien. pg. 26.			II, pg. 58.	
Palatinae Vilnen. pg. 26.			II, pg. 58.	
Novae nuptae. pg. 26.			II, pg. 58.	
Palatinae Sendomirien. pg. 27.			II, pg. 59.	
Thesaurariae. pg. 27.			II, pg. 63.	
Castellanae Vislicien. pg. 27.			II, pg. 61.	
Castellanae Czechoviensi. pg. 27.			II, pg. 62.	
In Plancum. pg. 28.			II, pg. 455 sq.	
Ad Paulum Glogovium. pg. 28.			II, pg. 191.	
In Phoebum. pg. 28.			II, pg. 232.	
Ad Sarmatam de Istulae inundatione. pg. 28.			II, pg. 259.	
Ad Antonium Vrancium. pg. 28 sq.			II, pg. 317.	
De fure donato. pg. 29.			II, pg. 447.	
In Priscum. pg. 29.			II, pg. 238.	
In Rubellium. pg. 29.			II, pg. 484.	
Ad Balthasarem medicum. pg. 29 sq.			II, pg. 240 sq.	
Pro equo donato. pg. 30.			II, pg. 241.	
Ad Pollam. pg. 30.			II, pg. 466 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
De Luthero ad sacros theologos. pg. 30 sqq.			II, pg. 354 sqq.	
In Phoebum. pg. 32 sq.			II, pg. 457 sq.	
De garrulitate feminarum. pg. 33.			II, pg. 465 sq.	
In astrologum quendam. pg. 33 sq.			II, pg. 426.	
Ad Petrum Porembium. pg. 34 sq.			II, pg. 212 sq.	
De officio feminae. pg. 35 sq.			II, pg. 394 sq.	
Ad Polyphemum. pg. 36.			II, pg. 282 sq.	
Ad Dindimum. pg. 36 sq.			II, pg. 448.	
Ad Linum. pg. 37.			II, pg. 427.	
Ad Pollionem. pg. 37.			II, pg 230.	
De Hyla. pg. 37 sq.			II, pg. 427.	
In quosdam. pg. 38.			II, pg. 484.	
In Tullum. pg. 38 sq.			II, pg. 458 sq.	
In Decianum. pg. 39.			II, pg. 456.	
Ad Andream Alciatum. pg. 39 sq.			II, pg. 327 sq.	
De quodam. pg. 40.			II, pg. 442.	
Ad Aulum. pg. 40 sqq.			II, pg. 381 sq.	
In quendam. pg. 42 sq.			II, pg. 383 sq.	
Ad Io. Tarnovium. pg. 43.			II, pg. 75.	
Ad Petrum. pg. 43.			II, pg. 417.	
Ad Hylam. pg. 43 sq.			II, pg. 419.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In quendam pg. 44.			II, pg. 451.	
Ad Samuelem. pg. 44 sq.			II, pg. 51.	
Reginae Helisabae epitaph. 3. pg. 45 sq			II, pg. 32.	
Epitaphium Boratini. pg. 45.			II, pg. 182.	
Mathiae Iesovii. pg. 45 sq.			II, pg. 199.	
Starosrebii. pg. 46.			II, pg. 144.	
Ad Samuelem episcopum. pg. 46.			II, 51 pg. sq.	
Epitaphium Auli. pg. 46.			II, pg. 401.	
Ad Gnesnam. pg. 46.			II, pg. 257.	
In praefectum scholae. pg. 46.			II, pg. 253.	
In Aulum. pg. 47.			II, pg. 445.	
Conscientia mille testes. pg. 47.			II, pg. 225 sq.	
De triplici magorum munere. pg. 47.			II, pg. 356 sq.	
De Gamrato praesule. pg. 47.			II, pg. 39.	
De spurio claudicante. 2. pg. 48.			II, pg. 462.	
Ad Antoninum medicum. 2. pg. 48 sq.			II, pg. 179 sq.	
In astrologos. pg. 49.			II, pg. 424.	
Ad Anselmum Ephorinum. pg. 49.			II, pg. 189.	
Alfonso Avilae marchioni. p. 49.			II, pg. 305.	

Ms. Cornicensis.	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad episcopum Dziadutium. pg. 50.			II, pg. 42.	
Ad Caecilianum. pg. 50.			II, pg. 489 sq	
Ad Priscum. pg. 51.			II, pg. 225.	
Vale dicit. pg. 51.			II, pg. 50.	
Ad Zoilum. pg. 51 sq.			II, pg. 226.	
Otiorum lib. II. ad P. Cmitam. Librum mittit. pg. 55 sq.			II, pg. 63 sq.	
Ad Sigismundum patrem, Sarmatiae regem. pg. 56 sq.			II, pg. 5 sq.	
Ad Sigismundum Augustum filium. pg. 57 sq.			II, pg. 11 sq.	
Ad lectorem. pg. 58.			II, pg. 223.	
In astrologos. pg. 58.			II, pg. 428.	
De Ioanne Tarnovio. pg. 58 sq.			II, pg. 76 sq.	
De ambitione. pg. 59.			II, pg. 453.	
De mappa mulierum Sarmaticarum. pg. 59.			II, pg. 256.	
Laus Polonorum. pg. 59.			II, pg. 267.	
In Tabullum. pg. 60.			II. pg. 444.	
In Caecilianum. pg. 60.			II, pg. 232.	
In Dindimum. pg. 60.			II, pg. 415.	
In Stancicum. pg. 61.			II, pg. 246.	
In Umbrum. pg. 61.			II, pg. 437.	
Ad Antoninum medicum. pg. 61.			II, pg. 180.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Aenigma. pg. 61 sq.			II, pg. 488.	
De coco. pg. 62.			II, pg. 239.	
In praesidem quendam. 4. pg. 62 sqq.			II, pg. 253 sqq.	
In Naeviam. pg. 64 sq.			II, pg. 464.	
Ad Petrum Cmitam palatinum. pg. 65.			II, pg. 65 sq.	
De rei publicae pernicie. pg. 66.			II, pg. 257.	
In Anaxagoram. pg. 66.			II, pg. 416.	
De Ollo. pg. 66.			II, pg. 416.	
De foro. pg. 66.			II, pg. 446.	
In Ponticum. pg. 66.			II, pg. 471.	
In Franciscum. pg. 66.			II, pg. 471.	
In Syllanum. pg. 66.			II, pg. 228.	
In Umbrum. pg. 66.			II, pg. 236.	
In Petrum. pg. 67.			II, pg. 434.	
Ad Aemilianum. pg. 67.			II, pg. 483.	
De locupletum litibus. pg. 67.			II, pg. 446.	
De corrupto more. pg. 67.			II, pg. 452.	
Ad Caium. pg. 67.			II, pg. 483.	
Ad Auctum. pg. 67.			II, pg. 228.	
In spurium gloriosum. pg. 68.			II, pg. 462.	
In Papilum. pg. 68.			II, pg. 440 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
De Gellio. pg. 68.			II, pg. 440.	
Ad Petrum. pg. 68.			II, pg. 229.	
De podagra. pg. 68.			II, pg. 417.	
Ad Catullum. pg. 68.			II, pg. 417.	
Ad Alexim. pg. 68.			II, pg. 258.	
In praesidem quendam. pg. 69.			II, pg. 256.	
Ad aegrum. pg. 69.			II, pg. 481.	
In Pollam. pg. 69.			II, pg. 467.	
In Priscum. pg. 69.			II, pg. 223.	
De facilitate. pg. 69.			II, pg. 481.	
In Castricum. pg. 69.			II, pg. 456.	
Ad se ipsum. pg. 69.			II, pg. 228.	
In Aulum. pg. 69 sq.			II, pg. 455.	
Ad Albertum Lascum. pg. 70.			II, pg. 135.	
De Dioscoride. pg. 70.			II, pg. 445.	
Ad Catullum. pg. 70.			II, pg. 470.	
Ad Paulum Glogovium. pg. 71.			II, pg. 191.	
Epitaphium Arcadii. pg. 71.			II, pg. 400.	
Ad quendam. pg. 71.			II, pg. 427 sq.	
Ad Zoilum. pg. 72.			II, pg. 227.	
Ad Mathiam Iesovium, regii thesauri custodem. pg. 72.			II, pg. 198.	
Ad Phoebum. pg. 72 sq.			II, pg. 451.	

Ms. Corniconsis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad manes antistitis Gamrati in ecclesiam suam sepulturae causa magna importati vi. pg. 73.			II, pg. 40.	
Ad Papilum. pg. 73.			II, pg. 230 sq.	
Epitaph. Antiochi. pg. 73.			II, pg. 402.	
In quendam. pg. 73 sq.			II, pg. 223.	
Ad Archesilam. pg. 74.			II, pg. 443.	
De Syllano. pg. 74.			II, pg. 443.	
De Golia. 2. pg. 74.			II, pg. 405.	
Epitaphium. pg. 74.			II, pg. 404.	
Invectio in praesulem quendam. pg. 74 sqq.			I, pg. 258—262.	
In astrologos. 2. pg. 79 sq.			II, pg. 426.	
Ad Petrum Carnicerium, Roman. regis medicum. pg. 80.			II, pg. 383.	
In quendam. 2. pg. 80 sq.			II, pg. 425.	
De servitute aulica. pg. 81 sq.			II, pg. 382 sq.	
Ad Gamratum. pg. 82.			II, pg. 39.	
Ad Cinnamum. pg. 82.			II, pg. 409.	
Ad Scaevolam. pg. 82 sq.			II, pg. 230.	
Ad Balthasarem Simosevium. 4. pg. 83 sq.			II, pg. 241 sq.	
Ad Stan. Ostrorogum. pg. 84.			II, pg. 44.	
Ad Cassiodorum. pg. 84.			II, pg. 484.	
Ad Auctum. pg. 84.			II, pg. 450.	

Ms. Corniconsis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Phoebum. pg. 84.			II, pg. 479.	
Ad Babium. pg. 85.			II, pg. 460.	
In praesidem quendam. pg. 85.			II, pg. 255.	
De geminis Farnesiis. 2. pg. 85.			II, pg. 294.	
Ad Aulum. pg. 85.			II, pg. 225.	
Epitaphium (eiusdem). pg. 85.			II, pg. 403.	
De Nerva. pg. 85.			II, pg. 412.	
Ad Petrum. pg. 85.			II, pg. 481.	
In Papilum. pg. 85 sq.			II, pg. 441.	
In Villanovanum. pg. 86.			II, pg. 250.	
In Nervam. pg. 86.			II, pg. 413.	
Ad Sobecem. pg. 86.			II, pg. 69.	
Ad aulam. pg. 86.			II, pg. 240.	
In quendam. 2. pg. 87.			II, pg. 450; 415 sq.	
De Galatitio. pg. 87.			II, pg. 411.	
In Ponticum. pg. 87.			II, pg. 411.	
In Aulicum. pg. 87.			II, pg. 410.	
In Marcum. pg. 88.			II, pg. 410.	
Ad aulam. pg. 88.			II, pg. 240.	
In Rubellium. pg. 88.			II, pg. 413.	
Ad Glabreonem. pg. 88.			II, pg. 227.	
Ad Papilum. pg. 88.			II, pg. 238.	
In Laelium. pg. 88.			II, pg. 223 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In quendam. pg. 89.			II, pg. 443.	
De aulis. pg. 89.			II, pg. 240.	
Ad Petrum Myschovium. pg. 89.			II, pg. 108.	
Ad Pamphilum. pg. 89.			II, pg. 238.	
Ad cocum. pg. 89.			II, pg. 239.	
Ad Aulum pg. 89.			II, pg. 441.	
De Metonio. pg. 89.			II, pg. 412.	
In Pyrrhum. pg. 90.			II, pg. 231.	
Ad Stancicum, scurram. pg. 90.			II, pg. 246.	
Sacrum Veneri. Admonitio. pg. 90.			II, pg. 487.	
Ad lectorem. pg. 90.			II, pg. 468.	
In Rubellium. pg. 90.			II, pg. 438.	
Casti scilicet cuiusdam dictum. pg. 91.			II, pg. 437.	
In Apellum. pg. 91.			II, pg. 436.	
Ad Callistratum. pg. 91.			II, pg. 436.	
In Chlorim. pg. 91.			II, pg. 465.	
In Blaesum. pg. 91.			II, pg. 469.	
In Chorim. pg. 91.			II, pg. 467.	
De Chori. pg. 91.			II, pg. 467.	
In Rubellium. pg. 91.			II, pg. 437.	
Ad Io. Langum, Maximiliani, Quiritium regis, oratorem. pg. 92.			II, pg. 320 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolinens	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Zoilum. pg. 92.			II, pg. 226 sq.	
Petro Cmitae, palatino, valedicit. pg. 93.			II, pg. 66.	
Ad Stanisl. Carncovium Otiorum liber III. pg. 95.			II, pg. 175 sq.	
Librum mittit. pg. 95—98.			II, pg. 175—177.	
Librum Pio IV, pontif. max., mittit. pg. 99 sqq.			II, pg. 292 sq.	
In Pii V, pontif. max., effigiem. 2. pg. 101.			II, pg. 294.	
Ad Sigismundum, Sarmatiae regem. pg. 101.			II, pg. 5.	
Ad Sigismundum Augustum regem. pg. 102.			II, pg. 12.	Ms. petropolitan. II, 29 a.
De conceptione B. Virg. Mariae. pg. 102.			II, pg. 361.	
De ascensione Domini. pg. 102 sq.			II, pg. 362.	
Ad effigiem Christi. pg. 103.			II, pg. 361 sq.	Ms. petropolitan. II, 29 a.
Ad reverendis. Iac. Uchanscium, arch. Gnesn. pg. 103 sq.			II, pg. 162 sq.	
Ad Stan. Carncovium. 3. pg. 104 sq.			II, pg. 165 sq.	Ms. petropolitan. II, 28.
Ad Bernardinum Gomesium. pg. 105 sq.			II, pg. 334 sq.	
Ad presbyteros carmen pro sacrorum codice recens edito. pg. 107.			II, pg. 258 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Epitaph. Alberti Crisii. pg. 107 sq.			II, pg. 184.	
Ad Iacob. Uchanscium. 2. pg. 108.			II, pg. 161.	
Ad Potrum Gamratum. pg. 108 sq.			II, pg. 40.	
In presbyteros. pg. 109.			II, pg. 409.	
Tarlo moriens ad regem. p. 109.			II, pg. 150.	
Ad Stan. Carncovium, episc. Cuiavien. pg. 109 sqq.			II, pg. 166 sq.	
In mulieres sacra procurantes. pg. 111.			II, pg. 353.	
In effigiem Starosrebii. pg. 111.			II, pg. 188.	
Epitaph. Ianitii. pg. 111 sq.			II, pg. 197.	
In culina Stan. Carncovii, episc. Cuiav. pg. 112.			II, pg. 170.	
Ad Iacobum Uchanscium, Chelmen. epum. in dominica Oculi consecratum. pg. 112.			II, pg. 162.	
In horologum et theologum. pg. 112.			II, pg. 352.	
Vincentio a Porticu etc. librum mittit. pg. 113 sq.			II, pg. 300 sq.	
Ad eundem. 3. pg. 114.			II, pg. 301 sq.	
De Laurentio Goslicio. 2. pg. 116.			II, pg. 193.	
De Stan. Carncovio, episc. Vladislav. 7. pg. 116 sqq.			II, pg. 168 sqq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In 'ebrim. 2. pg. 118 sq.			II, pg. 170 sq.	
Ad eundem episcopum. 2. pg. 119 sqq.			II, pg. 172 sqq.	
De eodem sacris operante. pg. 121.			II, pg. 174.	
Carmen implicitum. pg. 122.			II, pg. 174.	
De excidio urbis Vittembergae. pg. 122.			II, pg. 342 sq.	
De profugo Vittemborga Melanctone. 123 sq.			II, pg. 341.	
De direptione Vittembergae. pg. 124.			II, pg. 341.	
De pertinacia Luteri. pg. 124.			II, pg. 339.	
De obitu eiusdem. pg. 124.			II, pg. 339.	
De eodem. 3. pg. 124 sq.			II, pg. 340.	
Amicus nummis anteferendus. pg. 125.			II, pg. 475.	
Epitaph. Ioan. Prerembii, archiep. Gnezn. 2; alia 4. pg. 125 sqq.			II, pg. 82 sqq., pg. 81 sq. (I—IV).	
De se. pg. 128.			II, pg. 220 sq.	
Epitaphium Kurek id est Galli. pg. 128 sq.			II, pg. 202 sq.	
Pauca loquendum. pg. 129.			II, pg. 476.	
Amicus. pg. 129.			II, pg. 476.	
Petri Gamrati stemma. pg. 129.			II, pg. 39.	
Cucumer. pg. 129.			II, pg. 488.	

Ms. Cracoviensis	Ms. Ossolineum	Editiones priores	Haec editio	[illegible]
Epithalamium Sigismundi II et [illegible] — pg. 125 sqq.			I, pg. 42 sqq.	
Ad Sam. Maciovium dicatio. 129 sqq.			I, pg. 42—44.	
Epithalamium. pg. 132—147.	(a v. 227) pg. 1—9.		I, pg. 45—61.	Petropolitan[illegible]
Sub stemmate episc. Maciovii. 5. pg. 147 sq.	pg. 9 sq.	Conf. Rabricia cracov. ad a. 1564; Hymni aliquot ecclesiastici. Cracov. a. 1546.	II, pg. 54 sq.	
Ad Aleagnitium. pg. 148.	pg. 10.		II, pg. 220.	
Auctoritas summi pontificis. pg. 148.	pg. 11. (sine tit.)		II, pg. 353.	
Andreas Alciatus vertit. pg. 148.	pg. 11.		II, pg. 490 sq.	
(Idem alii latine). 4. pg. 149.	pg. 12.			
Vivendum modice. pg. 149.	pg. 12.		II, pg. 441 sq.	
Ad Raphaelem Vargavium aerar. pr. pg. 150.	pg. 13.		II, pg. 248 sq.	
Ex graeco. 3. pg. 150.	pg. 13.		II, pg. 490.	
In locupletem. 2. pg. 150	pg. 14		II, pg. 477.	
Ex graeco. pg. 150.	pg. 14.		II, pg. 489.	
Oraculum. pg. 151.	pg. 14.		II, pg. 291.	
In Paulum IV. 3. pg. 151.	pg. 14.		II, pg. 290 sq.	
De Romulo et Paulo IV. 3. pg. 151 sq.	pg. 15.		II, pg. 289 sq.	
Cuiusdam ad Attalum responsum. pg. 152.	pg. 15.		II, pg. 483.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In historiam Platinae de vitis pontif. pg. 152.	pg. 16.		II, pg. 337.	
De Picario contionatore. pg. 152.	pg. 16.		II, pg. 210 sq.	
Epitaph. Felicis Solicovii. pg. 152 sq.	pg. 16.		II, pg. 245 sq.	
Epitaph. (Alberti). 2. pg. 153.	pg. 17.		II, pg. 144.	
Ad Petrum Myschovium. pg. 153.	pg. 17.		II, pg. 108 sq.	
De ebrietate. pg. 153.	pg. 17.		II, pg. 442.	
Ad theologos. pg. 153.	pg. 18.		II, pg. 414.	
Ad ecclesiam sarmaticam. pg. 154.	pg. 18.		II, pg. 267.	
Ad Andream Przeslavium. pg. 154.	pg. 18.		II, pg. 213.	
Epitaph. Alberti Starosrebii. pg. 154.	pg. 18.		II, pg. 144.	
In effigiem Augustini Rotundi. pg. 154.	pg. 19.		II, pg. 215.	
In stemma eiusdem. 3. pg. 154.	pg. 19.		II, pg. 215 sq.	
In effigiem suam. pg. 154.	pg. 19.		II, pg. 220.	
Epitaph. Scossevii. pg. 155.	pg. 19.		II, pg. 245.	
Ad Franc. Crassinium. pg. 155.	pg. 20.		II, pg. 112.	
Ad Stanisl. Crassinium. 2. pg. 155.	pg. 20.		II, pg. 112 sq.	
Ad archimagirum. pg. 155.	pg. 20.		II, pg. 239.	
De cerevisia gedanensi. 6. pg. 155 sq.	pg. 21.		I, pg. 279.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In abbatem Pelplinen. 2. pg. 156.	pg. 21 sq.		I, pg. 277.	
De quodam rosam pro stemmate habentem. pg. 156.	pg. 22.		II, pg. 70 sq.	
In Parcanias pagum. pg. 156.	pg. 22.		I, pg. 278.	
De cella monastica. pg. 156 sq.	pg. 22.		I, pg. 277.	
In caudas equorum Germanorum. pg. 157.	pg. 22.		I, pg. 278.	
Pro osobnii obsomnii. pg. 157.	pg. 23. (sine tit.)		II, pg. 237.	
(Sine titulo). 2. pg. 157.	pg. 23.		II, pg. 234 et 478.	
Stan. Carncovio, praesuli Vladislavien, Istulam naviganti. 2. pg. 157.			I, pg. 271 sq.	
De usu opum. pg. 157.	pg. 23.		II, pg. 478.	
Cyro, oratori caesaris, librum suum mittit. pg. 157 sq.	pg. 24.		II, pg. 318.	
De munerum contemptu. pg. 158.	pg. 24.		II, pg. 478.	
Ad Ioan. Kostkam, castellanum Gedanen. pg. 158.	pg. 25.		I, pg. 278 (II, pg. 164)	bis per erro publicatu
In medicos. pg. 158.	pg. 25.		II, pg. 423.	
(In Sarmatas). 2. pg 158 sq.	pg. 25.		II. pg. 265 et 266.	
De Locae, abbatis Oliven., morte ad Gasp. Gescavium. 2. pg. 159.	pg 25 sq.		I, pg. 275 sq.	
Ad eundem factum abbatem. pg. 159 sq.	pg. 26 sq.		I, pg. 276.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Guilhelmo, epo. Olomucen., librum mittit. 160 sq.	pg. 27 sq.		II. pg. 319 sq.	
De triplici magorum munere. pg. 161.	pg. 28.		II, pg. 356.	
De primi parentis peccato: pg. 161.	pg. 28.		II, pg. 357.	
Carmen Gadalophaei poetae de prussica quinque optimatium legatione... pg. 162 sqq.	pg. 29 sqq.		I, pg. 280 sqq.	
Libellus lectori. 7. pg. 162 sq.	pg. 30.		I, pg. 280 sq	
Navigatio Stan. Carncovii etc. pg. 163 sq.	pg. 31 sq.		I, pg. 273 sq.	
Eidem Istulam naviganti. 2. pg. 164.	pg. 32.		I, pg. 272 et 273.	
Ad eundem ... de navigationis successu. pg. 164 sq.	pg. 33.		I, pg. 272.	
De eodem ad Gedanenses tumultuantes. pg. 165.	pg. 33.		I, pg. 274.	
Item de eodem. pg. 165.	pg. 33.		I, pg. 275.	
Legatio. pg. 165 sqq	pg. 34 sqq.		I, pg. 281—284.	
In Gedanenses tumultuantes. pg. 167 sqq.	pg. 36 sqq.		I, pg. 284—287.	
In titulum fidelibus Gedanensibus etc. pg. 171.	pg. 40.		I, pg. 287.	
In Gedanenses. pg. 171.	pg. 40.		I, pg. 287.	
In plebem Gedanensem. pg. 171.	pg. 40.		I, pg. 288.	
De Gedanensium motu. pg. 171.	pg. 40.		I, pg. 288.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Sigismundum Augustum ... eadem de re. pg. 171.	pg. 40 sq.		I, pg. 288.	
Ad Polonos eadem de re. 3. pg. 171 sqq.	pg 41 sq.		I, pg. 289—290.	
De Gedanensium largitione ad Polonos. 2. pg. 173.	pg. 42 sq.		I, pg. 290.	
Ad Polonum de admisso Gedanens. vindic. pg. 173 sq.	pg. 43.		I, pg. 290 sq.	
In Gedanensium patronos. pg. 174.	pg. 44.		I, pg. 291 sq.	
Querelà manium undecim cett. pg. 175 sqq.	pg. 45 sqq.		I, pg. 292—296.	
In Gedanenses. 2. pg. 179.	pg. 50.		I, pg. 297 sq.	
In Clefeldum. 2. pg. 180.	pg. 50 sq.		I, pg. 296 sq.	
In eundem. 3. pg. 180 sq.	pg. 51 sq.		I, pg. 298 sq.	
De divina in Dantiscanos... vindicta. pg. 181 sq.	pg. 53.		I, pg. 299 sq.	
Gratulatur domum regi a Ged. concessam. pg. 182 sq.	pg. 53 sq.		I, pg. 302.	
Ad Sigism. Augustum, Pol. rogom ... pg. 183 sq.	pg. 54 sqq.		I, pg. 303 sq.	
De Stan Carncovio ... regio Ged. legato. 6. pg. 185 sq.	pg. 57 sq.		I, pg. 300 sq.	
Ad eundem. pg. 186.	pg. 58.		I, pg. 301.	
Prosopopoeia Dantisci ... pg. 186 sqq.	pg. 59 sqq.		I, pg. 304—311.	
Epitaph. Nicol. Volscii. pg. 193.	pg. 66.		II, pg. 109.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Fratris eius. pg. 193.	pg. 66.		II, pg. 109 sq.	
In Tarnavium. pg. 193.			II, pg. 247.	
Adam primus et secundus. pg. 193.			II, pg. 357.	
Ad Christum. pg. 193. (Sub imagine Christi).			II, pg. 358.	
Religiosa. De vita christiana. pg. 194.	pg. 67 sq.		II, pg. 358 sq.	
Christiana admonitio. pg. 195 sq.	pg. 69 sq.		II, pg. 360 sq.	
De triplici vita ... 87. pg. 196 sqq.	pg. 71 sqq.	Ad Sigism August. carmen consolatorium Crac. 1553 ad calcem ep gr. 1—4.	II, pg. 364—377.	
De virgine et nupta. pg. 206.	pg. 83.		II, pg. 363.	
De Sigismundo I. r. et Bona, r. Pol. pg. 206.	pg. 83.		II, pg. 9.	Petropolitan. II, 31 b.
Sine titulo. pg. 206 (altera manu scr.).			II, pg. 475	
Librum mittit suum Fran. Gonsagae. pg 207 sq.	pg. 83 sq.		II, pg. 295—297.	
Felix quis vere. pg. 208.	pg. 84		II, pg. 479.	
Ad Io. Fr. Canobium ... 2. pg. 208 sqq.	pg. 85 sqq.		I, pg 208—213.	
Ad Nic. Radivilum. 5. pg. 212 sqq.	pg. 89 sqq.		II, pg. 92—94.	
Ioan Radivili epitaph. pg. 214.	pg. 91.		II, pg. 91.	
Ad Sigismundum Aug. r. 2. pg. 214 sq.	pg. 91 sq.		II, pg. 25 sq. (IX et X).	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Nic. Radivilum eadem de re. 3. pg. 215 sq.	pg. 92 sq.		II. pg 103 sq. (VIII—X)	
In Rubellium. pg. 216	pg. 92.		II, pg. 237.	Hoc epigramma exstat in libris post alterum epigr. in Radivilum.
Ad cunctatorem. pg. 216.	pg. 93.		II. pg 433.	Petropolit. II. pg. 28.
Ex graeco. 2. pg. 216.	pg. 93.		II, pg. 489.	
In aquilam caesaris. pg. 216.	pg. 93.		II, pg. 337.	
In aquilam regis Polon. 216.	pg. 93.		II. pg. 272.	
(In Aialam) sine titulo pg. 216.	pg. 93.		II, pg. 325.	
Ad Nic. Radivilum. 5. pg. 216 sqq.	pg. 94 sq.		II, pg. 100—102.	
In Caecilianum. pg. 218.	pg. 95.		II, pg. 471	
Ad Nic. Chr. Radivilum… pg. 218 sq.	pg. 96		II, pg. 95 sq.	
Nic. Radivilo in Dubingi et Bierze duci … pg. 219.	pg. 97.	1) Io. Radvanus, Radivilias Vilnae 1588. 2) Maciński Lexicon latino pol. Regiom. 1564. 3) Janocki, Rare Bücher, I, 85.	II, pg. 102 sq.	
Ad eundem. 2. pg. 220.	pg. 97 sq.		II, pg. 103 (VII). II, pg. 100 (XIV).	
Ad eundem factum palatinum Vilnen. 4. pg. 220 sq.	pg. 98 sq.		II. pg 106 (XV et XVI); pg 104 (XI et XII).	
Nic. Radivilo filio pg. 221.	pg. 99.		II, pg 108.	
De Augustino Rotundo, praetore Vilnen. pg 221.	pg. 99.		II, pg. 217 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Incisum in horologio. pg. 221.	pg. 100.		II, pg. 485.	
De quattuor temporibus. 2. pg. 222.	pg. 100		II, pg. 485.	
Ad Nicol. Pacium, episc. Kiiovien. ... pg. 222.	pg. 100.		II, pg. 111 sq.	
Carmen implicitum. pg. 222.	pg. 100.		II, pg. 487.	Petropolitan. II. 81 b.
Ad se ipsum de alea pg. 222.	pg. 100.		II, pg. 221.	Petropolitan. II. 81 b.
In stemma Valeriani, Vilnen. episc. 4. pg 222 sq.	pg. 101.		II, pg. 146 sq.	
Ad Vorniam. 2. pg. 223.	pg. 102.		II, pg. 268.	
De senectute. pg. 223.	pg. 102.		II, pg. 473.	
Ad puerum. pg. 223.	pg 102.		II, pg. 478.	
Simplicitas. pg 223.	pg 102.		II, pg. 478.	
(Ad aulicum) sine titulo. pg. 224.	pg. 102.		II, pg. 239.	
Nic. Radivili nomine ad regem. pg. 224.	pg. 103.		II, pg. 100 (XIII).	
Carmen implicitum. pg. 224.	pg 103.		II, pg. 487.	
Ad eundem factum palatinum Vilnen. pg. 224.	pg. 103.		II, pg. 106 (XVII).	
De magistratu. pg. 224.	pg. 103.		II, pg. 475 sq.	
Pauli ducis Olschanen., episc. Vilnen., epitaph. 8. pg. 225 sq.	pg. 104 sq.		II, pg. 45 sq.	
(Cucumer) sine titulo. pg. 226.	pg. 105.		II, pg. 488.	Petropolit. II 29 a.
De Ollo. pg. 226.	pg. 105.		II, pg. 469.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
(Ad Petrum). pg. 226.	pg. 105.		II, pg. 471.	
Ad quendam. pg. 226.	pg. 105.			
Epitaph. reginae Barbarae. 9. pg. 226 sqq.	pg. 106 sq.		II, pg. 84—86.	
Ad Sarmatam de reginis Bona et Barbara. pg. 228.	pg. 107.		II, pg. 10.	
Epitaph. Elis. Sidloviciae, palatinae Vilnen. 9. pg. 228 sqq.	pg. 108 sqq.		II, pg. 96—99.	
In bilinguem. 3. pg. 230.	pg. 110.		II, pg. 239; 475; 471.	
De ingressu Io. Domanovii ... in sedem episc. pg. 230 sq.	pg. 111 sq.		II, pg. 84 sq.	
Ad eundem. pg. 231 sq.	pg. 112.		II, pg. 85 sq.	
Epitaph. eidem. pg. 232 sq	pg. 112 sqq.		II, pg. 86—88.	
Ad Gregor. Cervinum ... pg. 294.	pg. 114.		II, pg. 183.	
Ad Felsinam. pg. 234 sq	pg. 114 sq.		II, pg. 345 sq.	
Ad eundem (falso titulo) pg. 235 sq.	pg. 115 sq.		II, pg. 298 sq.	
Ad Andr. Duditium ... pg. 236.	pg. 117.		II, pg. 321—323.	
*Ad P. Royzium Andreas (Duditius) ... pg. 236 sq	pg. 117.			
Petr. Royzius ad eundem ... pg. 237.	pg. 118.			
Ad Gregor. Corvinum. pg. 238.	pg. 118.		II, pg. 183.	
In Codrum medicum de man. Chr. pg. 238.	pg. 119.		II, pg. 418 sq.	Petropolitan. II 29 b.

Ms. Coruicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Phoebum. pg. 238.	pg. 119.		II, pg. 233 sq.	
In effigiem hominis etc. pg. 238 sq.	pg. 119.		II, pg. 472.	
Ne sutor ultra crepidam. pg. 239.	pg. 120.		II, pg. 384 sq.	
In quendam. 3. pg. 239 sq.	pg. 120 sq.		II, pg. 235.	
Regii responsi sententia. pg. 240.	pg. 121.		II, pg. 14.	
Ad capitulum Samogitien. pg. 240 sq.	pg. 121.		II, pg. 268.	
Epitaph. Stan. Narcussii episc. confirm. ... pg. 241 sq.	pg. 122 sq.		II, pg. 88—90.	
(De falsis amicis) sine tit. pg. 242.	pg. 123.		II, pg. 475.	
Ad librum suum. pg. 243.	pg. 124.		II, pg. 297 sq.	
Ad Laurent. Volscium. pg. 243.	pg. 124.		II, pg. 110.	
Ad Georg. Petcunium, episc. Samogit. pg. 244.	pg. 125.		II, pg. 131 sq.	
In eiusdem stemma. 3. pg. 245.	pg. 126.		II, pg. 132.	
In Vorniam. pg. 245.	pg. 126.		II, pg. 269.	
In quendam antistitem. pg. 245	pg. 126.		II, pg. 413 sq.	
Alberti Grabovii epitaph. 3. pg. 245 sq.	pg. 127 sq.		II, pg. 194 sq.	
In furem sacrilegum. pg. 246 sq.	pg. 128.		II, pg. 472.	
In Farnes. cardinalem. 3. pg. 247.	pg. 128.		II, pg. 295.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Sine titulo. pg. 247.	pg. 128.		II, pg. 475.	
Ad Hylam episcopatus petitorem. 2. pg. 247.	pg. 129.		II, pg. 410.	
Ad Petrum. 2. pg. 247 sq.	pg. 129.		II, pg. 410 sq.	
In curia Rozanka. pg. 248.	pg 129.		II, pg. 111.	
In Charidemum. pg. 248.	pg. 129.		II, pg. 469.	
In quendam. pg 248.	pg. 130.		II, pg. 404	
Ad Sigismundum Aug. reg. viduum. pg. 248 sq.	pg. 130.		II, pg. 12.	
Ad Io. Langum. pg. 249.	pg. 130 sq.		II, pg. 320 sq.	Idem in Corn. pg. 92 idque notatur hoc loco.
In Petrum. pg. 249.	pg. 131.		II, pg. 444.	
De Aemiliano. pg. 249 sq.	pg. 131.		II, pg. 412.	Uno pentemetro truncatum.
In Decianum. pg. 250.	pg. 131 sq.		II, pg. 430.	
In Paulum. pg. 250 sq.	pg. 132.		II, pg. 390 sq.	
In quendam. pg. 251.	pg. 132.		II, pg. 428.	
In quosdam. pg. 251.	pg. 133.		II, pg. 418.	
In astrologum, agricolae filium. pg. 251.	pg. 133.	Carmen tumultuarium .. s. l. et a. ad calcem.	II, pg. 428.	
In medicum imperitum. pg. 251.	pg. 133.		II, pg. 423.	
In frigidum oratorem. pg. 251.	pg. 133.		II, pg. 449.	
In Phoebum. pg. 252.	pg. 133 sq.		II, pg. 459.	
De Sigism. Herberstaino. 2. ... pg. 252.	pg. 134.	Herberstain, De vita sua commentarius Viennae Austriae 1560 (sub finem).	II, pg. 305 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In Phoebum. 2. pg. 252 sq.	pg. 134.		II, pg. 480; 450.	Alterum caret titulo et exhibet unum pentametrum altera manu adscriptum.
In medicum pusillum. pg. 253.	pg. 135.		II, pg. 423.	
In medicum imperitum. pg. 253.	pg. 135.		II, pg. 423 sq.	
Ad Augustinum Rotundum. pg. 253 sq.	pg. 135 sq.		II, pg. 216 sq.	cum uno versu altera manu adscripto.
In Codrum. pg. 254.	pg. 136.		II, pg. 233.	
De Neptuno haereticum mergente. 2. pg. 254.	pg 136.		II, pg. 354.	
Ad quendam. pg. 254.	pg. 136.		II, pg. 447.	
Ad Decumanum. pg. 254 sq.	pg. 137 sq.		II, pg. 386 sq.	
Epitaphium Albini. 3. pg. 255 sq.	pg. 138 sq.		II, pg. 399 sq.	
De Petro clavigero et Paulo ensifero. 4. pg. 256.	pg. 139 sq.		II; pg. 384 sq.	Unus versus in foliolo adiecto adscriptus in Oss.
In homuncionem. 3. pg. 256 sq.	pg. 140 sq.		II, pg. 460 sq.	
In astrologum parvum. pg. 257.	pg. 141.		II, pg. 429.	
Ad Laelium. pg. 257.	pg. 141.		II. pg. 449.	
Epitaph. cuidam medico. pg. 257.	pg. 141.		II, pg. 400.	
In praeposterum medicum. pg. 257.	pg. 141.		II, pg. 424.	
De avaritia Lucrini. pg. 257.	pg. 142.		II, pg. 457.	
In stemma Alb. Pretocii. 2. pg. 258.	pg. 142.		II, pg. 214 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In eum, qui multum debet. pg. 258 sq.	pg. 143.		II, pg. 385 sq.	
In abaco. 2. pg. 259.	pg. 144.		II, pg. 486.	
De senibus exspectare iussis. pg. 259.	pg. 144.		II, pg. 234.	
Ex Theognide. 3. pg. 259.	pg. 144.		II, pg. 489 sq.	
Hendecasyllabi ad Valerianum, Vilnen. pontif. pg. 260 sq.			II, pg. 145 sq.	
Ad Nic. Radivilum. pg. 261.			II, pg. 107 (XVIII).	
Nic. Radivilo ad regem Augustum. pg. 261.			II, pg. 107 (XIX).	
(Ad Petrum) sine tit. 2. pg. 261.			II, pg. 471.	alia manu.
Ad ... Io. Chotkievicium librum mittit. pg. 262 sq.	pg. 145 sq.		II, pg. 117—119.	In Ossolineo exstat solum: „Librum mittit".
Ad Sigismundum Aug. regem. pg. 263.	pg. 147.		II, pg. 13.	
Tormentum Augusti nomine appell. pg. 263.	pg. 147.		II, pg. 180.	
Ad eundem. pg. 263 sq.	pg. 147.		II, pg. 15 (XIII).	
Ad eundem ingressur. conv. Io. Chotkiew. pg. 264.	pg. 147.		II, pg. 16 (XVII).	In Ossolineo titulus alia man[u] adscriptus.
Ad Io. Chotkievicium ... 2. pg. 264.	pg. 148.		II, pg. 123 sq.	
Ad Lituaniam de eodem. pg. 264.	pg. 148.		II, pg. 124.	
Dirae in pontificis max.... hostes. pg. 265 sqq.	pg. 149 sqq.		I, pg. 263—268.	Petropolitan. [...] 26 sqq. (non int[e]grum).
De crastino regio. 8. pg. 269 sq.	pg. 154 sq.		II, pg. 23 - 25.	Sextum etiam Petropolitano pg. 28 a.

Ms. Corniconsis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad regem. 2. pg. 270.	pg. 155.		II, pg. 18 (XXV et XXVI).	
Carmen fun. in obi. Hieronymi Chotkicw. pg. 270 sqq.	pg. 156 sq.		II, pg. 114–116.	
Ad Ioan. Chotkiewicium c. gratul. 4. pg. 272 sqq.	pg. 158 sqq.		II, pg. 119–123.	
Ad Const. Chotkievicium. 5 (6?). pg. 276 sq.	pg. 163 sq.		II, pg. 129 sq.	
Scitum regis responsum Moscho datum. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 14.	
In Moschum. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 346.	
In virtutem et fortunam. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 472.	
In Phoebum. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 470.	Petropolitan. II, 31 b.
Ad Nicol. Trzebuchovium de Stras. hosp. pg. 277.	pg. 166.		II, pg. 90.	
Ad regem eodem de hospitio. pg. 278.	pg. 166.		II, pg. 26 (XI).	
Ad Strazense hospitium. pg. 278.	pg. 166.		II, pg. 271.	
Ad Stan. Kiskam, palat. Vitebscen. pg. 278.	pg. 167.		II, pg. 66 sq. (I et II).	
(Ad Kisgalem) sine tit. 2. pg. 278 sq.	pg. 168.		II, pg. 199 sq.	
Ad Stan. Kiskam. 2. pg. 279.	pg. 168.		II, pg. 66 sq.	
Sine tit. 3. pg. 279 sq.	pg. 168.		II, pg. 234.	
De Polonis et Lituanis uno populo factis. pg. 280.	pg. 169.		II, pg. 274.	
Eadem de re. pg. 280. .	pg. 169.		II, pg. 275.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In eum, qui multum debet. pg. 258 sq.	pg. 143.		II, pg. 385 sq.	
In abaco. 2. pg. 259.	pg. 144.		II, pg. 486.	
De senibus exspectare iussis. pg. 259.	pg. 144.		II, pg. 234.	
Ex Theognide. 3. pg. 259.	pg. 144.		II, pg. 489 sq.	
Hendecasyllabi ad Valerianum, Vilnen. pontif. pg. 260 sq.			II, pg. 145 sq.	
Ad Nic. Radivilum. pg. 261.			II, pg. 107 (XVIII).	
Nic. Radivilo ad regem Augustum. pg. 261.			II, pg. 107 (XIX).	
(Ad Petrum) sine tit. 2. pg. 261.			II, pg. 471.	alia manu.
Ad ... Io. Chotkievicium librum mittit. pg. 262 sq.	pg. 145 sq.		II, pg. 117—119.	In Ossolineo ex stat solum: „Li brum mittit".
Ad Sigismundum Aug. regem. pg. 263.	pg. 147.		II, pg. 13.	
Tormentum Augusti nomine appell. pg. 263.	pg. 147.		II, pg. 180.	
Ad eundem. pg. 263 sq.	pg. 147.		II, pg. 15 (XIII).	
Ad eundem ingressur. conv. Io. Chotkiew. pg. 264.	pg. 147.		II, pg. 16 (XVII).	In Ossolineo t tulus alia ma adscriptus.
Ad Io. Chotkievicium ... 2. pg. 264.	pg. 148.		II, pg. 123 sq.	
Ad Lituaniam de eodem. pg. 264.	pg. 148.		II, pg. 124.	
Dirae in pontificis max.... hostes. pg. 265 sqq.	pg. 149 sqq.		I, pg. 263—268.	Petropolitan. 26 sqq. (non in grum).
De crastino regio. 8. pg. 269 sq.	pg. 154 sq.		II, pg. 23-25.	Sextum etiam Petropolitano pg. 28 a.

Ms. Corniconsis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad regem. 2. pg. 270.	pg. 155.		II, pg. 18 (XXV et XXVI).	
Carmen fun. in obi. Hieronymi Chotkiew. pg. 270 sqq.	pg. 156 sq.		II, pg. 114–116.	
Ad Ioan. Chotkiewicium c. gratul. 4. pg. 272 sqq.	pg. 158 sqq.		II, pg. 119–123.	
Ad Const. Chotkievicium. 5 (6?). pg. 276 sq.	pg. 163 sq.		II, pg. 129 sq.	
Scitum regis responsum Moscho datum. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 14.	
In Moschum. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 346.	
In virtutem et fortunam. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 472.	
In Phoebum. pg. 277.	pg. 165.		II, pg. 470.	Petropolitan. II, 81 b.
Ad Nicol. Trzebuchovium de Stras. hosp. pg. 277.	pg. 166.		II, pg. 90.	
Ad regem eodem de hospitio. pg. 278.	pg. 166.		II, pg. 26 (XI).	
Ad Strazense hospitium. pg. 278.	pg. 166.		II, pg. 271.	
Ad Stan. Kiskam, palat. Vitebscen. pg. 278.	pg. 167.		II, pg. 66 sq. (I et II).	
(Ad Kisgalem) sine tit. 2. pg. 278 sq.	pg. 168.		II, pg. 199 sq.	
Ad Stan. Kiskam. 2. pg. 279.	pg. 168.		II, pg. 66 sq.	
Sine tit. 3. pg. 279 sq.	pg. 168.		II, pg. 234.	
De Polonis et Lituanis uno populo factis. pg. 280.	pg. 169.		II, pg. 274.	
Eadem de re. pg. 280.	pg. 169.		II, pg. 275.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad regem eadem de re. 3. pg. 280.	pg. 169.		II, pg. 275.	
De Lituania et Polonia ... adunatis. 3. pg. 281.	pg. 170 sq.		II, pg. 276.	
De eadem adunatione ... 3. pg. 281 sq.	pg. 171.		II, pg. 277.	
De eadem adunatione ad Io. Chotkievicium. 3. pg. 282 sq.	pg. 172 sqq.		II, pg. 127 sq	
De iusta et temeraria ira. pg. 283.	pg. 174.		II, pg. 476.	Tituli horum carminum in Ossolineo alia manu notati sunt.
Pro saluto regis bibendum. pg. 283.	pg. 174.		II, pg. 18 (XXVII).	
Non temere credendum. pg. 284.	pg. 174.		II, pg. 474.	
De simulatis amicitiis. pg. 284.	pg. 174.		II, pg. 473.	
In peccatores. pg. 284.	pg. 174.		II, pg. 357.	
Ad regem Augustum. 17. pg. 284 sqq.	pg. 175 sqq.		II, pg. 27—30.	Carmina 9, 11 14 in Petropo II, 31 b.
Ad Nicol. Naruschovicium. pg. 286 sq.	pg. 179.		II, pg. 163 sq.	
Mulieri non credendum. pg. 287.	pg. 179.		II, pg. 465.	
Paenitentia. pg. 287.	pg. 179.		II, pg. 238.	
Ad regem. 2. pg. 287.	pg. 180.		II, pg. 30 (XXVII) et pg. 29 (XXIV).	
Ad Ioan. Chotkievicium. pg. 288.	pg. 180.		II, pg. 125 sq.	
In blandiloquos. pg. 288.	pg. 180.		II, pg. 478.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad regem. 2. pg. 288.	pg. 181.		II, pg. 26 sq. (XII et XIII).	
Ad Io. Chotkievicium. pg. 288.	pg. 181.		II, pg. 125.	
Ad Grodnam. pg. 288.	pg. 181.		II, pg. 271.	
In Phoebum. pg. 288.	pg. 181.		II, pg. 420.	
In matrem parricidam. 6. pg. 288 sq.	pg. 181 sq.		II, pg. 485.	
De Caio. pg. 289.	pg. 182.		II, pg. 438.	
In Petrum Ilicinum. pg. 289.	pg. 182.		II, pg. 196.	
In Marianum. pg. 289.	pg. 182.		II, pg. 483.	Petropolitan. II, 28 b.
Ad regem. 3. pg. 289.	pg. 183.		II, pg. 27 (XIV), pg. 17 sq. (XXII et XXIII).	Tertium in Petropolitan. II, pg. 29 a.
In rusticos. 3. pg. 289 sq.	pg. 183.		II, pg. 479.	
In Phoebum. pg. 290.	pg. 183.		II, pg. 479.	
Ad virum spectabilem Augustinum Rotundum. pg. 290.	pg. 184.		II, pg. 217.	
Ad Albertum Praetocium. pg. 291.	pg. 185.		II, pg. 214.	
Ad Lucam Gornicium. pg. 291.	pg. 185.		II, pg. 192.	
Ad Andream Tricesium. pg. 291.	pg. 185.		II, pg. 247.	
Ad se ipsum. pg. 291.	pg. 186.		II, pg. 221.	
Ad Maeviam. pg. 291 sq.	pg. 186.		II, pg. 466.	
Ad Zalevium, thesaurarium curiae. pg. 292.	pg. 186.		II, pg. 251.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad regem de duce Romano. 18. pg. 292–294.	pg. 187–190.		II, pg. 19–23.	
Ad Chotkievicium. 4. pg. 294 sq.	pg. 190.		II, pg. 124 sq.	
In stemma Georgii Petcunii episc. Samogit. 3. pg. 295.	pg. 191.		II, pg. 132 sq.	
In quendam. pg. 295	pg. 191.		II, pg. 452.	
In Victorinum. pg. 295.	pg. 191.		II, pg. 249.	
Ad Augustinum Rotundum (Mielieski). pg. 295.	pg. 191.		II, pg. 218.	
In Lucam Mundium ad eundem. pg. 295 sq.	pg. 191.		II, pg. 218.	
In Mundii criminationes. pg. 296.	pg. 192.		II, pg. 218 sq.	
Ad defensionem in Mundium. pg. 296.	pg. 192.		II, pg. 219.	
De rusticis Samogiticis. pg. 296.	pg. 192.		II, pg. 269.	
Ad Ioan. Chotkievicium. 3. pg. 296.	pg. 193.		II, pg. 125 et 126.	
Nicolao Iassinio. pg. 297.	pg. 194.		II, pg. 197 sq.	
In quosdam, quibus pro ecclesiaste est carnifex. 2. pg. 297.	pg. 194.		II, pg. 391. II, pg. 474.	
Facies urbis Vilnae. pg. 297.	pg. 195.		II, pg. 270.	
Ecclesiastes Vilnens. in sicarios. pg. 297.	pg. 195		II, pg. 270.	
In Acerram. pg. 297.	pg. 195.		II, pg. 434.	
Ad Rigam (cui Decisiones suas legendas mittit). pg. 298.	pg. 195.		II, pg. 271 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In Attalum. pg. 298.	pg. 196.		II, pg. 470.	
De Avito. pg. 298.	pg. 196.		II, pg. 463.	
In Phoebum. pg. 298.	pg. 196.		II, pg. 463.	
De iurisconsulto et medico. 2. (alterum s. t.). pg. 298.	pg. 196.		II, pg. 416 sq. II, pg. 478.	
De ambitione (et carmina s. t.). pg. 298—300).	pg. 197 sq.		II, pg. 392 – 394 et 475.	Petropolitan. II, pg. 30.
Andreae Alciato, praeceptori suo, mittit librum suum. pg. 300.	pg. 199 sq.		II, pg. 328 sq.	
De Scassevio. pg. 301.	pg. 200.		II, pg. 244.	
Epitaphium Laganoviae, coniugis Scassevii. pg. 301.	pg. 200.		II, pg. 244.	
In Sentinum. pg. 301.	pg. 200.		II, pg. 282.	
In quendam largius se ingurgitantem. pg. 301.	pg. 201.		II, pg. 442.	
Ad viatorem. pg. 301.	pg. 201.		II, pg. 485.	
In quendam. pg. 301.	pg. 201.		II, pg. 431.	
De muliere quando bona. 2. pg. 301.	pg. 201.		II, pg. 465.	
Coniux. pg. 302.	(sine t.) pg. 201.		II, pg. 463.	
Ad Stanislaum Kiskam. pg. 302.	pg. 202.		II, pg. 67 sq.	
Ad Krczonovium. pg. 302.	(Krczonovicium) pg. 202 sq.		II, pg. 201 sq.	
Ad Tullum. pg. 302 sq.	pg. 203.		II, pg. 447 sq.	
Cuiusdam dictum. pg. 303.	pg. 203.		II, pg. 481.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In Fabium. pg. 303.	pg. 204.		II, pg. 233.	
(In vanitatis avidos et doctrinae contemptores). pg. 303 sq.	pg. 204 sq.		II, pg. 391 sq.	
In Nervam. pg. 304.	pg. 205.		II, pg. 461.	
In Vincentium Maxillam. pg. 304.	pg. 205 sq.		II, pg. 336.	
In imperitum medicum. pg. 305.	pg. 206 sq.		II, pg. 421.	
In Porthmea. pg. 305.	pg. 207.		II, pg. 422.	
In Hylam. pg. 305.	pg. 207.		II, pg. 454.	
Epitaphium Umbri. pg. 306.	pg. 207.		II, pg. 402.	
De Venere. pg. 306.	pg. 208.		II, pg. 437.	
Epitaphium pharmacopolae. pg. 306.	pg. 208.		II, pg. 402 sq.	
In pauperes coniuges. 2. pg. 306.	pg. 208.		II, pg. 463.	
Sine tit. pg. 306.	pg. 208.		II, pg. 422.	
In Castricum. pg. 306 sq.	pg. 209.		II, pg. 336.	
In quendam. pg. 307.	pg. 209.		II, pg. 434.	
Ad Stanisl. Scassevium. 2. pg. 307 sq.	(Skaschevium) pg. 210 sq.		II, pg. 243 sq.	
Epitaphium (uxoris Stan. Scassevi). pg. 308.	pg. 211.		II, pg. 245.	
Epitaphium Phoebi. pg. 308.	pg. 211.		II, pg. 401.	
In malos medicos. pg. 308.	pg. 211 sq.		II, pg. 422 sq.	
Sine tit. (De Marte a Musis procreato). pg. 308.	pg. 212.		II, pg. 345.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In quendam. pg. 308 sq.	pg. 212.		II, pg. 486.	
In Sacricum (transversis lin. deletum) ? pg. 309.	pg. 213.		II, pg. 480.	
(Sine tit.). In quendam. pg. 309.	pg. 213.			
Ad Albertum Zakrzovium. pg. 309.	(tit. deleto) pg. 213 sq.		II, pg. 250.	
(Sine tit.). 2. pg. 309.	pg. 214.		II, pg. 228 sq.	
In quendam. pg. 309.	pg. 214.		II, pg. 228.	
Ad Martinum Krczonovium. pg. 310.	(Krczonovicium) pg. 215.		II, pg. 202.	
In Ilicinum doctorem. pg. 310.	pg. 215·		II, pg. 196.	Petropolitan. II, pg. 29 a et b.
In adulteros. 2. pg. 310	pg. 215.		II, pg. 363.	
In Sarmatiam (et s. t.). pg. 310.	pg. 216.		II, pg. 265; 343.	
In amatricem, quae furtum commissum propter amasium subiecto igne occultare voluit. — pg. 310 sq.	pg. 216.		II, pg. 273.	
Epitaphium Angelae. pg. 311 sq.	pg. 217 sq.		II, pg. 32 sq.	
(Sine tit. — Pro unione). pg. 312.	pg. 218.		II, pg. 274.	
Vivat bene, qui non vult male audire. pg. 312.	pg. 218.		II, pg. 474.	
In ambitiosum. 2. pg. 312.	pg. 218.		II, pg. 485; 453.	
Ad Anselmum Ephorinum suum. 3. pg. 312 sq.	pg. 219 sq.		II, pg. 189 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Epitaphium Ioannis Antonini. pg. 313.	pg. 220.		II, pg. 180 sq.	
De eodem. pg. 313.	pg. 221.			
De medicis. 3. pg. 313 sq.	pg. 221 sq.		II, pg. 420 sq.	
Ad medicos. pg. 314.	pg. 222.		II, pg. 421.	
In Teutonas medicos. 3. pg. 314.	(sine t.) pg. 222 sq.		II, pg. 344.	
De Germania. pg. 314.	pg. 223.		II, pg. 345.	
De regia podagra ad medicos. pg. 314.	pg. 223.		II, pg. 19.	
Manes Nicolai Rotundi ad patrem. pg. 314 sq.	pg. 223.		II, pg. 219.	
De regibus non violandis. pg. 315.	pg. 224.		II, pg. 482.	
De uxore. pg. 315.	pg. 224.		II, pg. 461.	
Amnem quendam antefert fonti caballino. pg. 315.	(tit. sec. manu) pg. 224.		II, pg. 273.	
In Quintum. pg. 315.	pg. 225.		II, pg. 411.	
In Luterum. pg. 315.	pg. 225.		II, pg. 336.	
In Petrum. pg. 316.	pg. 226.		II, pg. 414.	
Ad Pamphilum. pg. 316.	pg. 226.		II, pg. 457.	
In Cangilianum pg. 316.	pg. 226.		II, pg. 459.	
In senem nubentem (alt. manu tit.). pg. 316.	(sine t.) pg. 226.		II, pg. 477.	
(Tormentorum epigrammata). 27 (22). pg. 316—318.	pg. 227—230.	Edidit una cum aliis monumentis a. 1864 Vilnae Nic. Malinowski.	II, pg. 281—285.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Librum mittit Alberto Lasco. pg. 319 sq.	pagina excisa superest frustulum.		II, pg. 133 sq.	
Ad Sigismundum Augustum P. reg. 2. pg. 320.	pg. 231.		II, pg. 17 (XVIII–XXI).	
De rege. 2. pg. 320.	pg. 231.			
Sigismundo Augusto r. 2. pg. 320 sq.	pg. 232.		II, pg. 13 (VI); pg. 16 (XIV).	
Ad eundem. pg. 321.	pg. 232.		II, pg. 16 (XV).	
De Iove et caesare. pg. 321	pg. 233.		II, pg. 338.	
Ferdinando (caesari) librum suum mittit (falso tit.). pg. 321.	pg. 233 sq.		II, pg. 315 sq.	
De Lasco. pg. 322.	pg. 234.		II, pg. 134.	
In effigiem Alb. Lasci viri fortiss. pg. 322.	pg. 235.		II, pg. 134 sq.	
Ioannes Riccius Annoboronsis, Ioannis Alberti ducis megalopolens. — apud Sigismund. Aug. orator. pg. 322 sq.	pg. 235.		(in adnotatione II, pg. 135).	
In effigiem divi Maximiliani. pg. 323.	pg. 235.		(in adnotatione II, pg. 135).	
In Sigismundi Augusti r. effigiem. pg. 323.	pg. 296.		II, pg. 18.	
Ad eundem regem. — pg. 323.	ordine commutato. pg. 236.		II, pg. 13 sq.	
De Philippo principe Hispaniar. pg. 323.	pg. 236.		II, pg. 324.	
In navem Lascanam. 2. pg. 324.	pg. 237.		II, pg. 136.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Aenigma in eandem navem. pg. 324 sq.	pg. 237—239.		II, pg. 136 sq.	
De Alberto Lasco. pg. 325.	pg. 239.		II, pg. 137.	
In Lascum febricitantem. 2. pg. 325.	pg. 239.		II, pg. 138.	
De vario Polonorum amictu. pg. 325.	pg. 240.		II, pg. 266.	
Ad regem. pg. 325.	pg. 240.		II, pg. 15 (X).	
De longis collariis tollendis. pg. 326.	pg. 240.		II, pg. 266.	Petropolitan. II, 29 a.
Ad Flavitium. pg. 326.	pg. 240.		II, pg. 333.	
In quendam. pg 326.	pg. 240.		II, pg. 483.	
Ferdinando caesari epitaphium. 3. pg. 326.	pg. 241.		II, pg. 316 sq.	
De Flavitio. pg. 326.	pg. 241.		II, pg. 333 sq.	
De luna et stella ad Io. Tarnovium. 9. pg. 326 sq.	pg. 242 sq.		II, pg. 77 sq.	
Carmen funebre in obitu Io. Tarnovii. pg. 328—333.	pg. 244—251.	editio Cracov. a. 1561.	I, pg. 126—133.	
Epitaphia (Io. Tarnovii). 9. pg. 333—335.	pg. 252—254.	editio Cracov. a. 1561 (praeter epitaph. 5).	II, pg. 79—81.	
In Veterinum. pg. 335.	pg. 254.		II, pg. 462.	
Sebastiano Mielecio ... munus. pg. 335.	pg. 255.		II, pg. 110 sq.	
De fure quodam. pg. 336.	pg. 255.		II, pg. 476.	
Ad Stanisl. Tencinium, palat. cracov. 2. pg. 336.	pg. 256.		II, pg. 147.	
De prandiis sarmaticis. pg. 336.	pg. 256.		II, pg. 260.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
De Sarmata. pg. 336.	pg. 256.		II, pg. 260.	
Epitaphium. pg. 336.	pg. 257.		II, pg. 148.	
Ad Gorecium. 2 (?). pg. 337.	pg. 257.		II, pg. 192; 445.	
Andreae Tencinio ... castell. belzensi ... munus. pg. 337 sq.	pg. 258 sq.		II, pg. 148 sq.	
De Condoi ducis noco. 2. pg. 338.	pg. 259.		II, pg. 325 sq.	
(Sine tit.) Ad Alcagnitium. pg. 338.	pg. 259.		II, pg. 220.	Idem in corn. 148 = Oss. 10.
De omnipotenti nummo. pg. 338—340.	pg. 260—262.		I, pg. 245 – 247.	Petropolitan. II, pg. 31 a.
De nummo androgyno. — 340.	pg. 262.		II, pg 483.	Utrumque etiam in Petropolitano II, pg. 28 b.
In dispensatorem quendam. pg. 340.	pg. 262.		II, pg. 481 sq.	
De nummo. pg. 340.	pg. 262.		II, pg. 482.	
De obsequio castrensi. pg. 340 sq.	pg. 263.		II, pg. 482.	
De Zaromba (post. ulens. pugnam). pg. 341.	pg. 263.		II, pg. 251.	Petropolit. II, pg. 28 a.
(Sine tit.) De ebrii promissis. pg. 341.	pg. 263.		II, pg. 445.	
Ad librum suum. pg. 341.	pg. 264.		II, pg. 140 sq.	
De ebrietate. pg. 342.	pg. 264.		II, pg. 442.	iterum.
Epitaphium Barsii (cast. premisl.). pg. 342 sq.	pg. 265 sq.		II, pg. 139 sq.	
In Lenciciam. pg. 343.	pg. 266.		II, pg. 274.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Epitaph. Nicol. Firlei. pg. 343.	pg. 267.		II, pg. 152 sq.	
Epitaph. Petri Firlei. pg. 343 sq.	pg. 267 sq.		II, pg. 154.	
Ad Io. Firleium mareschal. regni. 2. pg. 344.	pg. 268 sq.		II, pg. 157.	
P. Roysius Simoni Lugovio. 3. pg. 344 sq.	pg. 269.		II, pg. 205 sq.	
Nic. Firleio, castell vislic. librum mittit. pg. 345.	pg. 270 sq.		II, pg. 155 sq.	
Ad eundem. 2. pg. 346.	pg. 271.		II, pg. 156.	
Ad Sarmatam. pg. 346.	pg. 271.		II, pg. 261 sq.	
De Polono et Germano. pg. 346.	pg. 271.		II, pg. 267.	
Ad Ianum 3. pg. 346.	pg. 272.		II, pg. 432.	
Ad Aulum, dispensatorem iniquum. 2. pg. 346 sq.	pg. 272 sq.		II, pg. 432 sq.	
Ad Io. Firleium marschalcum. 3. pg. 347.	pg. 273 sq.		II, pg. 157 sq.	
In villa stoclicensi Augustino Rotundo a rege donata. pg. 347.	pg. 274.		II, pg. 219.	
In Andr. Tricesii imaginem. 3. pg. 348.	pg. 274.		II, pg. 218.	
Kosmovio. pg. 348.	(sine t.) pg. 275.		II, pg. 201.	
In vino veritas. pg. 348.	pg. 275.		II, pg. 444.	
De mulierum loquacitate. pg. 348.	pg. 275.		II, pg. 466.	
De uxore. pg. 348.	pg. 275.		II, pg. 464.	bis idem.

Ms. Corniconsis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In ludos equestres. — pg. 348 sq.	pg. 276.		II, pg. 481 sq.	
In quondam. pg. 349.	pg. 276.		II, pg. 454 sq.	
Epitaph. Gallo vel Kurek. pg. 349.	pg. 276.		II, pg. 203.	Idem in corn. pg. 68.
Librum Sellio (= Seldio) mittit. pg. 349 sq.	pg. 277 sq.		II, pg. 323 sq.	
Ad caniculam in discessu Petri Cmitae. pg. 350 sq.	pg. 278 sq.		II, pg. 64 sq.	
In indice horologii. 2. pg. 351.	pg. 279.		II, pg. 484.	
Ad Io. Lutomirscium. regium thesaur. pg. 351.	pg. 279.		II, pg. 204.	
De indice. pg. 351 sq.	pg. 280.		II, pg. 446.	
Ad Paulum poetam. pg. 352.	pg. 280.		II, pg. 429 sq.	
Ad quondam. pg. 352.	pg. 280.		II, pg. 446.	
Epitaph. Stanisl. Graphi. pg. 352 sq.	pg. 281 sq.		II, pg. 141 sq.	
Ad M. Tullium de A. Patricio. pg. 353.	pg. 282.		II, pg. 209.	
In expeditione contra Moschum (?). pg. 353.	pg. 282.		II, pg. 16 (XVI).	
Epithalam. Nicol. Trzebuchovii ... pg. 354—361.	pg. 283—293.		I, pg. 80—89.	
Epitaph. Cathar. Tenciniae, uxoris Andr. Tarlonis. pg. 361 sq.	pg. 294.		II, pg. 150 sq.	
Epitaph. Hedvigis, Nicolai Tarlonis uxoris. — pg. 362 sq.	pg. 295 sq.		II, pg. 151 sq.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Petrum regium medicum. pg. 363.	pg. 296.		II, pg. 210.	
Epitaph. Nicol. Lesintii. 2. pg. 363.	pg 296.		II, pg. 204.	
Epitaph. Alex. Ligozae. 3. pg. 363 sq.	pg. 297 sq.		II, pg. 205.	
Epitaph. Iusto patri. 4. pg. 364.	pg. 298.		II, pg. 185.	
Ad Iustum. pg. 364.	pg. 298.		II, pg. 186.	
Io. Decio epitaph. 4. pg. 364.	pg. 298 sq.		II, pg. 187.	
Ad Sarmatam de ebrietate. 2. pg. 365.	pg. 299.		II, pg. 261.	
In Bibilargum pg. 365.	pg. 299.		II, pg. 444.	
Arbitrio alieno non bibendum. 6. pg. 365.	pg. 300.		II, pg. 262.	Petropolitan II, pg. 28 a
Valedicit Cracoviae. 3. pg. 365.	pg. 300.		II, pg. 264.	
Iustae opes quae. pg. 365.	pg. 301.		II, pg. 474.	Petropolitan II, pg. 28 a
In milites. pg. 366.	pg. 301.		II, pg. 272.	
In medicos. pg. 366.	pg. 301.		II, pg. 422.	Petropolitan II, pg. 29 b
Ad Sarmatam. 2. pg. 366.	pg. 301.		II, pg. 261 et 265.	
De Ioanna Aragonia. 4. pg. 366.	pg. 302.		II, pg. 307 sq.	
(Sine tit.) Ad Chmuram. pg. 366.	pg. 302.		II, pg. 183 sq.	
Ad Hieron. Misinium. pg. 367.	pg. 303.		II, pg. 208.	
(Sine t.). pg. 367.	pg. 303.		II, pg. 476.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In Phoebum. pg. 367.	pg. 303.		II, pg. 238.	
Felix et beatus qui. — pg. 367.	pg. 303.		II, pg. 477.	
De fortuna. pg. 367.	pg. 303.		II, pg. 477.	
De voluptate. pg. 367.	pg. 304.		II, pg. 477.	
In pincernam aquae potorem. pg. 367.	pg. 304.		II, pg. 468.	
Epitaph. Phoebi. — pg. 367 sq.	pg. 304.		II, pg. 401.	iterum.
In Pigaulum. pg. 368.	pg. 305.		II, pg. 460.	
In quosdam rusticos. pg. 368.	pg. 305.		II, pg. 419.	
(Sine tit.) In importunos morum correct. pg. 368.	pg. 305.		II, pg. 237.	
In Macrinum. 3. pg. 368 sq.	pg. 306.		II, pg. 452 sq.	
In Phoebum. pg. 369.	pg. 306.		II, pg. 430.	
Ad regem. 2. pg. 369.	pg. 307.		II, pg. 15 (XI et XII).	
De Sarmata. pg. 369.	pg. 307.		II, pg. 260.	
In reginae Bonae praedam. pg. 369.	pg. 307.		II, pg. 11.	
De poena homicidii ad Sarmatam. pg. 369.	pg. 308.		II, pg. 257.	
Ad Podlodovium Lupam. 2. pg. 369 sq.	pg. 308.		II, pg. 211.	
Epitaph. Podovii. pg. 370.	pg. 309.		II, pg. 212.	
Epitaph. Nicol. Orlovii. pg. 370.	pg. 309.		II, pg. 209.	

Ms. Cornicensis	Ms Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
Ad Iustum Ludovicum Decium Constantia uxore ducta. pg. 370.	pg. 309.		II, pg. 186.	
Epitaph. Erasmi abbatis. 2. pg. 370.	pg. 309 sq.		II, pg. 190 sq.	
De cunctatione caesaris. pg. 370 sq.	pg. 310.		II, pg. 304.	
Ad mutuum petentem. pg. 371.	pg. 310.		II, pg. 478.	
In medicum quendam. pg. 371.	pg. 311.		II, pg. 389 sq.	
In quondam. pg. 371.	pg. 312.		II, pg. 465.	
Epitaph. Ursulae Droioviae. 2. pg. 371 sq.	pg. 312.		II, pg. 188.	
Ad Severinum Bonerum. pg. 372.	pg. 312 sq.		II, pg. 43.	
In quendam. pg. 372 sq.	pg. 313 sq.		II, pg. 388 sq.	
Epitaph. Io. Andreae medici. pg. 373.	pg. 314.		II, pg. 182.	
De artibus. De medicis (2). pg. 373.	(sine tit.) pg. 315.		II, pg. 474; 420.	
(deest).	Ad Sarmatam in dictionarium Io. Mączyński 7 (deleta) pg. 315 sq.	Mączyński, Lexicon latino polon. Regiomontii 1564 (8 epigrammata).	II, pg. 278 sq.	
Roma de Polonis. pg. 373 sq.	pg. 316.		II, pg. 279.	
(Sine tit.). pg. 374.	pg. 316.		II, pg. 475.	
In Palumbum. pg. 374.	pg. 317.		II, pg. 430.	
	De regina Bona (deletum) pg. 317.		II, pg. 11.	Idem cornic 369 = oss. 307.

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
De vita christiana. pg. 374 sq.	pg. 319 sq.		II, pg. 358 sq.	Idem cornic. 194 = ossol. 67 sq.
Christiana admonitio. pg. 375 sq.	pg. 321 sq.		II, pg. 360 sq.	Idem corn. 195 = oss. 69 sq.
Pontifex Sarmata. — pg. 376—386.	pg. 323—340.		I, pg. 137—149.	
De origine iuris. — pg. 386—393.	(ultima pars desideratur) pg. 341—348.		I, pg. 150—158.	
Ad Andr. Gorcensem ... Historiae polon. lib. I ... pg. 394—398.			I, pg. 17—21.	
Baccheidos lib. I. — pg. 398—403.			I, pg. 233—239.	Idem in msto. navrensi IV, pg. 75—78.
Hedvigis ... pg. 403—404.			I, pg. 22—23.	
De arte adulandi. — pg. 405—406.			I, pg. 242—244.	
Ad Tomitii manes planctus. pg. 407.			II, pg. 37 sq.	
Somnium Roysii. — pg. 407—409.			I, pg. 24—25.	
(Sine t.) epigrammata. 5. pg. 410.			II, pg. 204; 306; 487; 486 sq.	
Ad Io. Chotkieviciam. 2. pg. 411.			II, pg. 126.	
In Phoebum. pg. 411.			II, pg. 450.	
(Sine t.). pg. 411.			II, pg. 472; 437; 403.	
In obitu Georgii Bona ... pg. 412 sq.			II, pg. 331 sq.	
Epitaphium. pg. 413.			II, pg. 332.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
In lituanicam peregrinationationem. — pg. 413–414. In bibulos (solum titulus). pg. 414.		Dissertationum actorumque cl. philol. acad. litt. cracov. tomi XII, pg. 402–404 ed. Cas. Morawski.	I, pg. 240—241.	In msti. carminum Cricii bibl. Crassiniorum varsaviensis ultimis duabus paginis.
		Modrzewski, Ad senatum oratio II de poena homicidii. Cracov. 1545 (13 vv.).	II, pg. 207 sq.	
Sub stemmate episc. Maceovii. 5. pg. 147.	pg. 9 sq.	**Rubricella** cracoviens. quottidiana a. 1546 (2) (in stemma Maceovii).	II, pg. 54.	
		Hymni aliquot ecclesiastici. Cracov. 1548 (18 vv.).	II, pg. 351 sq.	
		Io. Langus, Carminum lyricorum liber. Augustae Vindel. 1548 (sub finem).	II, pg. 304.	
		Bartł. **Groicki**, Porządek sądów. Kraków 1562 (1559) (6 vv. post. praef.).	II, pg. 195.	
		Iac. **Górski**, De generibus dicendi. Cracov. 1559 (6 vv.).	II, pg. 193.	
		Tricesii Epigrammatum lib. II. Cracov. 1565 (32 vv.).	II, pg. 159 sq.	
		De apparatu nuptiarum Sigismundi Augusti et Elisabes. Crac. Ungler. 1543; ibid. Hier. Victor. 1543.	I, pg. 29—41.	
		Carmen funebre in obitu Petri Gamrati. Cracoviae apud vid. Unglerii 1545.	I, pg. 93—98; II, pg. 40—42.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolinens	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
		Ad sacros. Samuelem episc. plocensem, cracoviensem designatum. Cracoviae ap. Victorem 1545.	I, pg. 227—230; II, pg. 47—50.	
		Carmen tumultuarium adver. astrologum q., in vitam Samuelis episcopi mentitum: S. l. et a.	I, pg. 251—257. II.	
		Ad Nic. Radivilonem epithalamium. S. l. et a.	I, pg. 72—79; II, pg. 38.	
		Regi Ferdinando in coniugis Annae obitu epitaphia. Cracoviae 1547.	II, pg. 309—315.	
		Ad Samuelem episc. cracov. carmen de s. pontifice caeso sive Stanislaus. S. l. et a.	I, pg. 3—16.	
		Historia funebris in obitu Sigismundi Sarm. regis Cracoviae. Ungler. 1548.	I, pg. 99—117; II, pg. 6—9.	
		Nenia in funere Sam. Maceovii. Cracoviae: Lazarus Andr. 1550.	I, pg. 118—125; II, 52 sq.	
		Ad Sigismundum Augustum r. c. consolatorium. Cracoviae. Heredes M. Scharffenberger 1563.	I, pg. 217—223 (epigrammata ad calcem addita II, pg. 364 sq.)	
		Ad proceres Polonos de matrimonio regio. Cracoviae. Heredes M. Scharffenberger 1553.	I, pg. 197—208.	
		De apparatu nupt. Sig. Augusti et Catharinae. Cracoviae. Heredes M. Scharffenberger 1553.	I, pg. 61—71.	
		Chiliastichon. — Cracoviae 1547.	I, pg. 159—196.	

Ms. Cornicensis	Ms. Ossolineus	Editiones priores	Haec editio	Adnotanda
		Dissertationes actaque class. philol. acad. litt. cracov. t XII, pg. 403 sq.	II, pg. 263 sq	Mstus. Cri ii carminum bibl. Crassin. Varsov. in ultimo folio.
		Index tormentorum Sigismundi Aug. regis in biblioth. stockholmensi asservatus, a Nicol. Malinowski a 1864 Vilnae una cum aliis veteribus monumentis editus.	II, pg. 283 (XIV).	Apographus indicis in bibliotheca cornicensi exstare traditur.
		Decisiones lituan. Praefatio init. (Hesiod. Ἔργα κ. ἡμ. vv. 256—262).	II, pg. 491 sq.	
		Ibid. IV, 138 (ibid. vv. 293–297).	II, pg. 492.	
		Ibid. III, 263 (Homeri Odyss. XII v. 341 sq.).	II, pg. 492.	



Appendix III.

Editionis huius apparatu iam paene omni typis excuso pervenit in manus meas liber a Theodoro Wierzbowski editus (Materyały do dziejów piśmiennictwa polskiego. Tom I., Warszawa 1900), qui tabulariorum haud spernendas copias, ad litteras vitasque scriptorum saeculi XV atque XVI illustrandas pertinentes, complectitur. In quibus cum etiam Royziana quaedam adhuc mihi ignota continerentur, abesse eorum fructum ab hac editione nolui atque haec praecipua enotavi:

1. Pg. 134 sq. repetitur ex publici regni poloni tabularii litteris (metryka kor.) Sigismundi Augusti regis decretum, Grodnae die 10 mensis augusti a. 1567 datum, quo Royzii stipendium annuum quingentorum florenorum, quod antea ex salinarum Vielicensium reditu numerabatur, thesauro curiae regiae solvendum adtribuitur. Factum id esse traditur ex comitiorum regni scito, quo omnia, quibus inde ab Alexandro rege contra leges salinarum reditus onerarentur, ad alia vectigalia transferri placuisset. Quo regis decreto cognito cum Royzii querellas certo iustoque fundamento non caruisse appareat, id tamen etiamnunc non liquet, qua ratione, cum rex diserte praecepisset, ut Royzio usque ad extrema eius vitae tempora a thesaurario regni curiae hoc annuum stipendium singulis annis quaternis aequis portionibus, non exspectatis unquam aliis ipsius litteris, sine ulla difficultate persolveretur, res eo deducta sit,

ut Royzius hoc stipendio destitutus regem adiret ac postremo non ex polono, sed ex lituano regis curiae thesauro quaedam hoc nomine accepisse traderetur. (Conf. praefat. huius libri pg. XXXV sq.; XLI).

Ceterum decretum a. 1567 repetit multa, quae ad Royzii merita pertinent, eisdem fere verbis, atque decretum a. 1559, unde etiam id explicabis, quod cum in decreto a. 1559 Royzius viginti fere annos apud Polonos commorari dicatur, etiam in decreto a. 1567 idem „ante plus minus 28 annos" in Poloniam Bononia commigrasse fertur, id quod aliquantum a vero aberrare in mea polona de Royzio dissertatione (pg. 49 = 9 adn. 5) demonstrasse mihi videor. Unum tamen, quod desideratur in decreto a. 1559, commemorat rex in decreto a. 1567, Royzium, cum a Ferdinando, Romanorum rege, Viennam vocaretur, a Sigismundo Augusto, ut in Polonia maneret, stipendio proposito esse permotum. Atque locus ille decreti ita conformatus est, ut Royzium bis a Ferdinando, primum vivo adhuc Sigismundo I, deinde post eius mortem Vindobonam accitum esse, etsi non certum sit, suspicari tamen liceat. Verba enim decreti ad eam rem spectantia haec sunt: (significamus) ... hac (Royzii) ab omnibus passim vivo adhuc parente nostro celebrata laude eruditionisque fama excitum serenissimum olim socerum nostrum Ferdinandum, tum Romanorum regem, postea imperatorem designatum, illum ad se vocasse, nos vero, cum et ipsi post divi parentis nostri decessum intelligeremus ... stipendio illi proposito ... facile homini persuasisse, ut ... (conf. praef. huius pg. XXVII).

2. Pg. 112 editionis Wierzbowscianae repetuntur ad exemplar bibliothecae Barberinianae litterae Sigismundi Augusti regis die tertia m. augusti a. 1561 Vilna ad Pium IV missae, quibus Royzius ad munus rotae auditoris, post Antonium Augustinum, episcopum illerdensem declaratum, vacuum Aragonensibusque solis reservatum, pontifici romano studiosissime commendatur (conf. praefat. huius pg. XXXII). Ex quibus litteris etiam perspicuum est regem iam antea aliis

in causis aliquoties litteras commendaticias de Royzio ad papam misisse.

3. Pg. 85 et 91 exhibentur pauca ad Royzii ipsius manu scripta expressa, ex quibus patet, id quod iam aliunde collegi (praefat. pg. LVI), libros manuscriptos Cornicensem et Ossolineum, quibus plerumque haec editio nititur, Royzii manu non esse exaratos.

4. Pg. 83 sqq. illustrantur in epistula, ab ignoto quodam homine conscripta, clandestina consilia artesque, quibus rex senex in episcopi cuiaviensis munere tum vacuo deferendo oppugnabatur (conf. praefat. huius pg. XXIII).



Parte I continentur haec maiora:

HEROICA ET NARRATORIA.

I.

CARMINA HEROICA ET NARRATORIA.

1.

Ad virum illustrem SAMUELEM,

episcopum Cracoviensem et supremum in Polonia cancellarium.

Carmen de sancto pontifice caeso sive Stanislaus [1].

Saepe ego, qui cecini magnorum gaudia quondam
Heroum [2] solvique animos et carmine laeto

[1] Hoc carmen editum est primum sine loci annique nota inter a. 1517 et 1550, id quod patet ex titulo Maceovio in indice adscripto; nam ipse factus est supremus cancellarius a. 1547, obiit autem a. 1550. In bibliotheca Ossolinea, ubi huius carminis editio prima asservatur, exstat etiam alia editio, numero 14419 signata, ex ampliore libro evulsa, nam et ante nostrum carmen desunt chartae 16, et ad calcem finis libri non notatur. Esse hanc alteram editionem partem libri, qui etiam Simonis Simonidae Divum Stanislaum 84 octonariis celebratum continuerit et Cracoviae in officina Lazari per Basil. Skalski a. 1607 excusus sit, et Ossoliński (Wiad. hist. kryt. II, 228) re examinata prodidit et ignota manus in ipsa editione adnotavit. Ceterum Ossoliński l. c. etiam alias posteriores huius carminis editiones nuncupat. Nisus sum, ut par erat, prima editione, alteram inspexi. Ceterum epigramma in editione prima imagini Maceovii armorum gentilium in indice adscriptum, cum nullo artiore vinculo cum carmine cohaereat, satius visum est infra in numero ceterorum epigrammatum Maceovio dicatorum repetere.

[2] Notat sua carmina nuptialia antea edita.

Mente procul populi curas, nunc tristia maestus
Funebribus plangens numeris exordia sumam[1].
Aspira, magne o Samuel, mihi suffice carmen,
Praesidiis, velut ante, tuis et funera flenti
Ante tui cessoris[2] ades. Seu templa deorum,
Augusti seu celsa tenet te curia regis
Inclita Sarmatici, moderantem iura senatus,
Sive tui rerum vacuus Pradnicis ad undam
Fronde super viridi recubas et tecta superba
Miraris tua, sidereo quae tollis Olympo:[3]
Qui te cumque tenet locus, adsis. Flebile sancti
Pontificis funus dicam, qui, caesus ad aram
Ob Christum templique decus laniatus et artus,
Infandum, regis dextra sparsusque per auras
Alitibusque feris datus esca, fit integer olim
Extemploque suo coierunt membra tenore.
Christe mihi causas memora, quibus excita quondam
Ira Boleslai exarsit? cur regia dextra
Caede Stanislaum crudeli obtruncat ad aras
Pontificem? tantaene animis regalibus irae?[4]
Iustus erat praesul, quo non praestantior alter
Ore ciere viros animosque attollere caelo,
Sarmata Sauromatas inter sanctissimus unus,
Fama ingens factisque, tuus, Cracovia, praesul,

---

[1] Imitatur illos versiculos, qui vulgo praemittuntur in libris Vergili Aeneidi: Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena Carmen cett.

[2] sc. sti. Stanislai, episcopi Cracoviensis. Sed fortasse Carmen funebre in obitu Petri Gamrati a. 1545 a se emissum tangit. Suspicari enim licet a Samuele Maciejowski impensam in carmen illud edendum factam esse eamque rem notari verbis: „praesidiis cett". Tmesis in voce antecessoris consuetudini optimorum scriptorum repugnat.

[3] Descripsit hanc villam, ab ipso Samuele Maciejowski in pago Prądnik Czerwony ad fluviolum eiusdem nominis aedificatam, cuius etiam nunc satis conspicuae servantur reliquiae, Lucas Górnicki in libro q. i. Dworzanin polski. Locus similiter compositus est in Lucani Pharsal. I, 48 sqq.

[4] Totus hic locus effictus est ad Vergili Aen. I vv. 8—11.

Ast quem laeta suum Scepanovia[1] iactat alumnum,
Tantum nacta decus, felix Scepanovia tellus!
Non illo quondam populos errare magistro
Fas erat aut divis colere impia fana relictis,
Non vitiis onerare animas, non crimine vitam
Polluere et tacito versare in pectore fraudes,
Insidias struere et mensas temerare veneno,
Non odisse suos iramque lacessere divum,
Turbatis sacris et religione vetusta.
Non fas[2] ignotos sine praesule figere[3] ritus
Et morem templis audere imponere divum,
Sanctior ac[4] aevi quae gens tulit illa prioris,
Quaeque hodie vasti sequitur pars maxima mundi,
Arbitriis mutare suis et sola putare
Recta, placent uni populo quaecunque profano,
Contemptisque novos patribus praescribere cultus,
Sit tanquam afflatum meliori numine vulgus,
Ceu rigeant proceres, sit flamine plena deo plebs.[5]
Qualia monstra gemens nostra aegre sustinet aetas
Iactatusque sacer tot tempestatibus ordo.
Tuque adeo, Romane pater, cui terra fretumque,
Cui Styx mortali, melior cui paret Olympus,
Indignans late spoliatis aspicis aris
Sarmatiamque doles tantum in discrimen iisse
Sacrorum, male vicinus quam perculit error.
Et nisi nos tandem caelo deus aequus ab alto
Respectet miseros, frustra tua fulmina torques
Aeternasque neces et nigra minaris averna.

---

[1] Pagus in terra Cracoviensi prope Bochniam urbem situs, ubi stus. Stanislaus a. 1030 natus esse traditur. Ceterum conf. sis ad singulos locos huius carminis adnotationes historicas, quas dedi ad Panegyr. ad div. Stanislaum Pauli Crosnensis in altero volumine Corporis inde a pg. 42. Clarius et accuratius Paulo enarravit rem Koyzius.

[2] Scil. enim, nam est digressio, quae respicit tempora ipsius poetae.

[3] Sic in libro.

[4] Ita in libro pro „atque" optimorum scriptorum.

[5] i. e. quasi vulgus proceribus praestaret iudicio divinitus inspirato.

Viveret o utinam[1] et vitales carperet auras,
Perpetuumque colo Lachesis deduceret aevum!
Talia non illo molitus Sarmata quondam
Pontifice est, Saxo[2] arva licet vicina teneres,
Saxo novae assertor pietatis et improbus auctor,
Divini Saxo verbi importunus adulter!
Urgebat dictis populos iussisque premebat,
Ore potens praesul vitaque verendus honesta.
Regem ille ac populum nullo discrimine habebat,[3]
Numina laedentem sic carpere suetus utrumque,
Esset ut upilio regi par, purpura nullos
Principis aut maius facinus sentiret honores.
Quin saepe in reges maioribus excitus iris
Antistes ruit ac verbis exarsit acerbis.
Crudelis leti fuit olli unde omnis origo:
Quippe Boleslaum, gentis qui sceptra Polonae
Sauromatum late populorum et regna tenebat,
Dum carpit praesul magnisque licentius ausis
Increpat exuere et vitiis et crimine tentat,
Quo se rex quoque augustos foedarat honores
Plurimus impleratque odiis urbesque domosque
In sese, atque sui oblitus, divumque hominumque
Quidquid erat, nil rex vitiorum liquit inausum.
Quid memorem cives caedentem urbemque suorum
Sanguine foedantem populantemque omnia ferro?
Matres, infandum — quod postera nesciat aetas! —
Ablatis gremio natis, sugenda ferarum
Ubera dant catulis saevo cogente tyranno.
Haec bonus antistes dum iusta percitus ira
Castigat regemque iubet meliora monenti
Parere et facilem voces audire deorum,
Illius in sese exacuit crudelia corda
Armavitque manus. At non tamen abstinet audax

[1] Scil. stus. Stanislaus.
[2] Edit I: „saxo“ hic et v. 60; correctum in secunda.
[3] Verg. Aen. X. 108.

Incepto, videat quamvis sibi dira tyrannum
Fata parare necemque atrocem et funera saeva.
Ergo secreto non iam regem admonet ore,
Saepius indigne regali pulsus ab aula;
Publica non iam vox sat erat, non carmina dira,
Quae in Ditis mittunt hominem pallentia regna,
Exsortemque boni faciunt vitaeque beatae[1].
Facto opus est: templis divum atque altaribus arcet
Regem infelicem, conclusis undique valvis,
Qua rex it gressumque infert in templa Deorum.
Talibus in regem praesul fortissimus usus,
Tantorum vindex scelerum vitaeque nefandae,
Qua se rex quaque augustos foedarat honores.
Ille autem, accensus furiis victusque dolore,
Tantum pontificis tolerare haud iam potis ausum,
„Multorum victor populorum o," inquit, „ab uno
Sacrifico vincar? me, quem Scytha quemque Valachus,
Quem Moschus tremit et quicquid stans aspicit arctos,
Imbellis pulsat manus atque altaribus arcet
Divum conventuque hominum? mihi dira minatur
Excidia infernosque ignes mortemquem perennem?
Ah ego, qui nuper Ruthenum Marte subegi
Austriacasque arces et fortis castra Moravi
Ense tuli, quo Pannonius victore tyrannus
Purpuream fundens animam terram ore momordit,
Scilicet haec patiar, dum ferrum dextera et arma
Sustinet? et non sacrificum hunc, non hoc caput audax
Dedo neci pedibusque meis in vulnera curro?[2]
Dedo neci manibusque meis in Tartara mitto?
Non mihi lux haec, non caelo sol ante voluto
Occidat et stellas accendat in aethere vesper,
Quam caput illud ego scapulis tergoque revello,
Invisum caput et merita meme expleo caede!"

---

[1] exsecrationes devotionesque (klątwy).

[2] „in vulnera currere" similiter dictum atque illud Ciceronianum „in sententiam currere".

Eheu! rex demens, facinus qui cogitat atrox
Pontificem templis aptam meliora monentem
Sacrilega violare manu sanctamque cruorem
Fundere et armata moliri funera dextra.
Quin melius monitus antistitis audiat ultro
Et miserandam animam scelerato crimine solvat,
Nec se praecipitem sub aperta pericula mittat?
Sed non sponte sua iam rex miser atque suis it
Admonitis: agitur furiis et turbine mentis
Huc atque huc fertur nec se ratione gubernat,
Quo furor impellit demens et tristis Erinys,
Quo rabies malesuada rapit, sine ductus ullis
Consiliis. Hominum non hunc metus atque deorum
Interea retrahit; parat arma et milite saevo
Cinctus it in caedem. Mora longa in omnis eunti
Sunt quaecunque loco, quaecunque cecidere sede
Pontificem atque animam scelerato abrumpere ferro.
Ulli non hominum divumve pepercerit aris.
Forte Stanislaus Graculi extra moenia praesul —
— Omnia namque ille ob regem templa [illegible], —
Sacra Michaelis parva faciebat in aede.
Post urbem, Casimire, tuam, qua se Istula findit,
Alluit et nostrum [illegible] flumine [illegible].
Huc actus furiis rex fertur et impete magno
Templa dei subiens — sed nuper milite sacra
Pontificem [illegible] aede [illegible] [illegible].
Sed visum templis divorum atque dedisse,
Si non pontificem sacra [illegible] in aede.
It miles dicto parens et iussa capessit.
Templumque ingressus sanctum [illegible] ad ara
Pontificem Divumque [illegible]. Quis numina [illegible]?[1]
[illegible] miles vim ferre parat, [illegible] amens
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible].
[illegible] tamen hoc regis [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].[1]

[1] [illegible]

Quin magis indignans, dira ceu pulsus Eriny[1],
In templum frendens ruit obiurgatque morantes
Armatos, resides animos, imbellia corda
Exclamat, qui non iam dudum ex aede revellant
Pontificem et sacris operantem caede cruentent,
Succeditque operi scelerato et fertur in hostem, —
Non hostem, infelix sed quem sibi fecerat hostem.
Dextram iniecturus iamque avulsurus ab ara
Pontificem, ferroque virum violare paratus
Atque deos, retro rex it — mirabile visu —
In terramque ulli non tactus volvitur amens
Protinus, immotusque iacet ceu truncus humi rex.
Mox surgens animoque resumpto rursus in aram
It ferroque caput facientis sacra cecidit
Pontificis caesumque trahit violentus ab ara,
Ante foresque necat templi. Timuisse putandum est
Tectorum casum et praesentis numinis iram,
Ne sese media vindex in caede lacunar
Obruat et sceleratam animam, scelere ultor in ipso,
Auferat irata dextra Deus et nece saeva,
Quasque furens animis violarat martyre caeso,
Ipse cruore suo sacratas imbuat aras.

Non satis immani fuerat saevoque tyranno
Pontificem vita spoliare et sternere ferro,
Sanctum pontificem, nisi centum in frusta cadaver
Ense secet spargatque sacratum corpus in auras.
Ante fores ergo non uno vulnere caedem
Expedit — offensi quid non facit ira tyranni?
In partes corpus saevo secat ense minutas.
Hinc caput inde manus, dextram hinc atque inde sinistram,
Inde pedes, genua hinc divellit ab artubus artus:
Non tergo cervix humerisve haesere lacerti,
Non cruri femur, avulsis non tibia suris.
Barbarus ut quondam caro crudele perempto

[1] Forma haec caret auctoritate antiquorum. Ceterum editio exhibet Eryni et ita ipse K. videtur scripsisse.

Fratre furit miles fraternaque vindicat ultor
Funera et incumbens multa nece saevit in hostem,
Vulnera vulneribus geminans atque ictibus ictus,
Nec se explere potest, dum spiritus artubus ullus
Palpitat et motare animam videt eruta membra:
Praesule non aliter trux rex se gessit in ipso.
Trux magis, heu, dirus magis, heu, truculentus et ille,
Barbarus ille magis: sectos, ut se expleat, artus
Discerptumque cadaver agrum iactare per omnem
Imperat alituumque escam iubet esse ferrarum.
At Deus omnipotens caelo demisit ab alto
Terribiles rostris aquilas atque unguibus uncis,
Quattuor, a totidem caeli quae partibus artus
Alitibus[1] servent avidis et vulture pulso.
Visa quoque in noctem medio fax lucida caelo,
Quae sparsum illustret nocturno lampade corpus.
Quo monstro attoniti cives, quum postera primum
Tithoni croceum linquens Aurora cubile[2]
Effulsit terris, collectos undique tollunt
Componuntque artus una conduntque feretro.
Hic maius sequitur, vidit quod nulla vetustas
Prodigium: coiere artus — mirabile dictu —
Inque abiere suam nullo cogente figuram.
Prima redit facies Superum vi; nulla cicatrix,
Non ullae plagae manserunt: vivere dicas,
Frigida ni rigeant immoto corpore membra.
Protinus audita re monstroque excita tanto
Circumfusa ruit late Cracovia tota,
Et civis, Casimire, tuus studioque videndi
Huc omnis populus vicinaque confluit ora.
Mirantur coiisse artus diversaque membra,
Quae nuper disiecta agros videre per illos.
Agnoscunt veterem faciem divamque figuram
Pontificisque sui vultus, si vita mnneret,

[1] Utraque editio: „A litibus".
[2] Verg. Georg. I, 447; Aen. IV, 585; IX, 460.

Attonitique stupent, illum hic, hic aspicit illum,
Si credant sibi, quae coram cernuntque videntque.
An rex immanis rursus tela impia sumes
Sacrilegasque manus superis infensus et aethrae
Intuleris demens, divum et miracula solves,
Inque anima cassum tua strinxeris arma cadaver?
Quanti olim, infelix, heu, quanti optaveris emptum
Pontificem intactum et sacrum servasse cruorem?
Mox regno, — breve tempus erit, — depulsus avito
Lugebis tua facta, exsul tecta extera quaerens.
Condere corpus humi sanctumque inferre sepulcro
Tempus erat, nullo ne magnus honore iaceret
Martyr, magna licet populo spectare libido
Praesulis ora sui, nec se satiare videndo
Attoniti possint, aut fixa cadaver in ipsum
Lumina et intentas valeant avertere mentes.
At tandem dant corpus humo vilique locatus
Aggesta e terra tumulo Scepanovius heros,
Maximus exigui iuxta iacet ostia templi.
Non illi populus dare marmoris ausus honores,
Non intra delubra illum tumulare deorum;
Non lugubre canunt tumulum nec carmine signant.
Talia si faciant, saevum timuere tyrannum
Funestasque manus, iterum ne dirus in aras
Irruat et clausa manes disturbet ab urna,
Pontificemque suum videat Cracovia centum
Sectum in frusta iterum discerptaque praesulis ora.
Non haec finitimas tantum vulgata per urbes
It fama et crudele nefas; non frigidus axis,
Nec soli hoc septem funus flevere triones:
Res late exierat populoque audita Latino est
Hesperiaeque omni. Iam Thybridis accola luget
Romuleusque pater, vasti datus arbiter orbis,
Terrarum caelique potens nigraeque gehennae,
Ingemuit caede audita lacrimasque profudit;
Exciderat que aegro prope vertice sacra tiara,
Dextraque vix sceptrum tenuit, cubitoque moratus

Incumbens, humeris heros caput exserit altis
Turbidus, et mixta lacrimis sic intonat ira:
„Ergo crudeli, rex barbare, caede tulisti
Pontificem, caelique virum templique ministrum,
Divorumque domos temerasti martyre caeso?
Irato poenas olim Deus ore reposcat,
Et des crudeles[1], crudelisque exigat Orcus.
Regali interea nobis spoliandus honore es".
Continuoque omnem, qua se Istula fluctibus infert,
Sarmatiam diri regali iure tyranni
Edicto solvit sacro; populumque patresque
Liberat imperio; regaleque sustulit ostrum,
Iusque Boleslao regni indignatus ademit.
Ferre nefas sceptrum capitique adhibere tiaram
Esse iubet; dirisque caput Stygiaeque paludi
Devovet exstinctisque canit mala carmina flammis
Praesentans illi tenebras noctemque profundam.
Talibus immanis factum crudele tyranni
Castigat, caedemque pater Romanus inultam
Haud sinit, et fusum non olim impune cruorem
Pontificis iusta perculsus vindicat ira.
Praeterea sacris imposta silentia templis.
Non fas pontifici sollemnes ducere pompas,
Non canere ante aras vocesque attollere caelo.
Murmurat in templo demissa voce sacerdos
Valvarumque homines obiectu submovet aris.
Pulsa nec excelsis resonant in turribus aera
Temporibusve suis populo dant signa vocato.
Luce sub extrema, si quem sua fata vocarunt,
Non decus inferiae, non ullos funus honores
Aere tulit pulso; nec maestis vocibus hymnus
Placavit manes veniamque poposcit Olympum.
Conduntur pura morientum corpora terra,
Indecoresque iacent quocumque in pulvere cives,
Auratumque equitem marmor non claudit avitum.

[1] sc. poenas.

Hic quoque cernere erat populos discrimine nullo
Ire, iugo postquam excusso sprevere tyrannum.
Vulgus honoratis commixtaque civibus it plebs.
Non dominum glandem ructans[1] agnoscit agrestis
Armatus sude ferrata; non vertice nudo
Cerdo magistratum meritoque affatur honore,
Cuncta ruens, sine more furit lasciva inventus.
Nulla olli sat clausa domus; non vectibus ullis
Defensaeve nurus castaeve fuere puellae.
Scilicet irrumpunt magnae in penetralia Vestae;
Intactos thalamos et sacros dis hymenaeos
Ausi polluere, ansanctumque[2] auferre pudorem.
Accinctus ferro pauper locupletis in aedes
Currit hians praedae gazamque fatigat avari.
Importuna animos mendicis addit egestas.
Ius erat in dextra: quo fert sua quemque libido,
Irrumpit demens; campo grassatur aperto
Securus latro poenarum et carceris atri.
Qua fert cumque pedem, trepidat cum fasce viator
Praetentasque notis ludentibus expavet umbras,
Praedonem metuens ramo latitare sub omni.
Non noctem cives horrent tenebrasque ruentes:
Luce furens media stricto sicarius ense
Irruat atque palam quemcunque impune trucidet.
Non fora, non leges, non iudicis ora severi,
Non ulli fasces metuuntur: vi geritur res.
Hos motus, quos ipse malis exciverat ausis,
Arce Boleslaus nequicquam spectat ab alta
Et spretus vana sine viribus aestuat ira.
Qui modo Sarmatiam late tremefecerat omnem,
Et fortes sumptis terrebat Teutonas armis
Arvaque possesso septem subiecta trioni,

---

[1] Ructare eadem notione atque edere ecclesiastici demum scriptores usurpaverunt.

[2] Sic in utraque editione. Facile potui corrigere, si scripsissem: „heu, sanctumque“.

Hunc nunc impavidi brevia intra moenia cives
Contemnunt coramque audent excire tumultus.
Et, quod triste magis quodque exitiale tyranno,
Concilium proceres agitant omnisque senatus,
Ponere regales fasees et sceptra negantem
Seu perdant ferro, seu captum in vincula ducant.
Ferre Boleslai iam dudum dura nequibant
Imperia exosi et nullis tolerabile regnum.
Non hoc grande malum diri crinita cometae
Praeluxit fax ulla, leves quae sidera vates
Conscia fatorum dicunt, casusque futuros,
Regnorum excidia et regum portendere caelo
Cladesque stragesque, atque illaetabile bellum [1].
Ergo ubi se primo sensit rumore petitum
Insidiis, cecidere animi, nec conscia tanti
Mens sceleris stetit, invicto non pectore virtus.
Quid faciat rex infelix, cui regia non est
Tuta sat iratis patribus? subeatne periclum?
Cogitat instanti sese subducere fato
Molitur tacitamque fugam, regnoque relicto
Cum parvo ratus exsilium sibi quaerere nato,
Pannoniam venit regemque petivit amicum,
Eiectum regno quem quondam in sceptra reduxit.
Illic non aurum, non illic regia gaza,
Non structive tori, non alta palatia desunt:
Ille modo exposcat, non ulla negata voluptas.
Hic primum, sceleris memori cum saeva quierunt
Corda Boleslao, positoque insana furore
Excessit rabies et pristina reddita mens est,
Multa movens animo turbato pectore fatus:
„Heu quid“, ait, „volui miser? aut quis impulit error?
Sanctum pontificem divum sceleratus ad aras
Sacrilega occidi dextra, corpusque sacratum

[1] Uti videtur data occasione, ut astrologos, quos vanos fallacesque esse multis locis carminibusque demonstrabat, etiam hoc loco rationibus falsis niti declaret.

Centum in frusta amens secui sparsumque per auras
Vulturibus canibusque dedi crudelis in escam!
Quis deus huc adigit daemonve? quis abstulit aegro
Mentem animumque mihi? quin protinus ima dehiscis
Terra nigrosque aperis manes Acherontaque dirum,
Ditis regna patris, multo loca sulfure feta
Et poenis, quas promerui? quin terra dehiscis
Et me tergemini viventem mittis in ora
Insaturata canis, mactandum rictibus illis?
Aut tu sontem animam hanc, caelo indignatus ab alto,
Funde pater dextra et saevo me fulmine tolle"[1].
Talia iactabat mortemque miserrimus ultro
Poscebat lacrimisque genas foedabat et ora,
Ilia concutiens gemitu et singultibus aegra.
Non epulas capere aut speciosum haurire Falernum
Deliciaeve iuvant ullae, cantusve lyraeve.
Absque cibo solem et stellas videt absque sopore.
Exagitata malo mens non capit aegra quietem,
Humida nec gravido nox prensat lumina somno.
Visa animum interea ludunt, et corpore cassae
Ante oculos media volitantes nocte figurae.
Heu! qui non acies, qui non modo tela timebat,
Non truculenta ducum mediis in milibus ora,
Hunc vanae species atque irrita terret imago.
Hinc tristis, saevas agitans in pectore curas,
Consilii ignarus melioris, seu deus ultor
Seu caeca impulerat vesania, mentis inops rex
In silvas abiisse vagus lucosque profundos
Fertur, et a canibus vestigia nota secutis,
Quis rabiem deus et saevas immiserat iras,
Interiisse suis, factus miser esca ferarum:
Dente truci laniatus, humi ferus occubuit rex.
En memores iustosque deos! quae funera sanctis
Manibus insontique animae ferus ille pararat,
Haec eadem patitur sparsusque cadavere toto

[1] Verg. Aen. IX, 495 sqq.

Atra canum infelix rabidorum viscera complet,
Semianimesque feris trepidant sub dentibus artus.
  At tu, magne, toros, pater o Scepanovie, sacros
Sede tenes celsa et positis stas aureus aris:
O! patriae tutela tuae, cui Sarmata largum
Tus adolet septemque genu flexere triones,
Et, saepe ereptis discrimine civibus olim,
Plurima cui totis pendent donaria templis![1]

---

[1] Hoc versu desinit editio prima. In editione altera adscripti sunt hi duo versus:

Placatum precibus supremum redde Tonantem
Sauromatis, cunctisque tuos defende periclis.

Quorum versuum auctorem esse Stanislaum Grochowski suspicatur Ossoliński (Wiad. hist. kryt. II, pg. 228).

2.

Ad principem virum
ANDREAM GORCENSEM,
comitem,
Maioris Poloniae supremum praefectum [1].

Historiae Poloniae
Liber primus.

Sarmatidos liber primus [2].

Sauromatum prima reges ab origine dicam
Saecula ad haec, addam pugnatas ordine pugnas
Et multis olim crescentia regna tropaeis.
Tu, cui prima hominum et rerum debetur origo,
Une Deus, quem nulla latent, quae viderit olim
Prisca aetas primis mundi nascentis ab annis,
Dicentem rege promissisque allabere coeptis.
Tuque adeo, Comes Andrea, decus aethere dignum,
Andrea, Gorcane Comes, seu patria laetum
Gorca tenet, latis seu te Poznania campis
Iusta exercentem imperia, et tua mollia iussa
Accipit: aspicias, nostrae quae exorsa Camenae

---

[1] Castellanus Posnaniensis et Maioris Poloniae supremus praefectus factus est a. 1535, obiit a. 1551. In fide conformanda novis rebus studebat. Comitem dicit eum poeta sicut Górnicki Lucas „hrabia z Górki" (Dzieje w kor. 108 n. Sanok, 1855).

[2] Duplex titulus indicare videtur Roysio fuisse consilium totius historiae Polonorum carminibus enarrandae, Sarmatidemque fuisse primam partem inchoatae illius historiae. Exstat hoc fragmentum in libro Cornicensi pg. 394—398. Plura Royzium scripsisse non est veri simile.

Audaces meditantur, euntque in carmina pronae.
Tu, — coeptis impar calamos meus urget Apollo, —
Aspicias, faveasque meis, Comes inclite, coeptis
Grandibus. O liceat cursum metamque tenere
Et nostrum laeto canere olim carmine saeclum,
Cuius tu pars magna, Comes, pars magna legeris.

Primus Elisaeo [1], deductus sanguine Lechus,
Psarim, praecipitique ruentem flumine Crupam,
Antiquam patriam, Slavonia regna, Polonis
Unde genus ductum populis et origo, relinquens,
Arva intrat vacua et densis late horrida silvis,
Vasta, profunda, horrenda, trucum spelaea ferarum.
Explorat late ut spatiosos aequore campos,
Ecce Iovis, primum omen, aves caelo aspicit alto
Praecipites ferri, dulcesque revisere nidos,
Pullisque ablatas portare immitibus escas
Et nemora ingenti clangore replere profunda.
Omine laetus eo, — magnum portendere regnum
Visum omen, — magno regnandi accensus amore
Urbem designat, ducto et molitur aratro
Moenia prima lacus late stagnantis ad undam.
Et Gneznam vocat aerii de nomine nidi,
Quem vulgo arboribus posuit Iovis ales in altis;
— Nidus enim priscis est dictus gniazdo Polonis,
Haec et servat adhuc saeclis tot euntibus aetas, —
Lechitasque suo dixit de nomine gentes.
Hoc prisci quondam nomen gessere Poloni,

[1] In msto. „Primus Elysaeo". Sequitur hoc loco Royzius famam a Vincentio Kadłubek Długossoque traditam, qua Lechus Lechitaeque sicut ceteri Slavi ab Helisa, Iavani filio, Iapeti nepote, orti esse feruntur. Lechum ex Slavonia sive Croatia, eiusdem terrae parte, in Poloniam commigrasse praeter Polonorum historiographos etiam Aeneas Silvius tradidit. Conf. Cromeri De rebus Polonorum lib. I cap. 2 et 15, qui tamen Crapinam et Psares, Slavoniae oppida, Lechi patriam nuncupat. Inde veri simile est, Cromeri historia, cuius prima editio prodiit a 1555, Royzium usum non esse, atque ante hunc annum carmen hoc scripsisse.

Quo multi populi nunc illos nomine dicunt.
Post dicti a plano, qui est dictus pole[1], Poloni,
Quod vasto teneant spatiosos aequore campos.
Unguibus et rostro insignem et pernicibus alis
Fert aquilam Lechus: regni haec insignia fecit,
Hoc quae servat adhuc saeclum Sismundiaque aetas.
Hic iuxta Russum[2], tulit a quo Russia nomen
Et cultum, nullis ante illum accessa colonis
Ardua fundabat proscissis oppida saxis;
Moliri cernas urbes et cingere muris
Hostique oppositas astris educere moles.
Proxima deinceps[3] gens Lechi tenet ordine longo;
Sceptra manu gerit et soliis considit in altis.
Praeterea egregium nil nostro ducitur aevo;
Scriptorum latuere manus ingentia facta,
Obscurata annis et nocte sepulta profunda[4].
Heu! tempus edax aevique iniuria longi
Quantum in nostra valent saeclis quot pulchra futuris
Facta oblata patrum, serorum exempla nepotum.
Humanum nil fas occasu auferre supremo,
Vos nisi, Pierides, perpes tendatis in aevum.
Bisseni haec, postquam Lechi magna interiit gens,
Regna palatini sumptis moderantur habenis.
Sive quod augustos titulos fastusque superbos
Oderit illa aetas, seu dura exercuit ullus
Imperia ex Lechi descendens progenie rex,
Demptus honos regnis diversa in iura recessit.
Usque adeo nihil est, quod non sua proterat aetas,
Nil immortale; occasus suus omnia versat.
O hominum ignaras mentes, o pectora caeca!

---

[1] Ms. „polie".

[2] Ms. „Russus". Sed subiectum praedicati „fundabat" potius „Lechus" esse videtur.

[3] Ms. „deinde". „Proxima" scil. saecula vel tempora.

[4] Tradidit quaedam de Lecho eiusque successoribus Bernardus Vapovius teste Cromero (De rebus Polon. II, 1), sed haec Roysio non innotuisse videntur.

Egregium regum imperium gens nescia rerum
Effugit et demens meliores quaerit habenas.
His subter multas populorum cernere turbas
Hinc erat atque illinc, totamque sub arma coactam
Sarmatiam multoque undantes sanguine campos.
Marte accensa fero sua gens in viscera fertur,
Istius iste, ille illius dum paret habenis.
Ceu quondam inclusae caveis volucresve feraeve,
Diversum genus, intendunt in mutua vires
Vulnera, proscinduntque alterno pectora morsu,
Foedantes multo laniatum sanguine corpus:
Sarmatici populi sic se hinc, sic[1] se inde lacessunt,
In sua dum stringunt furiatam viscera dextram,
Vicini immemores hostis, qui plurimus olim
Imminuit, nostroque ab eo[2] non parcitur aevo.
Ecce hostes lato spatiosos aequore campos
Irruere, infestis et contra insurgere signis.
Turbata irrumpunt in regna, et Marte feroci
Fortia multa virum demittunt corpora leto.
Diripiunt populos et opes populantur avitas.
Fordas[3], infandum, matres atque ore tenentem
Infantem mammas nitidasque aetate puellas
Reste hostis durus post se trahit ordine longo.
Nil miseri contra, fracti civilibus armis,
Sauromatae; latis hostis dominatur in agris.
Non aliter, quam cum commissis cornibus iras
Exercent tauri, multo et se vulnere pulsant
Immites totosque lavant undante cruore,
Improvisus adest saltu lupus actus in armos
Disrumpitque fero trepidantia viscera dente,
Nec vitulis parcit, nec vaccis mitibus, agris
In mediis late teneras tondentibus herbas,

---

[1] Ms. „si" (?).
[2] Ms. „adeo".
[3] Abutitur hoc adiectivo de hominibus. Potuit scribere: Matres, infandum, gravidas...

Distentusque saturque altis exsultat in arvis:
Divisis quondam contingunt talia regnis.
Sarmatia infelix, cum se ut sine remige vidit
Iactatae assimilem navi et retro omnia ferri
Lapsa, palatinos soliis deturbat ab altis.
Sceptra iterum iuvat et sacram spectare tiaram.
Ergo palatinis regalia sceptra repulsis
Succedunt. Primus regales Gracchus honores,
Sarmata, — mentita est quanquam illum fama Quiritem —
Promeruit; Gracchus, quo non praestantior alter
Pace tenere viros, hostemque repellere regnis.
Consilio hunc omnes animisque volentibus ultro
Tollunt in solia atque datas venerantur habenas.
Quae fuerant nuper vario iactata tumultu
Regna palatinis turbantibus, omnia cernas[1]
Surgereque attollique, decusque resumere priscum.
Dextra potens Gracchi, belloque imperdita virtus
Evaluit pulso longe de finibus hoste,
Paceque compositis pulchra popularibus armis.
Bella exhausta inter pugnatasque ordine pugnas
Cernere erat Gallos, inimica inferre Polonis
Signa ausos populis[2], ut multa strage cruentos
Gracchus agit regnoque armis victricibus arcet,
Milia multa manu sub tristia Tartara mittens
Bellantum. Ceu quando gregem lupus in mediis trux
Iactat agris, late et nunc hanc, nunc impiger illam
Dente petit, multa et plenis dat funera campis:
Gallorum in turmas hoc Gracchus more ruebat.
Postquam parta quies regnis omnisque repulsus
Hostis agris secura bono dant otia regi,
Ecce urbem condit, plenis qua se Istula ripis
Inserit; Cracoviamque suo de nomine dixit[3].

---

[1] potius „cerneres".

[2] De hac mirifica bellorum cum Gallis gestorum fama critica ratione egit Cromerus De rebus Polon. lib. II c. 3.

[3] Post hunc v. adscriptum est in msto: „Sarmatidos finis".

3.

HEDVIGIS

cui patre LUDOVICO defuncto

regnum senatusconsulto delatum est.[1]

Filia regnabat Ludovico Hedvigis adempto,
Filia, nam proles mascula nulla fuit.
Illa datas heres accepit patris habenas;
Feminea stabant sceptra polona manu.
Altera post Vandam moderata est femina regnum;
Vestras, Sauromatae, femina rexit opes.
Sed tamen haud similis, nisi finxit vana vetustas:
Illa pudica nimis, ista pudica minus.
Vanda sui nimium, o nimium studiosa pudoris
In medias praeceps fluminis ivit aquas.
Vanda volens, eheu, perit alto in gurgite; Vandae est
Virginitas falsis victima facta deis.
Haec placitas duxit[2] flammas, ardentior aequo,
Matris Acidaliae sive, Cupido, tuas.
Ingrato patribus flagrasse Hedvigis amore
Et non concessos fertur amasse toros.
Ausa inconsulto male provida virgo senatu
Quaerere complexus, dux Gulielme, tuos.
Atque iniussa leves tecum exercere choreas,

[1] Fragmentum hoc exstat in libro Cornicensi pg. 403 sq. Aut ipsius Cromeri librum XIV De rebus Polonorum, aut certe eosdem ac Cromerus fontes auctor in hoc carmine secutus est.

[2] Ms. „placidas dixit".

Quamquam nec coniux, sponsa nec illa fuit.
Frangere quin etiam dura conata bipenni
Dicitur augustae fortia claustra domus,
Te ut, Gulielme, adeat. Prece ni Demetrius[1] obstet,
In thalamos isset virgo petulca tuos.
Quo ruis, o demens? quo te furor urget amantem?
Quas tentas, proceres has posuere seras.
Audi virgo tuos; non quem tu, incauta puella,
Quem patres optant, hunc et, Hedvigis[2], ama.
Dignus eras, nil obsto tibi, Giulielme, sed illud
Indignum est, optet si sibi virgo virum.
Adde quod utilior diversis venit ab oris,
Sarmaticos melius qui tucatur agros.
Insignem fama et magnis Lithuania factis
Ipsa suum gelido mittit ab orbe ducem,
Ingentes qui adiungit opes ad sceptra Polonis
Quaesita et forti plurima regna manu.
Magna loquor; longe at dictis maiora relinquo:
Numina promittit vera Deumque sequi
Et Christum idolis, quae gens colit illa, relictis
Amplecti ac sacro mergere fonte caput.
Hoc fratresque duces hoc et, quibus imperat, urbes,
Facturos populos spondet et ille suos.
Hunc adversanti proceres sociare puellae,
Praefectum regnis hunc voluere suis.
Adiecere preces suaque extulit ora senatus,
Audiret voces regia virgo suas.

[1] Demetrius Goraius (Gorajski), tum thesaurarius regni. Totam rem eadem fere ratione narrat Cromerus in extremo libro XIV de rebus Polonorum.

[2] Fortasse „tu Heduigis" scripsit R.

4.

SOMNIUM
ROYZII[1].

Iam nox bis senas exacta peregerat horas
Extuleratque iubar Tithonum Aurora relinquens,
Et caelum pulsis albescere coeperat astris:
Lux erat. At late mordacibus excitat curis
Me anxia[2] mens: primos Phoebi vigilarat ad ortus,
Carpere nec somnos nec siverat ante soporem
Lumina, quam verso caelum fulgeret Eoo
Iucundumque sibi exsereret caput auricomus sol.
Sic pater, et quem cura domus premit aspera quondam,
Insomnes ducit noctes, quemve ardua pulsant
Publicaque in magnis commissa negotia rebus,
In latus hinc dextrum incumbens, latus inde revolvens
Se in laevum, faciemque premens tergumve supinus
Nequicquam somnos toto petit ore negatos.
Non aliter curis me nox exercuit illa
Somnum arcens oculis membrisque inimica quietem.
Totus eram intentisque animis in munere fixus,
Rex Auguste, tuo, qui me non talia quondam
Promeritum aut studiis procerumve favore potentem
Accersis, ultroque aulae largiris honorem

---

[1] Exstat in libro Corn. pg. 407—409.
[2] Ms. „Anxia" sine „me".

Particípemque fori facis augustalis, et artos
Perplexosque iubes causarum solvere nodos[1],
Haud aspernatus nostros, Auguste, labores
Auriferum ad Sicorim, quorum mihi testis Ilerda est
Divisumque bibens fecunda Bononia Rhenum
Doctorum mater non ignorata virorum[2].
Nec tua sarmaticis Cracovia nobilis oris
Nos nescit, sumus obscuri nec scilicet olli.
Bina suum dixit nam me per lustra[3] magistrum
Audivitque artes tradentem iuris et aequi,
Solventem nexus et legum aenigmata caeca.
Ergo dum totam per noctem pectore volvo
Pervigil iniunctum nobis, rex inclite, munus,
Infirmis impar humeris plenumque laboris,
Ingenium et caelo afflatum quod poscat ab alto:
Ut data prima quies menti sub luminis ortus
Invasitque oculis somnus gravis: ecce toro vir
Visus adesse meo et astans[4], cui flava severos
Caesaries oculos vultusque serenat amicos,
Coccina laena pedes pendebat laxa sub imos,
Fasciaque ex humeris ad talos usque fluebat,
Heroem flexu exornans. Hic me ille cubantem
Erigit, et prensa vicina ad moenia dextra
Adducit magnaeque domus ante atria sistit.
Tectum augustum ingens, centum sublime columnis[5]

---

[1] Hoc factum esse videtur a. 1550 exeunte aut 1551 ineunte. Royzium, iam antea ad consilia fori regii municipalis adhibitum, tum factum esse illius fori consiliarium desiisseque docere in academia Cracoviensi suspicor. Conf. meae dissert. polonae de vita Roysii pg. 9 sq. adn. 5; pg. 78 sq.

[2] Royzius enim operam navavit studiis primum in academia Ilerdensi (ante a. 1537) et deinde in Bononiensi (ante a. 1542).

[3] Fuit enim in universitate Cracoviensi professor iuris fere ab a. 1542 usque ad a. 1551.

[4] Sic.

[5] Ovidium imitatur: Metam. II, 2 nn.

Hic caelo eductum toti velut imminet orbi,
Non fragili latere, aeterno sed marmore factum
Aereque stat; faciles aditus dat lumen eunti.
Non illo intrantem valvaeve foresve morantur,
Armatus sude praedura nec ianitor ullus.
. . . .



CARMINA NUPTIALIA.

II.

CARMINA NUPTIALIA.

5.

DE APPARATU NUPTIARUM

Optimorum Maximorum
Sigismundi Secundi Augusti, Poloniae Regis etc.
atque
Reginae Elisabes, Ferdinandi Romanorum Regis etc. filiae,
de adventuque ipsius Reginae ad nuptias,
splendidissimoque Regis occursu, carmen properatum.

Optimae Maximae Elisabae, Poloniae Reginae etc., librum dicat auctor.

Auctor ad librum.

I, liber, excelsa Elisabes pete limina felix,
Elisabes, nunc augusta quae cincta corona
Regales adiit thalamos sociumque cubile
Sauromatum regis regnique in parte locata est.
Seu pulchro invenias nectentem serta marito,
Sardonychem addentem circum smaragdosque[1] virentes,
Longaevi aut regis[2] solantem forte senectam,
Munera sive inter, magni quae plurima reges,
Sarmatici proceres, equites lectusque senatus
Miserunt, versantem aurum gemmasque micantes, —
Sive revolventem veterum monumenta virorum,
Unde illi prima prudentia tanta inventa:

---

[1] smaragdos correpta syllaba paenultima posuit Martialem V, 11, 1 secutus.

[2] Sigismundi I.

Difficiles ne crede aditus, intra, oscula dextrae
Augustae figas: vultu excipiere sereno.
Augustos decet hoc mores sacramque coronam.
Ne dubita, i, fuerit dehinc cum data copia fandi,
Composito affare, et tales redde ore loquelas:
Regina, Austriacum genus, alto a sanquine regum,
Iuppiter aetherea quam longum vescier aura
Annuat et thalamo multos gaudere per annos,
Regali thalamo, Sismundo, rege marito:
Ad te nos vates, Hispanis natus in oris,
Accepere suo quae a flumine nomen Ibero,
Gente Royzea Maurea et gente profectum
Haud genus obscurum, legum haud ignotus in urbe
Cracovia interpres iustique aequique magister, —
Ad te nos misit iussitque haec pauca referre.
Cracoviam nuper venienti occurrere in urbem
In magno medium comitatu, praestitit omnis
Quod tibi Sarmatia in longis spectata catervis,
Argento, gemma et multo splendentibus auro:
Non opis illius, non illius ista facultas;
Quod Phoebus, Musae exactique dedere labores:
Hoc praestat, regina, tibi, quorum una potestas[1].
Ergo repentino quae fudit pauca calore,
Accipias; patris haec curas socerique renarrant,
Magnorum regum, dum extremae foedera taedae
Thesauris cupidi nuper meditantur apertis.
Quae austriaci proceres, proceres quae deinde poloni
Praestiterint[2], lecti, quae praestitit ordo senatus,
Sauromatum quae ipsi reges, quae regia coniux,
Gaudia quae populi sparsae et solatia plebis:
Haec tibi pro turmis, pro longis ille catervis,
Haec tibi pro argento, pro gemmis mittit et auro.
Illius hae gemmae, argentum hoc, hoc illius aurum,
Hae turmae, hae nitido florentes aere catervae.

---

[1] Scil. est illi.

[2] Fortasse „praestiterunt" scripsit ipse R.

Suscipias, orat, vultu regina benigno,
Quae fortasse olim, si quicquam carmina possunt,
Posteritas leget atque sequens mirabitur aetas,
Huius opes saecli, gentem, pompasque superbas.
Si labor hic primus, subitae haec si exorsa Camenae
Haud fuerint ingrata, leges quae cetera restant:
Impositam capiti, regni altum insigne, coronam
Taedamque extremae et sollemnia gaudia taedae,
Et quae miserunt ingentia munera reges,
Longe exsultantes et toto pectore laeti,
Talia coniugia et tales celebrari hymenaeos.

Iagelloneum genus austriacumque superbo
Coniugio iunctura dies et perpete vinclo
Adventat, genti tantum exoptata polonae.
Romanae Ferdinandus rex inclitus urbis,
Plurima praeterea cui regna ingentia parent,
Austriacumque solum vicinique ora Bohemi,
Sismundo Augusto, proles quae sola virilis
Sauromatum regi est, primis qui electus ab annis
Rex est Sauromatum, quemque unum regia sceptra
Post suprema manent longaevi fata parentis,
Iungere conubio vinclo et sociare iugali
Pactam olim egregiam natam, extremumque hymenaeum
Exercere parat rebusque imponere finem.
Rex quoque Sauromatum, senior, cura ardet eadem
Optatamque nurum regno succedere et aulae
Iam dudum cupit et coram vera ora tueri.
Si possit summum ante diem, longo obsitus aevo,
Susceptam subolem[1] parvosque videre nepotes,
Subsidium generis, spatiosa ludere in aula.
Festo ergo reges se accingunt ambo iugali,
Ingentes[2] et opes reseratis pandit uterque

---

[1] Edit. „sobolem", ut passim.
[2] Edit. „ingenteis", ut passim hoc casu apud Royzium.

Thesauris gazamque omnem pallentiaque aera,
Ingens argentum, aurum ingens, ingentia longo
Asservata aevo gemmarum pondera [1] cernas,
Intextasque auro telas, gemmisque micantes
Immixtis: stringit spectantum lumina fulgor.
Nec nimus austriaci proceres proceresque poloni
Interea gaza exornant se divite, laeto
Murice, candenti argento fulvoque metallo,
Esse rati dignum, totas effundere vires
Quantas quisque potest, unaque absumere luce
Ad regis decus et taedae regalis honorem,
Divitias gazamque omnem, atque profundere vitam.
Iam natam austriacis rex Ferdinandus ab oris
Sarmatiam ad magnam pacta ad conubia [2] mittit,
Quam multus comitatur honos, quam plurimus heros
Et nitido longe fulgentes aere catervae.
Illam cara parens a se discedere maeret,
Et longum, „mea nata, vale, vale", inquit, euntem
Amplexa; „i", lacrimisque genae maduere subortis
In verbo. Tenerum matris testata dolorem
„I", inquit, „digno regi socianda polono".
Hoc et idem faciunt sociae pulchraeque sorores.
It portis, aurora altos cum lumine montes
Respersit late et caelo nitet aurea; matres
Flent discedentem austriacae, innuptaeque puellae,
Coniugio et tali pariter laetantur eaedem,
Laetitia et maeror rebus miscentur in iisdem.
Illi Cracovia missus Macioschius heros,
Quem bifida in mitra veneratur Plozca [3] colitque,
Obvius it, specie ante alios pulcherrimus omnes
Sauromatas, longo quos circuit Istula flexu:

---

[1] Edit. „pondere".

[2] Edit. „connubia", ut vulgo apud Royzium.

[3] Unde patet Samuelem Maciejowski iam a. 1543 episcopum Plocensem fuisse (secundum Sobieszczański Enc. pow. ab anno 1542), falsoque Gamsium (Series episcoporum) a. demum 1544 Maceovium episcopum Plocensem factum esse memoriae prodidisse.

Cracovia, magna late comitante caterva,
Exit. Quem phaleris maculisque insignis et albo
Portat equus; nitet ipse auro gemmaque micanti,
Perstringit fulgore oculos turbatque nitore;
Regali sequitur pubes quem splendida luxu.
  Hoc quoque munus obit fortis Latalitius[1] heros,
Quo ductore omnis sese Posnania latis
Effundit campis atque hostes arcet ab agro
Sarmatico, completque inimico sanguine campos.
  Obvius it quoque reginae Srzenoschius[2] heros,
Ducere plosceas acies cui summa potestas,
Cuius ductu hostem invadunt Martemque fatigant:
  Finitimos ut venit agros, urbique propinquat
Cracoviae regina, sua ut det membra quieti
Longa fessa via, Balicae[3] successit amoenae.
Interea verso nox incubat humida caelo
Sidereoque humiles solatur lumine terras.
  Postera cum lucem terris aurora reduxit,
Sustulit et rutilus se gurgite Phoebus ab alto,
Corripit e thalamis sese regina petitque
Sancta aras, verbis ubi liba potentibus ingens
Concipiunt numen spiransque et bacchicus humor
Sanguinis induitur speciem et se solvit in undam.
Audiit ut sacrum divosque in vota vocavit
Supplicibusque oculis hausit spirabile numen,
Ante viae quam se credat (nam iam aureus orbem
Sol mensus medium, tenues contraxerat umbras),
Discubuit mensae et socios discumbere iussit
Una, ut deinde viae sese committere possint.
  Sismundus tunc Augustus rex, altera gentis
Sarmaticae spes, sarmaticae et nova gloria gentis,
Priscum maiorum morem ritumque secutus,
Sponsam excepturus multis cum milibus exit

[1] Ianussius Latalicius (Latalski), quem commemorat Chiliast. v. 491, erat palatinus Posnaniensis.

[2] Felix Szreński, palatinus Plocensis.

[3] Balice, vicus prope Cracoviam situs.

Cracovia, sublimis equo, multo gravis auro
Gemmisque, aethereos longe spirantibus ignes.
Illum sarmatici proceres equitesque sequuntur,
Milia quot nunquam sunt istis visa sub oris.
Illum pruteni dux optimus orbis[1], Achillem
Qui praestet Martemque ipsum debellet in armis,
Armato sequitur comitatus milite, cristae
Quis capite effulgent longe conique comantes;
Nec bellator equus sessorem portat inermis.
Ibat et huic comes illustris Gamrateus heros,
Cui urbs haec mitram dat Gneznaque pallion[2] addit[3],
— Rarus honos, et qui vix uni contigit olim, —
Ibat fulgenti late comitante caterva,
Quam, multo splendentem auro, argentoque nitentem,
Ferre oculi nequeunt spectantum atque ora tueri.
Non hic fama ingens rebusque ingentior ipsis,
Belli horror, saevisque idem Mars alter in armis
Tarnoschus deerat, non hic Tarnoschia pubes[4],
Quae semper fremit arma et toto pectore quaerit;
Lunam etenim et supra radiantem crinibus aureis
In longa turma comitatuque aere corusco
Prospecto stellam, longe et splendescere cerno.
Hic genus egregium Gorchae non defuit: heros
Andreas[5], ditione potens et fortibus armis.
Vestibus hunc atris, tenui quas neverat ore
Pendulus arbuteo in ramo denso agmine bombyx,
Sponte sua includens tenebris se et carcere caeco,

---

[1] Albertus, Sophiae sororis germanae Sigismundi I Polonorum regis filius, primus hereditarius Prutenorum dux et regni Poloniae cliens.

[2] abutitur in hac voce terminatione graeca, pallium enim a pandendo derivatur.

[3] Petrus Gamrat enim inde ab. a. 1540 episcopi Cracoviensis et archiepiscopi Gnesnensis munere fungebatur.

[4] Ioannes Christophorus, ultima huius Tarnoviorum stirpis mascula proles ob. a. 1567.

[5] Andreas Górka, tum castellanus Posnaniensis et Magnae Poloniae dux sive summus praefectus. Pater eius Lucas, ex palatino Posnaniensi episcopus Cuiaviensis factus ob. a. 1542.

Ingenti in turma comitatur plurima pubes.
Patris enim memor aethereas qui nuper ad oras
Ultima passus iit caeloque invectus aperto est,
Et multa cum laude suos vitamque reliquit,
Maerentem testari animum tristemque dolorem
Hac voluit specie. Qui ne laetis hymenaeis
Triste omen ferret, multum dehinc addidit aurum,
Torquibus et geminis oneravit colla sequentum.
Hic quoque consiliis Volschus[1] pulcherrimus auctor
Ingenti splendet turma et fulgentibus armis,
Atque suum regem multo comitatur honore.
Hic Radivilones, duri tria fulmina Martis[2],
Barbaricis splendent in equis saeptique caterva
Ingenti, multo insignes spectantur in auro.
Inclitus, hic bello tuus est Lancicia ductor[3],
Maximus hic armis, Inovodislavia[4], ductor
Est tuus; ornatu resplendent ambo decoro,
Cincti ambo nitido comitatu armisque corusco.
Hic Ialinschei[5], patrem tardante senecta,
Missi ibant iuvenes caro pro patre, gradivi
Gloria quem Martis multos exercuit annos,
Dum vires solidoque vigebat corpore sanguis:
Dextra hic regno olim, dictis nunc utilis auctor.
Ibat et hic Boner[6], argento spectandus et auro,—
Filius hunc iuxta, insignis florensque iuventa,
Argento multo, multo circumdatus auro,

[1] Paulus Duninus Wolski, tum magnus regni cancellarius.

[2] Fortasse inter eos etiam Nicolaus Niger, tum 28 annos natus, erat.

[3] Ioannes Ogończyk Kościelecki, palatinus Siradiensis obi. 1545 (Niesiecki — Bobr. Herb.).

[4] Sive Inovladislavia (Inowrocław, Iungen-Leslau). Secundum Niesiecki — Bobr. Herb. I, 179. Inovladislaviensis palatinus erat hoc tempore alter Ioannes Ogończyk Kościelecki.

[5] Fortasse designatur Nicolaus Działyński, palatinus Pomeraniae, qui obiit a. 1544.

[6] Videtur esse Ioannes, illius de Bonarowa Boneri, divitiis clari, a. 1523 martui, filius, Balicae, quo Elisabe devertit, heres, qui postea, castellanus Biecensis fuit.

Plurima quos sequitur clipeis armata iuventus,
Argento clipeis solido, quorum aethera candor
Verberat, exsuperatque micantis lumina solis.
Hunc stupet urbs omnis, gaza et miratur in ipsa.
Multi alii, quos est longum numerare, secuti
Sublimes in equis, ostroque auroque decori
Et longo saepti comitatu et fortibus armis.
His equitum turmis rex castra venit ad ipsa,
Quae campo in medio stabant tria, more vetusto
Non procul a muris urbis, celso edita caelo,
Indeque reginam misso oratore salutat.
Nec minus hic, mediis dum rex exspectat in agris,
Officiosus eques Balicem petit, arduus acri
Vectus equo celeres praevertit cursibus auras,
Ut regi referat, quantus decor oris honosque
Reginae sedeat, quae augustae gratia frontis.
Accendunt regem, cura qui saucius acri
Iam dudum est magis atque magis, quae quisque reportat.
Uritur, ingentesque auditis concipit ignes,
Nec sufferre moras rex iam valet amplius ullas.
Incusat caelum, pigro quod volvitur [1] axe,
Incusatque viam spatiosique aequora campi,
Quae pulchra a Balice tam longe ad castra supersunt.
Ter voluit morem et notum rescindere ritum,
Immissis et equo Balicem ruere actus habenis:
Consilio ter se, ter se ratione repressit,
Antiqui ne quid moris ritusve refellat.
Consessu interea iam longum visa morari,
Postquam epulis depulsa fames mensisque remotas
Albentes mappas celeres plicuere ministri,
Surgit regina et comites iubet ocius omnes
Scandere equos. Dicto festinant ocius omnes
Subiciuntque in equos properato corpora saltu.
Illa, puellarumque et matrum saepta corona,

[1] indicativo modo utitur pro coniunctivo.

Ascensu superat currum Balicemque relinquit.
Et ne rex campo in medio gelidique sub axe
Aetheris exspectet venientem, immittere habenas
Aurigas iubet et currus agitare citatos.
Atque ubi iam ad campos, ubi stant castra ardua, ventum est,
Vicino regina loco consistit, amicos
Unde potest regis vultus spectare, decoram
Et speciem, qua Sauromatas supereminet omnes.
Tunc equitum turmas, quae se sectantur ab urbe,
Ingentes circum currus rex imperat ire
Reginae ante oculos urbemque redire priores.
Imperio laeti parent et iussa facessunt:
Procedunt, agitant et equos et calce fatigant;
Ferrato toto late sonat ungula campo.
Miratur regina viros, miratur et auri
Vim magnam et nitidas stringentes lumina vestes,
Ingentem et comitatum, onerata et colla catenis;
Insignes miratur equos phalerasque superbas
Quaeque levi pendent operosa monilia collo.
Nec minus in turmis varios miratur amictus.
Et nisi Sauromatas sciat esse, putaverit illic
Esse hominum genus omne: hic vestem indutus iberam,
Ille italam; est auras qui vertice pulset acuto
Implicitis capiti longis mantilibus [1] alto.
Ingentem fert ille rotam, qua cingula nectit,
Pectore sub patulo, quae pondere vergit iniquo.
Hunc sinuosa tegit talos demissa sub ipsos
Vestis et angusto constringit bracchia panno.
Prolixae ille togae, talos quae pendet ad imos,
Angustamque brevemque addit, quae cingula vixdum
Attingit nudosque relinquit avara lacertos.
Tot rerum facies iam lumina fessa videndo
Obtutu steterant aegro fractoque rigore
Deiecere aciem, visque omnis lapsa tuendo est.

[1] Collare quoddam (kołnierz) aut cucullum designare videtur.

Regina ergo oculos, iam dudum cernere fessa,
Avertit, nec iam argentoque auroque catervas
Squalentes spectare oculis valet amplius aegris.
Interea occiduas Phoebus properabat ad oras
Et celeres urgebat equos. Quare humida ne se
Inferat inque ipsis medios nox occulat agris,
Iam dudum dextram dextrae coniungere visum.
Procedunt ergo rex et regina sub ipsis
Castrorum spatiis. Aequatis passibus ibant
Castrorum ad medium, qua murice tecta rubenti
Scindit ab extremis campum brevis orbita castris;
Castrorum in medio, pariter quo venit uterque,
Coniungunt dextras taedaeque iugalis amorem.
Hic, quamquam toto turbatus pectore rex est,
Reginae ut vidit vultus flagrantiaque ora,
Luminaque aetherei radios aequantia solis,
Pauca refert: „O clara oculis lux reddita nostris,
Ut tandem accipio te! ut tandem cernere coram
Te, dulcis mea sponsa, datum! mea sola voluptas;
Nostri o spes regni, nostrae o spes una salutis,
Succedas regnis. Disce haec tua regna vocare,
Sauromatasque tuos, his est et quicquid in oris".
Dixerat et dicta egregio sic ore secuta est
Virgineo suffusa oculos regina rubore:
„Rex, Iagellonis genus et verissima imago,
Ad tua me pater, ad tua me, rex optime, mittit
Limina, conubia ut pacta inceptosque hymenaeos
Expleam et extremae coniungar foedere taedae.
Ecce adsum, tua sponsa, tuis successimus agris.
Nulla unquam indecores, faciam, nos arguet aetas,
Austriacumque genus nunquam sociasse pigebit
Iagelloneo [1] regnique in parte locasse".
Hic finem fandi Elisabe pulcherrima fecit.
Talibus Elisabes dictis defixa tenebat

---

[1] Edit. „Iagellonaeo".

Obtutu rex ora stupensque[1] haerebat amore
Accensus miro, totam dum lustrat et haurit;
Explerique nequit vultus atque ora tuendo,
Sidereos vultus divinaque virginis ora.
Et nisi iam piceis nox advolet humida pennis
Immineatque actis iamiam ruitura tenebris:
Rex nunquam, o nunquam, se rex nunquam inde tulisset.
Defixos oculos vix tandem flexit ab illa,
Iam scansurus equum, caelum, quod dixerat ante
Axe pigro verti, nunc praeceps dicit et alis
Ferri ait atque leves praevertere cursibus euros.
Ergo Cracoviam pergunt, prius humida quam nox
Oceano ruat et nigris res occulat umbris.
Cum iam Cracoviae muris regina propinquat,
Defixum terrae festinus linquit aratrum
Rusticus aeriaque stupens prospectat ab ulmo[2].
Laetaque visendi studio Cracovia circum
Fusa ruit miroque volans festinat amore:
Non via, non campi populum capit aequor aperti;
Omnia complentur, tectis nec parcitur ipsis.
Haerent parietibus iuvenes trabibusque domorum,
Prensantes manibus trabium capita aspera aduncis,
Spectat ab excelsa virgo speciosa fenestra,
Infantem et mater nexis tenet aegra lacertis,
Facundusque senex foribus bipatentibus astat,
Plurima commemorans veterum sollemnia regum:
Pompasque occursusque exactaque gaudia regni.
Ecce urbem ingreditur multo spectabilis auro,
Teutonicam morem ad patrium circumdata pallam,
Horrentem gemmis nodisque auroque rigentem.
Miratur tacitosque oculos circumque supraque

---

[1] „ora stupensque" metitur Horatium secutus.

[2] Vergili, ni fallor Ecl. 1 v. 58 vestigia premit. Nam ne ulmus quidem tam frequens est ad Cracoviam, ut recte prae ceteris arborum generibus hoc loco proponi possit.

Aspectu volvit placido perque omnia versat,
Quantum acies intenta valet, capiturque locorum
Atque urbis specie et variati gentis amictus.
Contra autem populus defigit lumina in illam,
Miraturque graves vultus et frontis honorem
Egregiique oris decus aspectusque benignos,
Augustam et speciem, qua longe cetera vincit.
Ducitur excelsam longaevi regis ad aulam.
Rex autem sacra venientem exspectat in aede,
Proxima quae est aulae, merito occursurus honore,
Et iuxta Bona, Sforciacum genus, optima coniux
Regina illustrique eadem de sanguine regum.
Rex prior occurrit, iuncta atque ubi dextera dextrae est,
Reginamque oculis paulum lustravit, amicos
Compositus vultus, sic voce silentia rupit:
„Elisabe, genus austriacum regisque propago
Fernandi [1], ut tandem accipio te, regia virgo,
Dulce senectutis nostrae solamen amorque!
Quam dudum optavi nostris succedere regnis
Ad [2] natique torum sociumque venire cubile.
Subsidium hinc generis, nostri hinc et gloria regni.
Adventus lux ista tui, celeberrima nostris
Semper erit regnis et erit laetissima semper“.
Haec ubi rex fatus, sequitur pulcherrima coniux,
Coniuncta et dextrae dextra sic farier orsa:
„Salve, Fernandi proles, decus addita nobis,
Fernandi, quem summa manent fastigia rerum,
Egregium genus et nostrae spes una senectae,
Haud ingrata isti regno succedis et aulae“.
Sic paucis finem presso dedit ore loquendi.
Interea terras nigra nox occulit umbra:
Discedunt, tectis et se regalibus addunt [3].

---

[1] Editio: „Ferdinandi“ contra metri leges.
[2] Fortasse „Te ad“ scripsit Royzius.
[3] Potius „abdunt“.

Ad Sauromatas.

Parcite Sauromatae, si vestras scribere pompas
Dum volo, praeterii carmine multa meo.
Consilio feci, ne lector somnia credat
Forsan et ulla putet carmine ficta meo.
Nam maiora fide pompa fecistis in ista
Et quae, qui credat, Sarmata solus erit.
Haec omnis credet, quamquam admirabitur, orbis,
Quae, sint magna licet, vera putare potest[1].

[1] Ad calcem libri haec adscripta leguntur: Cracoviae in officina Ungleriana. Anno Domini MDXLIII. mense Maio. Pro his in exemplari bibliothecae Czartoryscianae elegantioribus manumque imitantibus litteris expresso legitur: Cra. Hie. Viet. 1543.

6.

EPITHALAMIUM

Optimorum Maximorum Sigismundi Secundi Augusti et Elisabes Ferdinandi Quiritium regis filiae[1].

Ad
Sacrosanctum antistitem
SAMUELEM MACIOVIUM,
Plocensium episcopum regnique Poloniae procancellarium, operis dicatio.

Sauromatum praesul, Maciovi, culta tuorum[2]
Qui regum post sceptra unus decora alta poloni
Sustentas regni, cui se populusque patresque
Committunt, gentisque datas rex credit habenas,
Quemque unum faciunt rerum arbitriique potentem,
— Tanta fides dextrae, atque altae prudentia mentis,—
Accipe, quae calamo modo festinavit hianti
Dextra rudis, Musis nullis et Apolline nullo.
Sismundi Augusti Elisabesque iugalia vincla
Heroum cano magnorum, extremumque hymenaeum,
Aeternis Divum imperiis et numine firmum,

---

[1] Prima pars huius epithalamii usque ad v. 227 et ipsa, quae praemittitur epithalamio, dedicatio, asservatur solum in libro msto. Cornicensi, cetera exstant in utroque msto., et Cornicensi et Ossolineo. Scripta haec sunt a. 1548. post carmen, quod proximo loco antecedit.

[2] Ms. „culte tuorj".

Dum teres inseritur digitis regalibus aurum;
Sceptra quoque insignemque orbem sacramque coronam
His addo, tria sarmatici quae insignia regni
Austriadum virgo, genus alto a sanguine regum,
Augustos nuper thalamos aditura recepit
A manibus, Maciosche, tuis, dignissime praesul [1].
Non geniale epulum nobis festaeque choreae
Indictae; extremae adicimus data tempora taedae.
Rem gestam canimus, capitis non somnia vani;
Nulla Venus nobis, aurata armata pharetra,
Corda venenatis accendit frigida telis,
Virgineo solvitque animum frontemque pudore,
Non regina deum coniuxque sororque tonantis
Una Iovis, nobis hymeneia vincla procurat, —
Vana superstitio nostrisque indigna poetis.
Ille opifex rerum mundique suprema potestas,
Aeternus Pater, aeterno satus ille Parente
Aeternusque idem, et qui utroque ab numine venit [2],
Corda hominum ciet et melioribus arrigit ausis:
Illa mihi curet, non rebus numina cassa.
Carmine, mentitum numen, pharetrata [3] recedat
Pulsa Venus nostro, niveisque invecta columbis
Picturata suis iactet se vana Cytheris:
Troiugenas Iuno terrisque fatiget et alto,
Aut recidiva suis instauret moenia Poenis:
Vera ferat nostrum, non irrita numina carmen.
Quid mediis Ister maerens caput exserit undis?
Austriacamque suis nympham decedere regnis
Indignans queritur? positamque inglorius urnam,

---

[1] Hic versus in msto post versum proximum (Non geniale...) collocatus est. Rectum ordinem restitui. Sed fortasse v. 17 spurius est, neque enim Maciejowski, sed Gamrat diademate regio Elisaben ornavit. Conf. proximi carminis v. 125 sqq. Adde quod in libro est contra metri legem: „Maciovi".

[2] Exspectamus potius „cretus" aut „manans".

[3] Poeta videtur cognomem Cupidinis in matrem eius transtulisse.

Undarum imperium, atque datas[1] detrectat habenas?
Quid contra laetus se gurgite iactat in alto
Istula? caeruleamque comam barbamque fluentem[2]
Compositus tonsis redimitus tempora sertis
Occurrit properans venienti et munera porgit?
Ludicra commenta et caeci vestigia saecli
Ista, Mimalloneis exscissura[3] aethera bombis
Et vastum tonitru caelum abruptura superbo,
Nostra aetas canit ingentique profundit hiatu,
Ficta argumenta et verborum ostenta secuta,
Deficiant quasi vera, suo quae carmine vates
Dicant, sublimesque ferant se sidera supra.
Cedant monstra procul, cedant figmenta priorum
Vana poetarum, longa quae ambage vetustas
Involvit, rerum variis illusa figuris:
Carmine vera, animis colimus qui vera, canamus.
Haec tibi parva damus nostri monumenta labores
Hosque una, quos larga manus tua vindicat, urget
Si quando fortuna ferox torvumque tuetur.
Nec nostras sane pateris succumbere Musas
Servatasque iuvat casu eripuisse ruenti,
Dum bonus afflictis praelargo munere rebus
Consulis infandumque unus miserare laborem.
Accipe; parva damus languentis munera Musae,
Infirmae quantum vires valuere, daturi
Maiora, accedant[4] vires modo robur et aegris.

---

[1] Ms. „latas". De urna deorum fluminum conf. Verg. Aen. VII, 792; Sil. Ital. I, 407.
[2] Conf. Ovid. Metam. I, 266.
[3] Ms. exhibet: „excindes". Conf. Persii Sat I, 99.
[4] Ms. accendant.

EPITHALAMION.

Ille ego sollemnes qui nuper dicere[1] pompas
Magnorum regum aggressus properantis ab Istro
Virginis augustae adventum, regisque poloni
Occursum, squalentesque auro hinc inde catervas
Aequatis recinens spatiis et carmine dixi:
Nunc celebrata cano laetis hymeneia festis,
Felicem adventum occursumque secuta superbum.
Altera iam[2] terris iubar almum aurora revexit,
Elisabe postquam, egregium genus, alta propago
Austriacum regum, magnae successerat urbi
Cracoviae, pactos olim expletura hymenaeos,
Augusto regi vinclo socianda iugali,
Sarmatici et sceptrum regni insignemque coronam
Atque orbem acceptura ire ad delubra parabat
Aulai in medio, celsis ubi fulgida tectis[3]
Atria se tollunt caelo, et spatia ampla relinquunt.
Sauromatum primi exspectant, longumque moratam
Cunctatamque diu, venientem limine primo
Accipiunt mediam, ducuntque ad templa, sacrato
Quae Stanislao celso sancta ossa sepulcro
Condunt, divinos praebent et turis honores.
Regibus hic priscis generi et post deinde secuto
Omen erat sacris aeterna astringere vinclis
Coniugia[4]. . . . .

---

[1] Ms. „ducere". Conf. illos versus, qui vulgo in metis. Vergilianae Aeneidi praescribuntur: Ille ego, qui . . .

[2] Ms. „cum".

[3] Ms. „testis".

[4] Haec vox proximi versus prima notatur, ut assolet, in extrema pagina manuscripti, et quamquam versus ab hac voce incipiens sequenti pagina desideratur, dubitari tamen nequit, quin transscribentis incuria interciderit.

Progreditur regina, ingenti it clausa corona
Mille inter, toto sublimis vertice supra est,
Ora deae atque humeros similis, cui vitta decoram
Aurea caesariem gemmarumque inplicat ordo,
Annuus Austriadum labor, evigilataque cura.
Ambrosius spirat divinum crinis honorem,
Auro palla gravis multis riget undique gemmis
Undantesque effusa sinus sola levia verrit.
Qui collo niveo pectus dependet ad imum
Infractis gravidus torques adamantibus ingens,
Ardentes late radios emittit in auras
Adversosque oculos spectantum lumine complet.
Sic regina Dei se sancta ad templa ferebat.

Hic quoque rex sponsusque idem pulcherrimus ibat,
Imperio species digna, et Iove digna propago.
Aureus ad medium pendet leo; pectus amictum
Gemmis respersum circumdatus aethera complet
Lumine maioresque addit caelestibus ignes
Solemque adversum tectis regalibus auget.

Praecedit senior rex, sella vectus eburna,
Mille olim bellis gestis confectus et aevo.
Hunc iuxta coniux Bona, nobile gentis Hiberae[1]
Augustumque genus, magno quae pectore tollit
Femineum supra sexum sese, alma virago.
Regia progenies, tria[2] virginis ora Dianae,
Pone subit facie augusta vultuque sereno,
Magnorum spondens late decora alta parentum.

Ingens anteibat series procerumque patrumque
Architriclinorumque domus, — vocat aula magistros
Marschalcosque; — tenet metuendus Scipio dextram

---

[1] Ms. „jberae". Hiberae gentis genus appellat Bonam, cuius mater erat Izabella Alfonsi II Arragoniensis, regis Neapolitani, filia. Nam paterna Sforciarum gens Italae erat originis.

[2] Hae erant: Anna deinde Stephano Batoriensi nupta, Sophia, postea Henrici, ducis Brunsvicensis, uxor, Catharina, postea Sueciae regina. Nam Izabella, natu maxima, iam tum Ioanni Zapoliae nupta, aberat.

Hos inter, medius Lascus[1] Mavortius ibat
Vertice sublimis spectandus corpore et aevo.
Inde sequebantur, qui augusta, insignia gestant.
Fert gladium Spitko[2] strictum, Latalicius[3] orbem,
Veste ambo insignes, insignes torquibus ambo.
Sceptrum Kmita[4] gerit; non hoc it corpore maior
Iuppiter in caelo aut mediis Mars saevior armis.
Inclitus augustum regni diadema ferebat
Tarnoschus[5], caelo belli quem gloria tollit
Sublimem; dextra fert, dignus vertice ferre
Tale decus, populis tot quondam Marte subactis.
Hoc Stanislai facto ordine templa petebant.
Murice strata via est, sacram quae ducit ad aedem,
Calle rubet gemino serranum molliter ostrum.
Postquam introgressi, sancti ante altaria templi
Genua labant abeuntque manus in vota supinae.
Oratum ut paucis, referunt se sedibus omnes
Delubri in medio, resonant ubi regia vatis
Carmina, venturi longe praenuntia saecli,
Quem nostri dixere chorum, multo[6] undique fulgens
Argentoque auroque stat et sublime theatrum.
Ante aras solia in medio bina aurea surgunt:
Huc subeunt sponsi celsaque in sede locantur.
Rex senior solitas petiit cum coniuge sedes,
Regia progenies patrum propiora secuta est.
Circum oratores, vario cum munere missi

[1] Stanislaus, ni fallor, palatinus Siradiensis, qui obiit a. 1556. Nam Hieronymum Łaski, qui ante Stanislaum palatinus Siradiensis fuit, a. 1542 obiisse tradit Niesiecki (Herbarz, ed. Bobr I, 153), Hieronymi autem filius Albertus, cuius virtutem Royzius saepe laudibus effert, tum annos fere decem natus erat. Petrus Šcipio de Campo, Italus, erat marschalcus aulae Bonae reginae.

[2] Zbigneus Spytek Tarnowski, castellanus Voinicensis.

[3] Latalski Ianussius, palatinus Posnaniensis.

[4] Petrus, palatinus Cracoviensis, obi. a. 1553.

[5] Quem Tarnovium aliis locis dicit. Ioannes Tarnowski erat tum castellanus Cracoviensis summusque Poloniae exercituum imperator.

[6] Ms. „multoque“.

Regibus a magnis, tenuerunt proxima primis
Sauromatum, sedes qua ostroque auroque teguntur.
Tantum gemmarum, argenti fulvique metalli
Illic cernere erat, quantum si cetera nusquam
Gaza foret spatiis et opes claudantur in illis,
Quascunque oceanus tellus et dives opacat.
Unde iubar tantum superas erumpit in auras
Atque aras largo late splendore nitentes
Complet, ut adversos sol iusserit ire iugales,
Indignansque suo sanctum sine numine templum
Aspexisse diem, quantum nulla hauserit aetas
Quantum et vix unquam molli ipse accenderit Indo,
Ignivomis cedens retro dat[1] lora quadrigis.
Ipseque, sollemnes qui rem faciebat ad aras
Divinam, supplexque Deum ducebat ab astris
Fatale in Crustum, praesul Gamrateus ora,
Cum circum ad populum sacri de more ferebat
Aris aversus, gemmarum lumina et auri
Haud patiens, oculos gyro compressit in ipso.
Tempus adest sacris sponsos coniungere vinclis
Coniugii et finem regalibus addere taedis.
Excelso sponsi descendunt ecce theatro,
Sacratasque petunt aras, ubi praesul, ad ipsos
Conversus, postquam amborum quae certa voluntas,
Ore rogans placido didicit, teres inserit aurum
Amborum laevae, supremae vincula taedae,
„Aeternisque“, inquit, „iunctos vos discite vinclis,
Aeternis Divum vinclis, quae nulla potest vis
Solvere, non ipsi abrumpant, gens ab Iove summo,
Caelicolae extremum ante diem, qui carceris huius
Ereptos tenebris stellantibus inseret oris“.
Haec postquam[2], repetunt flagrantes corda theatrum,
Corda, sacra quae corripuit face spiritus almus
Perpetuo et secum iussit teneantur amore.

---

[1] Sic ms., non „det“.

[2] Ms. „postq;“ scil. „dicta sunt“.

Deinde, ubi sacratum caelesti ab sede Tonantem
Sacratum in crustum, quae dicta est hostia nobis,
Deduxit praesul, — rerum miracula supra
Res olim concessa, suos cum dederet artus
Bissenis sociis caelum rediturus Iesus,
A tenebris referens patres stellantibus auris, —
Elisabe sacras supplexque[1] accessit ad aras
Atque Deo gravidum crustum divinaque liba
Ore hausit, divosque animis concepit, et astra
Plena Deo visa est tellurem assurgere supra:
Sarmatici sceptrum regni dehinc maximus heros
Gamratus dextrae insertat, solido addidit auro
Laevae orbem et capiti insignem dat ferre coronam,
Ardentem gemmis signisque auroque rigentem.
Sic insignita excelsi redit alta theatri
Ad solia, egregioque resedit[2] iuncta marito.
Hinc atque inde oculos convertit in illam
Intentos populus[3], celsis qui forte columnis
Haeserat atque chori trabibus pendebat ab altis,
Sive Stanislai spectabat ab usque sepulcro
Sacrati, vel si qua oculis se[4] pervia praebet
Rima, aciem queat ut tantum contendere contra;
Cetera nam proceres complerant omnia late.
Gaudet reginam populus spectare superbis
In sceptris, gestantem orbem sacramque coronam,
Attonitis inhians animis. Ceu cernere vultus
Regales olim fuerit data copia nunquam,
Obtutu fixus stat longum immotus in uno;
Tantum in reginae aspectu atque insignibus haeret.
Interea ararum praecelsa ab sede sacerdos
Conversus, longa decantat voce supremum
Dimittensque[5] aris reges, proceres populumque

[1] Sic. ms. Simplicius: „Elisabeque sacras supplex acc."
[2] Ms. „resedet".
[3] Ms. „populis".
[4] Ms. „si".
[5] Ms. „Demittensque".

„Missa“, inquit, „superis est hostia sedibus: ite!“
Discedunt ergo reges, regumque potentum
Secum oratores augusta ad prandia ducunt,
Quae nullae choreae, quae nulla secuta voluptas.
Non illa accessum fulcra ad genialia nocte.
Reginae hoc visum concedere, pectore magnum
Dum Regnatorem fert omnipotentis Olympi,
Cernua[1] quem sacris nuper praeceperat aris.
Postera cum lucem revoluto rettulit axe
Orta dies radiisque retexuit aurea terras,
In quam reiectae mensae thalamique iugales,
Sacra ubi confecta in templis divisque litatum,
Discedunt templo reges secumque potentum
Regum oratores suprema ad prandia ducunt.
Interiora petunt aulai tecta superbae,
Mos ubi sollemnes convivis sternere mensas,
Et reges epulo excipere et dare prandia laeta.
Regali mensa contra stat splendida luxu,
Ordine stant pulchro composta sedilia circum
Sarrano tecta ostro[2] barbaricisque tapetis;
Aulaeis fulget domus undique culta superbis,
Aere protensus medio regalia supra
Dependet pannus solia, ostro pictus et auro.
Postquam discubitum est, supposta lance profundunt
Aurea vasa[3], manus quae spargant molliter[4] unda,
Quam primum coram prisco de more ministri
Libavere, dapes ut mos contingere summas
Immisso panis frusto labrisque supremis
Degustare palam, nec pocula porgere[5] dextris,

[1] Ms. „cornua“. Neque tamen ipsum „cernua“ gravitati rei respondet; fortasse „supplex“ erat scribendum, quod voce polona „korny“ superscripta explicatum in „cornua“ mutatum est.

[2] Ms. „auro“.

[3] Inusitate „aurea vasa profundere“ pro „aquam aureis vasis profundere“.

[4] Ms. „mollitur“.

[5] Ms. „porrigere“.

Non libata prius, pro maiestatis honore[1].
Nulla etenim hac mensae metuunt aconita malasve
Sidere sub certo collectas montibus herbas,
Demitur aut quondam quod pullo virus equino:[2]
Securas pietas facit et clementia mensas.
Accipiunt epulas hinc, maxima pondera, mensae
Lancibus in latis, centum quas ordine longo
Adportant[3] famuli et mensas late undique complent.
Vina dehinc porgunt redolentia suave ministri,
Qualia pampineo ditissima palmite Lesbos
Non tulit, aut cellae quondam clausere falernae.
Puro vasa auro summis splendentia[4] labris
Accipiunt reges, mensa hinc atque inde secuta
Omnis spumanti large se proluit auro.
Ecce instaurantur mensae; vix ferre ministri
Ingentes possunt lances, quas mensa gemiscit
Accipere impositas, depressaque pondere nutat.
Succedunt epulis epulae semperque novarum
Apparent rerum species, mira arte paratae,
Mille, ingens opus et cura evigilata coquorum.
Perpetui hic mensis fert tergum immane bisontis[5],
Regum sollemnes asueti accedere mensas,
Occiduo haud noti caelo atque cadentibus astris,
Attagenas volucres ille et quas Phaside ab unda
Ad nos argivae quondam vexere carinae,
Delicias mensae. Defit nec regius ales,
Hesperio ignotus caelo, gallinaque caecis

[1] Totus hic orationis periodus mendo quodam occulto laborare videtur.

[2] Iunge: aut virus, quod quondam demitur pullo equino. Quod hippomanes dicebant antiqui (conf. Verg. Georg. III, 280; Aen. IV, 515 sq. Tiball. II, 4, 58; Propert IV, 5, 18; Iuven. VI, 132 sq.

[3] Ms. „asportant".

[4] Ms. „spectantia", quod vix vi passiva accipi potest.

[5] Sive uri, bovis feri (żubr, tur), J. Caesaris temporibus etiamtum in Germania, nunc solum in Lituania silva Białowieżensi viventis. Conf. Nic. Hussoviani de hoc animali carmen a Io. Pelczar nuper editum et uberrima adnotatione illustratum.

In tenebris tenui longum depasta farina;
Non capo pinguis, non cauda pavo superbus,
Gloria regalis mensae, non daedala perdix
Et viduus sicca deprensus in arbore turtur.
Non capitolinae custos fidissimus arcis
Defuit hic anser, cuius vigilantia mensas
Censorum meruit [1], Gallis celebrata fugatis;
Non cervus lentas depellens corpore febres,
Alatusve lepus, vastis iactatus in agris,
Praeda canumque labos, vel acuti lumina damae.
Omnia quid memorem? Quicquid ditissima tellus
Aut nemora aut valles aut luci ferre profundi
Escae aptum potuere, et caelo pervius aer
Neptunusque pater, vastae regnator aquai,
Regia mensa tulit, nec non, quae industria rerum
Naturae adiecit, regalibus excita mensis.
Has opulas inter repetitaque pocula fossi
Convivae huc illuc oculos atque ora ferebant.
Stabat contra abacus, summa ad laquearia surgens,
Obiectus late mensis, ingentibus ardens
Vasis, argento gravibus fulvoque metallo,
Prisca ubi facta patrum primaque ab origine reges
Saecula ad hacc longo pulchro caelantur in auro,
Oraque, quas olim gessere, imitata figuras.
Huc intenti oculos volvunt longumque morantes [2]
Tantorum discunt regum pulcherrima facta,
Sauromatum regum, quorum indelebile nomen
Servat fama ingens sublimeque gloria tollit.
Illic Iagello, vera armipotentis imago
Mavortis, regum multa inter milia surgens
Ante alios supra toto se vertice tollit.
Excelsas magnae venientem Hedvigis ad arces
Aspiciunt, undis et se ut lustralibus heros

[1] Anseribus enim, Iunoni in Capitalio sacris, in rationibus publice expendendae pecuniae alimenta a censoribus locabantur.

[2] Hoc versu incipit liber bibliothecae Ossolineae.

Immittat sacroque humectet flumine crinem[1];
Hinc deinde heroem ut Lituania tota secuta,
Eius quae imperium dominasque ferebat habenas
Laeta caput sacris umeris tenus inferat undis,
Falsaque numinibus commutet numina veris.
En sanctae silvae et lucis nemora alta profundis,
Ante colebantur magno quae gentis honore,
Ferro excinduntur sublataque robora caelo
Aequantur praecisa solo; ruit acta securis,
Alituumque domos, quae summa cacumina servant
Aeriae silvae, terris ostendit apertis.
Apparent nemore in magno stabula alta ferarum[2],
Haud canibus tentata olim aut venatibus ullis,
Omnia quae loca sancta tenebant, credita sancta.
Hic angues divos, quos barbarus ante penates
Credidit, exstingui videas; nil sibila prosunt
Ora aut vibrata sinuosa volumina cauda;
Aspis humi iacet exanimis mille obruta saxis,
Diva modo, numerum divorum altaribus auxit[3].
Ignis, qui, summus gentis deus, arduus alto
Vertice surgebat flammisque undantibus auras
Aeternus pulsabat, iit, restinctus aquae vi
Exiguae, in nebulam fumo commixtus amaro.
    Rerum auctor mundique olim nascentis origo,
Aeternus Deus unus, idem et tria numina nexu
Tergemino (humanus nescit quem solvere sensus,
Non coluisse nefas, multandum perpete vita),
Exactis tot dis templis successit et aris.
Astra manu terrasque gerit; primum omnia nutum
Illius exspectare putes hominesque ferasque
Resque anima cassas stellisque potentia regna.
Atque inde expressum[4] nihil, ex quo haud viribus ullis

---

[1] Mss. „crimen".
[2] V. Aen. VI, 179.
[3] In voce „divus" ludere videtur modo propria vi, modo defuncti significatione usurpando.
[4] Mss. „pressum".

Immensam hanc mundi molem et volventia saecla
Esse deus fecit nutu aeternumque vigere, —
Stat nihil artifici visu mirabile dextra
Ductum, immane horrens, specie sine, nomine cassum,
Mundum ultra caelique vias, sine sede locoque.
Ora Dei circum alituum genus aethere summo
Demissum pernici ala volat; aurea pubes,
Dulce sonans, tremulis mulcebat cantibus auras.
Vera Dei facies Lituano cognita tandem est.
　　Hic quoque cernere erat, dis ut Samagittia[1] falsis
Consilio, Iagello, tuo monituque relictis
Numina vera colit[2], finem quae nescia, quaeque
Nescia principium, aeternum vivuntque vigentque,
Maxima quae et rerum magno dominantur Olympo.
　　Bella exhausta inter pugnatasque ordine pugnas
Cernere erat, duro Prutenum ut Marte profundat[3]
Iagello multaque cruentet strage superbum[4].
Milia multa virum mediis occumbere campis
Visuntur miserorum excisaque corpora ferro
Semianima obvolvi et terram foedare cruore.
Apparent fuso Pruteno ingentia plaustra,
Demens quae adduxit longis onerata catenis,
Vinciret captos extremo ut Marte Polonos.
Prutenus sua vincla miser durasque catenas
Captivus sentit, sorte indignatus acerba;
Omnia turbari fatis eluget iniquis.
　　Cracoviae hinc surgit mediis in moenibus urbis
Tectum insigne, ingens, laetos ubi Sarmata pubes
Exigat in studiis annos viridemque iuventam,
Seu iuvat argolicam[5] patriae linguamve latinam

---

[1] Lib. Corn. „Samogittia".

[2] Potius „colat".

[3] Mss. „profundit". Conf. vv. 236, 239, 240, 284.

[4] Celeberrima illa pugna ad Grunwald et Tannenberg commissa.

[5] Haec verba documento sunt a. 1543, neque tum primum sed iam inde a longiore temporis spatio, graecas litteras tractatas esse in academia cracoviensi.

Addere, sive supra studia haec assurgere et ore
Artifici, rebus punctim per mutua nexis,
Turpia falsa inter speciosum ostendere verum,
Implicitum quod mille doli, ambages tenebraeque
Involvunt caecae et vix extricabilis error;
Discere sive velit caelum volventiaque astra,
Quidque paret fratri, cum sese attollere contra,
Luna potens radiis induta minacibus audet,
Aut cum fraternis quondam se amplexibus infert;
Seu si quando fero illactabilis igne cometes
Regnorum occasus regumque extrema minatur;
Ora aut cum Phoebus radiis occultat opertis
Immittitque orbi tenebras noctemque profundam,
In media properans regione liquentis Olympi;
Seu cum luna olim, noctis solamen opacae,
Ostendit terris viduatos lumine vultus,
Aut quae naturae vis omnipotentis Olympo
Excita rebus inest rerum et discriminat actus:
Magnum opus humana et vix exsuperabile cura.
Est et apollineis locus artibus, obsita morbis
Corpora quae leto eripiant fatisque supremis,
Quaeque adventantis, meliores, tristia morbi
Semina praecidant, intactaque corpora servent [1].
Hic quoque, pontificum maiestas summa Quiritum
Quis regat imperiis, qua lege coerceat orbem,
Nosse est, humanae posita est quae regula vitae.
Ultima sidereo condunt caput ardua caelo
Divino sese studia attollentia motu,
Quis meliora homines nequeant humanaque cura
Quaerere, quis toto nihil est praeclarius orbe.
Credere quid fas est homini, quod credere dignum,
Illa docent; animos aeterna ad gaudia poscunt,
Mollibus et iussis acuunt mortalia corda
Atque erecta alto faciunt assurgere caelo,
Immortalem homini solae spondentia vitam,

[1] Mss. „praecidunt, servant".

Ereptosque malis annos floremque perennem
Aetatis pulchramque aeternam in pace quietem,
Nescia quae occasum immortali ducitur aevo.
Haec oratores tacito dum lumine laeti
Perlegerent efficta et mirarentur in auro,
Ad mensas revocati et pocula grata Lyaei
Saepe, dolent lustrare oculis haud cetera posse,
Admiranda illo quae plurima cernere in auro est.
Postquam extrema fames epulis depulsa supremis
Surgendum suasit mensis, ingentia lympham
Aurea vasa, manus supposto quae alluat auro,
Irrorant, lenique manus sparsae imbre mitescunt.
Hic simul, ut mappas celeres plicuere ministri,
Rex indulgendum choreis iubet. Ocius omnes,
Qui circum mensas steterant, cessere choreis.
Area lata patet; florens aetate iuventus
Stat circum, flavos sertis redimita capillos,
Exspectatque sonos ducendae exorsa choreae.
Edidit ut primum modulatos tibia cantus,
Dulceque demulsit primas tuba ductilis auras,
Exiguasque secuta notas exordia fecit,
Quisque suam antiquo patriae de more puellam
Apprensam dextra media in penetralia ducit,
Exercetque choro nunc huc nunc impiger illuc,
Ductatque alternatque vices et poplite pernix
Colligit ingentes glomeratis passibus orbes,
Dissolvitque celer; nequeas servare tuendo:
Tam festinatis eludit gressibus auras.
Summum vix properata solum vestigia tangunt,
Saltantes motu Satyros imitatur iniquo,
Poplite nunc dextro, laevo nunc poplite presso
Nunc dextram petit, hinc planta se praepete versat
In laevam, exercetque gradu fallente puellam.
It sudor frontemque lavat largo imbre nitentem.
Fistula dehinc choreis sese aufert; sistitur: ille
In laevo, in dextro hic pede restat; anhelitus artus
Iactatos quatit; it toto de pectore sudor

Et late guttis irrorat grandibus ora.
Deinde vocat rursus repetito ut tibia cantu
Ad choream, redeunt acres, volucri pede pulsant
Atria; vix summa attingunt sola levia planta.
Altera facta quies, cessat cum tibia, vires
Integrat. Hic maior leni fluit agmine sudor
Et tereti gutta laxatos irrigat artus.
Ultima, iam primae finem factura choreae,
Tibia festivo accelerans ferit aera cantu.
In spatia irrumpunt sua quisque haud segnius euro,
Illaqueantque pedes et, toto corpore versi,
In dextram laevamque ruunt circumque feruntur,
Donec summa quies ductae signata choreae.
Hic deducta manu sedi sua cuique refertur
Fessa puella; toris discumbitur undique pictis,
Barbarico pictis auro et ferrugine ibera.
Hinc atque inde toros circumstat mascula pubes
Oraque desiccat nitida rorantia mappa.
Nec minus in stratis, pernici exercita cursu,
Sudorem virgo tenera de fronte fluentem
Candenti tergit lino, pulchra ora manusque.
Exsiccat mappa, et motas exsuscitat auras
Circum ora albentesque genas et roscida labra.
Interea exspectat choream dum laeta iuventus,
Quae mox est agitanda, toros circumspicit altos,
Ordo puellarum quos plurimus occupat; ora
Sollicitus fert huc intentaque lumina volvens
Eligit ex omni numero, quam deinde chorea
Ducat, et attentus, cum[1] primos tibia cantus
Edidit, accelerat nudato et vertice figit
Lumine[2], quam poscit, surgentemque arripit: itur
In spatia et solito in gyrum de more feruntur.
Tunc, si quis quam forte animis elegerat, illa
Praeripiente alio caruit, dum forte moratur

[1] Lib. Corn. „quam".
[2] Tectis capitibus iuvenes tum saltasse videntur.

Non exaudito cantu, maesto ore genasque
Suffusus cedit statque alto corda dolore
Fixus et indignam volvens sub pectore sortem
Aeger abire parat choreasque relinquere. Gressum
Tendit, abit, motoque gradu se continet: illum
Raptat amor choreisque abeuntem et multa gementem
Continet, alteriusque iubet meliora choreae
Sperare et duram sperando vincere sortem.
Exspectat, fruitur, laetus spe exsultat ovansque
Conventus ruit in medios[1], ferit aera motu
Composito versatque vices, pede ludit iniquo.
Invidet huic alius sortem, qui talia maeret,
Qualia nuper erat casu hic expertus amaro.
Indignos casus volventem inimicaque fata
Cogit amor sperare et spe tenet asper amantem.
Interea caelo noctem properare voluto
Infelix videt et stellas ostendere terris,
Finem adventantem chorearum, extremaque maerens
Cogitat et nihil infelix, quod speret, habere,
Multam ista in noctem oblitus procedere sueta.
Sic illum perturbat amor visisque fatigat.
Optata tandem fruitur, gaudetque chorea,
Et semel atque iterum celeri petit atria saltu.

Hac vice festarum chorearum plurima surgit
Nox caelo referuntque humentia sidera somnos:[2]
Tibia supremum canit, actis meta choreis.
Surgitur et sponsi thalamos inde itur ad altos.

Lectus erat, latas ubi contrahit angulus aedes,
Lino substratus tenui, qualem atria circum
Suspendit telam fecundus stamine vermis,
Ostro suave rubens sarrano, tectus et auro,
Et multa pictus gemma emicat. Atra recedit
Nox longe horrentesque alio fert victa tenebras.
Hic heros, sacra quem Vratislavia mitra

[1] Corn. „medio".
[2] Verg. Aen. II, 8 sq.

Insignit[1], pulchram Elisabem dextra accipit, inque
Conventu medio egregiae de laude puellae
Plurima commemorans, addens longo ordine reges,
Unde genus numerosque haud admittentia sceptra,
Sismundo Augusto magni dat nomine regis
Romani patris Elisabem, Caroliquo superbum
Caesaris invicti patrui et venerabile nomen
Addit, caesareasque aquilas ultraque columnas
Extremas multis tendentia signa tropaeis.
Tunc Macioscheae gentis generisque poloni
Fama ingens, Samuel, plosceis additus aris
Supremum decus, egregio contra excipit ore
Pro rege, ut rex accipiat gaudensque volensque
Elisabem regni in sociam thalamosque iugales.
Haec ubi dicta, solent regales quae addere mensae,
Ultima sopitis irritamenta palatis
Accipiunt; circum famulorum plurimus ordo
Ingentes portat lances, ubi marcia[2] liba,
Saccharoaque alte circumdata cinnama crusta,
Pubentesque nuces, ramis felicibus aevo
Ablatae primo primoque sub ubere raptae,
Quae quondam largo saturatae flumine dulces,
India quos mittit mollis, suxere sapores.
Pensilis hic rigidos imbuta cucurbita succos
Suave olet et tardum invitatque trahitque palatum.
Citrea mala alios, quam quos genuere, sapores,
Hic usus quondam in tales condita, remittunt,
Ceteraque hic regum in summas venientia mensas,
Quaecunque omnipotens natura arsve aemula finxit,
Cernere erat; lances circum tenue insonat aurum.
Vina dehinc fundunt famuli, quae pannonis ora,
Itala quae misit, quaeque olim Graecia felix.

---

[1] Conf. I, 7, 251 sq. ubi Baltasar Prumnicius, episcopus Vratislaviensis, in nuptiis Catharinae a. 1553 eodem fungitur munere.

[2] Ms. „Martia". Correxi; videntur enim designari liba, quae dicimus „marcepany".

Baetica nec desunt longum portare per aequor
Sunt et si qui alia extrema incolunt sub ora.
Tempus erat medium cum nox tenet humida [illegible]
Et iuxta occasus aequalesque aspicit ortus.
Nocte ergo admoniti non longum extremi morantes
Inde abeunt omnes felicia iam precati
Fecundosque toros sponsosque in pace relinquunt.



7.

DE APPARATU NUPTIARUM

inclITI et potentissimi
SIGISMUNDI AUGUSTI, Polonorum regis
(et Catharinae, caesaris Ferdinandi filiae).

Carmen extemporaneum [1].

Audite et laetos animis admittite cantus,
Sauromatae: regis mecum celebrate faventes
Conubium Augusti et faustos orbi hymenaeos: [2]
Augusti, quo non alius mansuetior ullus
Sceptra tenet regnique datas moderatur habenas.
Venit laeta dies, illuxit si qua Polonis
Festa olim, postquam campos atque invia rura
Sarmatiae ingressus tentoria prima locavit
Lechus agris, genti sedes ac moenia fixit.
Laeti ergo mecum festum celebrate hymenaeum
Sauromatae: septem caelo fulsere triones
Plus solito lateque facem accendere coruscam,
Laetitiaeque novis signum dedit ignibus aether.

---

[1] Verba „et Cath., caes. Ferdinandi filiae", secundum Ianociana (I, pg. 233) addidi, nam necessaria fere videbantur; quamquam desiderantur in meo apographo ex libro typis Cracoviae a. 1558 expresso bibliothecae Czartoryscianae $\left(\frac{4248}{34}\right)$ sumpto, neque carent suscipione, cum ante a. 1556 Ferdinandus caesar a Royzio dici vix potuerit. Praeter Czartoryscianum nullum aliud exemplar huius libri mihi innotuit.

[2] Hiatus Horatiano illi (Carm. I 28, 24) similis. Ceterum conf. Gellii N. att. VI, 26.

Iagelloneam rursum austriacamque[1] iugari
Gentem fama refert et laeto nuntius ore.
Huius magna tibi tanti stat gloria facti,
Dux Radivile[2], decusque feres per saecula magnum.
Felices hos tu thalamos, haec foedera tractas,
Grata Deo et genti multum exoptata polonae.
Dii utinam, quorum non haec sine numine certo
Moliris, faciles tibi debita praemia reddant!
Iam iam aderit, certis sacra qui conubia vinclis
Firmet et alternans nodis devinciat artis
Te, Catharina, petens, qua nuper Mantua[3] paucos
Laeta dies thalamo exstincti decedere flevit
Maesta ducis lacrimisque abeuntem et voce secuta est.
Te fandi gnarus, fidei secretior altae
Regius antistes, docto Prerembius[4] ore
Augusti mandata ferens, efferre paternis
Gressum oret tectis sociamque accedere regni
Atque omnis comitem vitae properantis et aevi,
Ut quam spem rapta Elisabe mors ante diem trux
Abrupit, fato thalami meliore reponas.
Eia age rumpe moras, Prerembi, nuntius isti
Qui Augusto tristis rapti de funere patris
Cracovia Litavum ad fines et frigida regna[5],
Feta gelu, — nunc laeta obeas data munia laetus
Conubiisque insta et Fernandi limina regis
Patris adi, natae cui vincla iugalia curae:
Utraque coniugiis iterum se regia iungat.
Sauromatae hoc omnes optant populusque patresque
Ac rex ingenti iam dudum accensus amore.
Hoc pater, hoc velit ac votis non abnuat aequis.

---

[1] Ed. „astriacamque".

[2] Est Radivilus Niger, palatinus Vilnensis. Conf. Górnicki, Dzieje w Kor., Sanok, 1855, pg. 41 sqq.

[3] Catharina erat primum nupta Gonzagae, duci Mantuae.

[4] Ioannes enim Przerembski, vicecancellarius regni (1550—1559) una cum Radivilo Vindobonae de nuptiis Catharinae regis regnique nomine paciscebantur.

[5] Conf. III, 11, v. 53.

Et tu, pulchra, veni et sedes, Catharina, paternas
Linque volens fatisque sacram felicibus aulam
Ingredere Augusti, et laetis regina vocari
Vocibus assuescas Augusti atque[1] inclita coniux.
Fata benigna volunt et Divum certa voluntas
Has iterum sociare domos et iungere taeda.
Annuit Augusto Fernandus bis socer ultro
Rex regi et natam verbis despondit amicis.
Ergo quod faustum populis felixque velint Di,
Inclita Romulei proles venit altera regis
Desponsa Augusto, regis Catharina mariti
Ingressura toros magni thalamumque sororis
Heu quondam exstinctae viduumque aditura cubile.
Aspicis, ut boreas placidi flat more favoni
Auraque invitat sponsam blandoque susurro,
Tristes demulcens iras stridentiaque ora,
Sueta malas hiemes spirare et frigora saeva?
Cernis et umbrosas ut vestiat[2] Istula ripas,
Lene fluens tentoque impellens agmine lymphas,
Laeta tuis, Minci, spoliis et honore superba?
Quam modo clara viris decedere Mantua flevit,
Arces linquentem viduoque palatia lecto
Maesta sui ducis, hanc Cracovia moenibus ardet
Claudere laeta suis oculis et cernere coram,
Sarmata et hanc omnis studio flagrat ante videndi.
Hanc patres laeti exspectant, quos suave rubenti
Murice velat honos rerumque dat esse potentes.
Expetit hanc exculta animis aevoque iuventus,
Voce fremens una lectus cum plebe senatus.
Sanguinis austriaci o lectum genus, inclita regum
Gens, Catharina, veni, veni[3], omnis Sarmata clamat.
Promit opes et quisque suas congestaque longo

---

[1] „Atque" addidi, nam in textu ex editione Cracov. transscripto videtur per incuriam esse omissum.

[2] Edit. „vestias".

[3] Imitatur similes locos Verg. Ecl. 8, 79; 6, 44 et Ovid. Metam. III, 501.

Quondam aevo et parcis ab avis defossa talenta
Caelo ostenduntur, tenebras noctemque relinquunt.
Omnes certatim gazam eruere usque repostam
Aspicias tanto et laetos gaudere hymenaeo.
Ad festos se quisque dies multo apparat ostro,
Multo auro, multo argento et fulgentibus armis.
Iam Martis simulacra viri, iam pulchra iuventus
Arma parat circo et cursus meditatur equorum,
Caesariem prensans galea cristisque decoris
Auricomos aptans conos tollensque sub auras.
Nec rex interea segnis, cui pectora grati
Urit amor thalami exspectataque gaudia taedae,
Mente agitans tota, pulchram quibus instruat aulam,
Quos ludos quae festa suis totique trioni
Indicat sponsam propter sanctumque hymenaeum.
Thesaurosque aperit dites longaque paratam
Gazam aetate, tuum, Spitko Iordane, laborem
Et, Lutomire, tuum, fidei res credita quorum est
Muneris et tanti moles: sic notus uterque
Ingenio sollers et rebus dexter agendis[1].
Sed malus heu curas has inter morbus adortus
Augustum febrisque gelu commixta rigenti
Artus saeva coquit sacros praecordiaque urit.
Nil medicas adhibere manus, nil pharmaca prodest;
Languet et ingenti morbi rex aestuat igni.
Non epulas capere aut speciosum haurire falernum,
Non cantus audire iuvat, non dulcia plectra.
Insomnes ducit noctes lucemque quietis
Expertem. Et morbo regi mage noxia cura,
Saeva, malum duplicat, toties cum dicta hymenaeo
Et diffusa dies aegro succurrit, et haeret
Fixa animo, cursuque videt properare citato
Tempus et interea dirum haud mitescere morbum.
Sauromatas tandem caelo miseratus ab alto

[1] Spytek de Zakliczyn Iordan erat tum thesaurarius regni, Lutomirski thesaurarius curiae regiae.

Augustumque Deus morbo fessum et prope fractum
Immiti regem, cui debita longa senectus,
Aspicit et reddit notas in corpore vires.

Ultima iam taedae et laeto lux dicta hymenaeo
Venerat. Ecce orbis variis de partibus adsunt
Missi oratores et nuptae munera portant
Augustoque. Patris late regnantis Iuli[1]
Nuntius advenit iuris Maphous et aequi
Consultus, priscos memorat qui in gente Quirites,
Unus bis senos, quos legit Roma, patronos
Pontificum regumque inter celeberrimus omnes.
Nuntius hic patris summi, dextra inclita cuius
Fert sceptrum omnipotens, quo terras unus et aethram
Subicit imperiis Acherontaque terret et umbras,
Quem penes arbitrium rerum, cui grandis Olympi
Ingentes reserare datum est et claudere postes
Et sontes animas nigrae damnare gehennae.

Et Carolus caesar bello et victricibus armis
Inclitus, excivit quem nemo impune quietum
Cunctatumque diu ac venientem haud sustinet hostis,
Misit pictavia Guiliholmum e gente profectum,
Insignem pietate virum fandoque disertum,
Regi qui Augusto pactae conubia neptis
Felices semper thalamos faustosque precetur.

Ac proceres, quorum arbitriis fastigia caesar
Accipit imperii et sumptas fert orbis habenas,
Miserunt, regi qui fausta precentur amico
Coniugia et laeti laeto intersint hymenaeo.

Hippolytusque, genus prisco a Tassone profectum,
Clara domus, magno duce missus ab Hercule[2] venit,
Hercule, qui Eridani ad ripas et amoena fluenta
Italiae custos sedet atque potentibus armis
Hostes arcet agro sedesque tuetur avitas,
Assuetus non has illasve accedere partes,

---

[1] Iulius III, pontifex maximus aa. 1550—1555.
[2] Hercules II, magnus dux Estensis, nat. a. 1508, reg. aa. 1534—1559.

Regibus incessit Martis si quando cupido
Insani miserosque armant in mutua cives
Damna feri; quin nascentis mala semina belli
Vestigat sollers studiisque recidit amicis.
Augustanus Otho[1], sancti pars prima senatus,
Puniceus quem velat apex pressoque galerus
Crine caput stringens decus almae frontis inumbrat,
Misit Lesnovium pro se, qui laeta precetur
Conubia et mensa sedeat conviva iugali.
Venit Ioannes Isara Zengerus ab alta,
Clarus eques, quem Bavariae dux[2] misit, iniquo
Districtus patriae bello et civilibus armis:
Ipse volens coram, sineret Mars saevus, adesset.
Exierat iam pulchra domo Catharina paterna
Post longumque vale fecundos liquerat agros,
Laeta Vienna, tuos propioraque rura tenebat
Lechiadum ad regis fines ventura mariti.
Haesisti clarae, rex Aemiliane, sorori
Maxime[3], Fernandoque comes cum fratre tenebas
Laetus iter, pulchrae conubia laeta sororis
Visuri fratres, omnis quos suspicit orbis
Regnaque, quae vobis se se debere fatentur.
Erubuitque suos angustos Austria fines
Tuque Boheme tuos, ingentia debita regna
Confessi: non terrarum satis alluit Ister
Fernando, non sunt tibi, maxime, regna paterna
Aemiliane, satis; digni maioribus ambo[4].
Fratrem expectabant cum pulchra utrumque sorore
Lechiades, sed te, rex Aemiliane, referre

---

[1] Otto Truchsess v. Waldburg, cardinalis episcopus Augsburgensis 1543—1573, Stanislai Hosii amicus fideique catholicae apud Germanos acer propugnator.

[2] Albrechtus V aa. 1550—1579.

[3] Aemiliane maxime; sic alloquitur poeta Maximilianum, cuius nomen in versum non quadrabat.

[4] Ex hoc loco elucet, Maximilianum in Bohemia, Ferdinandum in Austria inferiori a. 1558 patris nomine regnasse.

Gressum morbus atrox venientem aggressus adegit
Nec coram aspicere o laetos, o maxime laetos
Aemiliane toros morbi inclementia sivit.
Processere novae reginae occurrere iussi
Trans ditionis agros Olomunti ad moenia nota
Andreas, Ploscae antistes, Noscovius [1] et tu
Clarus avis, Srensi [2], et veterum virtute tuorum
Haud minor, Augusti pars non temnenda senatus.
Et fando bonus ingenioque Ociescius [3] acri
It comes, affatu Catharinam ad debita molli
Sarmatiae qui sceptra vocet: sic poscere regem
Augustum, sic res regni populumque patresque
Inde sibi nasci reges optare legique.
Festinet; venit Augusto gratissima regi,
Sponsa viro fratrique soror, non advena regno.
Unum utrique genus, gentem, ne ignoret, eandem.
Iam Lechi attigerat fines augustaque regna
Laeto sponsa gradu, cum se fert obvia contra
Matrum casta cohors, pulchris stipata puellis.
Has inter mediaeque duae hinc inde heroinae,
Altera Sidlovii viduo deserta cubili [4],
Sidlovii, cuius non ulla aboleverit aetas
Nomen et aeterno victuram tempore famam.
Altera magnanimi Cmitae sanctissima coniux
Herborta de gente [5], domus quae clara sub arcto est,
Cmitae, quem, morbo male correptum et prope victum,
Servavit modo divorum clementia terris.
Hae sponsam primo venientem in limine regni
Excipiunt faustumque precantur cunctae hymenaeum
Hortanturque pede ingrediatur laeta volenti,

[1] aa. 1546—1567 (†).

[2] Felix Szreński, palatinus Plocensis aa. 1536—1554, idem, qui etiam ad Elisabem a. 1543 Poloniam intrantem salutandam missus erat. Conf. II, 5, 62.

[3] Cancellarius regni.

[4] Sophia de domo Targowicka.

[5] Barbara, filia Ioannis Herborti Dobromilensis, erat altera Petri Cmitae coniux.

Regales aditura toros aulamque superbam
Augusti regis, quem tota Polonia quondam
Laeta diem celebret ferat et Diis sacra quotannis,
Felicis memor adventus, cum prima polonis
Finibus et Lechi terris vestigia fixit
Austriacas Catharina domos atque arva relinquens.
Iamque propinquabat Gracchorum moenibus altis,
Regis ubi Augusti sedes et regia celso
Colle sedet pulchraeque assurgens imminet urbi.
Olli rex contra multis cum milibus ibat
Obvius, et iam Lobzovios superaverat agros,
Acri vectus equo; mater Bona, sanguis iberus,
Sexum se attollens supra, comitatur euntem.
Quattuor et iuxta sese iunxere sorores,
Virgineo tres ore dabant diffundere ventis
Crinem [1], quarta [2] aevo primo et florentibus annis,
Regali nuper Iani [3] viduata cubili,
Pannoniae sceptrum propera qui morte reliquit,
Cum nato; natusque comes matri ibat amatae.
Et tu, magne senex studiis bellique togaeque
Inclite, prisca tulit quo nil clementius aetas
Nec ventura feret nostris neque contigit annis,
Dux Alberte [4], tuis non infitiande Borussis,
Addis te comitem regi, et de stirpe Piasti
Descendens dux Tesinus [5], clarissimus heros,
Et qui Legnicias patrio moderatur habenas
Insidens solio [6], quemque Olesinia tellus
Agnoscit dominum [7]. Proceres hinc inde Poloni

[1] Sophia, Anna et Catharina.

[2] Izabella, regina Hungariae.

[3] Ob. a. 1540, quo paulo ante et Ioannes Sigismundus filius natus est.

[4] Albrecht, inde ab a. 1525 dux Prussiae Polonorumque regni cliens, obi. a. 1568.

[5] Venceslaus III nat. a. 1524, regn. aa 1539—1579.

[6] Fridericus III nat. a. 1520 obi. a. 1570.

[7] Ioannes, minore stirpe Podiebrath ortus, nat. a. 1509 obi. a. 1565, Christinae de gente Szydłowiecka maritus. Erat dux Monsterbergensis et Oleśnicensis (Oels), comes Glacensis. Conf. infra 8 (3), 32.

Circumdant latus Augusti, propiusque secuti
Murice fulgebant sarrano auroque micabant.
Ecce autem octiiugo Balice Catharina relicta
Vecta aderat curru propiorque accesserat, alta
Stant ubi tecta ostro medio tentoria campo.
Rex ut conspexit venientem et laeta prementem
Arva gradu, obtutu stans eminus haesit in uno,
Protinus et toto concepit pectore flammam
Flagrantes sponsae vultus atque ora tuendo.
Accedunt iunguntque manus et foedus amoris.
Hic tu, Prerembi [1], iussus laeto incipis ore,
Et fando regis conceptam pectore narras
Laetitiam: sponsae adventu nil carius illi,
Nil magis optatum, nil tempore laetius ullo
Aut cecidisse olim aut quondam contingere posse.
Sarmatiae dum res stabit nomenque Polonum,
Illa dies omni semper celebrabitur aevo
Inter fortunae melioris tempora laeta.
Hoc socrus, hoc glores, hoc Augusti comitatus
Ingeminat: campo excitus ferit aethera clamor.
Tunc, celsis Vratislaviae qui praesidet aris,
Baltasar antistes docto Prumnicius [2] ore
Incipiens, regum fasces et sceptra vetusta
Austriacae memoranda domus narrabat, et inde
Prognatam patris Catharinam nomine regis
Fernandi Augusto regi regique marito
Contra offert, „haec, rex Auguste, haec scilicet", addens,
„Quos raptae Elisabes fata immatura sororis
Sarmatia in magna luctus planctusque ciere [3],
Ingentemque tuo defixum corde dolorem
Leniet et toto penitus de pectore tollet.
Mutabit curas, nequicquam Sarmata tristes
Eventus animo secum reputabit amaro.

---

[1] Ioannes Przerembski, tum vicecancellarius regni Polon.

[2] Baltasar de Promnitz, episcopus Vratislaviensis aa. 1539—1562.

[3] Ciere est perfectum. Sensus hic est: haec (Catharina) luctus planctusque, quos... ciere, ingentemque... leniet.

Hunc tibi tertius erit populus cui pareat haeres.
Alter ubi et quondam regnum qui porriget armis
Sarmaticaque potens late dominetur in omni
Trans Tanais ripas gelidi et Maeotidis Thetim[4].
Finierat fari antistes fremituque secundo
Cunctorum in caelum colles clamore resultant
Et laeto populi fremitu, qui plurimus agros
Compleret late studio sponsae ante videndae
Regnumque urbem. Turmas quid et agmina dicam?
Mille atque hominum gemmis auroque micantium,
Mille quos non Sarmatiae videre priores.
Tantis enim opibus tantoque instructa paratu?
Gazam tantam dicas terrarum et divitis orbis
Congestam, superesse nihil. Gemma undique et aurum
Argentumque nitet: micat undique coccina laena
Quantum prisca Tyrus Calmenque murice Sidon
Dives alit nostraque Valentia[1] nobilis aevo
Litore ab occiduo mittit Phoeboque cadenti
Et quae depectunt sibi vellera Seres.
Miris texta modis, molles imitata corymbos,
Orbis[2], maeandris[3] in se redeuntia nexis.
Mens quantum et manus arte valent sollertique audax,
Cernere erat. Pulchro hoc excitata moenia Cracchi
Ingreditur Catharina. Oculis hic laeta ferebat
Atque illinc vultu et circumspectabat amico
Plenam urbem populi, celsis nec parcere tectis[4].
Haerent parietibus iuvenes tectisque domorum
Prensantes manibus trabium capita aspera aduncis.
Nullus in urbe locus, qua se fert pompa, vacabat
Spectatore; omnes intento lumine gaudent
Flagrantes sponsae vultus radiantiaque ora

[1] Regnum atque urbs meridionalis Hispaniae, sericis laneisque vestibus texendis clara.

[2] sc. sunt.

[3] Conf. Verg. Aen. V. 251. Maeander est fere nostrum: „zakręt, spust".

[4] sc. populum.

Cernere, nec satis est iterum iterumque tueri
Flagrantes sponsae vultus radiantiaque ora.
Ecce Stanislai sacrae successit ut aedi,
Vota Deo exsolvens aras aditura precando,
Andreas nitido fulgens diademate praesul
Urbis adest Zebridovius[1], cui cura sacrorum
Prima sedet studiumque ingens delubra tueri
Romanas et opes templisque imponere morem.
Presbyterosque inter medius docta ora resolvit,
Gaudia commemorans quaque ipse sacratior ordo
Laetitia exsultet valeat nec corda repleri,
Illius adventu felix regnoque beatus:
Adfore, praesidiis cuius sacraria priscum
Obtineant decus et meritos antistes honores
Quique Deo tus casti adolent. Catharina profanti
Annuit et templo egrediens sese intulit aulae.
Postera lux sceptro insignem laetamque corona
In solio vidit Catharinam, tertia tandem
Regali excepit thalamo Iunone secunda:
Quae memoranda aliis — hic nobis meta — relinquo[2].

---

[1] Tum episcopus Cracoviensis.

[2] Ad calcem libri hoc loco haec addita sunt: Excusum Cracoviae apud heredes Marci Scharffenberger. Anno humanae salutis MDLIII mense Augusto.

8.

Ad

NICOLAUM RADIVILONEM,

virum Illustrem,

EPITHALAMIUM [1].

Coniugii Deus est auctor: qui iungitur ullis,
Heu, sine coniugiis, iungitur absque Deo.
Iungitur absque Deo, terraeque invisus et astris,
Absque Deo vivit, occidit absque Deo.

---

[1] Conf. titulum integrum in praef. Textus huius carminis nititur libro typis sine anni locique nota impresso, qui asservatur in bibliotheca Ossolinea. Radivilus, cui carmen dedicatur, est Nicolaus Janowicz armorum Trąby, Niger cognominatus, qui iuvenis peragrata tota fere Europa extremis iam Sigismundi I regis annis ingenio animique cultu inclaruit. Auctore Sigismundo Augusto, qui propter Barbarae, sororis eius patruelis, amorem, impense ei favebat, ad Germaniae comitia legatus missus, a Carolo V, imperatore sti. romani imperii, principis in Ołyka et Nieświeże titulum hereditarium, a. 1547 impertitum, in patriam rettulit facileque obtinuit, ut litterae Caroli a Sigismundo Augusto rege Polonorumque comitiis a. 1549 comprobarentur. Cancellarius Lituaniae a. 1550, anno post etiam palatinus Vilnensis factus est. Anno 1561 rex, quamdiu ipse abesset, supremum Lituaniae praefectum cum creandorum magistratuum iure eum esse voluit.

Quod vero poeta ipsum Sigismundum Augustum nuptiis interfuisse refert, uno certe anno post mortem Elisabes reginae (1545) hoc fieri potuisse consentaneum est; cum autem Radivilus nullo titulo exornetur, et nuptiae a. 1546 hieme celebratae et ipsum hoc carmen tum conscriptum esse verisimile est. Conf. Boniecki, Poczet rodów w W. Ks. Litewskiem. Warszawa, 1887, pg. 275 sq.

Occidit absque Deo, stygias sed mersus in undas,
    Quas meruit, poenas non dabit absque Deo.
Vixerunt ulla nam qui sine lege caduntque,
    Illos castigat non sine lege Deus [1].

Ad

SIGISMUNDUM AUGUSTUM,

regem.

Praesis coniugio quod, rex Auguste, tuorum,
    Elisabem iungit cum Radivilo sibi,
Recte nempe facis, quod honoras foedera lecti,
    Unde tibi miles, dux sit et unde tibi.
Unde hostes contra tua miles castra secutus,
    Dux tua devicto quaerat in hoste decus,
Cum Moscum contra fers arma Scythamque fugacem,
    Cumque tibi bello Turca petendus erit,
Cum regnum proferre olim iuvat ense paternum
    Et Iagellonis digna nepote facis.
Signa tua albentemque aquilam dum longius infers,
    Et visus septem portio parva trio est:
Quos nondum natos thalami rex praeses honoras,
    Dextra illi reddant praemia digna tibi,
Et dicant olim parto olim ex hoste tropaeo:
    „Solvimus en grates, rex Auguste [2], tibi“.

---

[1] Hoc prooemio Royzius Radivili animum iam tum ad impugnanda fidei catholicae dogmata propensum leviter tangere videtur; scimus enim Radivilum brevi post a. 1549 ex Germania reversum in dies magis Calvini placitis favisse, ita ut denique Calvinicae fidei acerrimus propagator ac tutor in Lituania exstiterit. (Conf. Niesiecki, Herbarz ed. Bobrowicz VIII, 60).

[2] Lege „A-u-guste“ per insolitam diaeresim.

Ad
NICOLAUM RADIVILONEM.

Elisabe, Radivilo, tibi Sidlovia proles
Ducitur, ante omnes forma pulcherrima virgo
Sarmatides, maior laudat quas fama puellas.
Antiquum clarumque genus, domus inclita si qua est
Sarmatico celebrata solo famaque superba,
Haec una est, quae monstrat avos gentemque vetustam,
Insignem factis, claram belloque togaque.
Inde tibi subolem quaeras: soror altera magno
Tarnovio [1], scis, ducta viro est coniuxque iugata;
Tarnovio bellis claro, quo milite saepe,
Quo duce victores redierunt saepe Poloni.
Hunc sibi Christophorus [2] generum delegerat omnes
Inter Sauromatas omnesque optaverat inter.
Ex hac ille [3] domo, talique ex stirpe cupivit
Sustulit et prolem, quam iam nunc educat altis
In regum domibus gaudetque assuescere regno [4].
Iam tener, aetatem supra — quid sanguine refert
Esse satum claro? — patris puer aemulus arma
Cogitat, et tota meditatur proelia mente.
Mars cordi et Bellona magis, quam culta Minerva est:

[1] Sophia, quae ante patris mortem (1532) Tarnovio nupsisse videtur, siquidem recte tradit Royzius infra v. 12 sq. ipsum Christophorum Szydłowiecki fuisse, qui sibi Ioannem Tarnovium generum elegisset. Tarnovii uxorem fuisse Nicolai Szydłowiecki filiam haud recte suspicabatur Paprocki eumque secutus Niesiecki (Herbarz ed. Bobr. VIII, 641).

[2] Christophorus Szydłowiecki, inde ab a. 1512 palatinus atque capitaneus Cracoviensis, ab a. 1513 regni Poloniae cancellarius, ab a. 1526 castellanus Cracoviensis, obiit a. 1532.

[3] scil. Tarnovius.

[4] Loquitur Royzius de Ioanne Christophoro Tarnovio, qui in Ferdinandi, regis Romani, aula educabatur et postea castellanus Voinicensis factus, a. 1567, triginta fere annos natus, mortuus est (Niesiecki, Herbarz ed. Bobr. IX, 42).

Non pacem ignavam non otia segnia curat,
Scilicet ut tanta stupefactus in indole caesar[1]
Inclita miretur decoris velut orsa futuri
In pueroque ducem primisque inspectet in annis.
Confirmata aevo quid serior adferet aetas?
Sustulit et Sophiam thalamis Tarnovius iisdem:
Insignem forma Sophiam, quae nomine matrem,
Quae facieque refert utrumque ac ore parentem,
Parva, decem brumas hiemis quae vidit aquosae,
At multis iam optata viris. Quam quisque iugare,
Quisque suae cupiat primorum adiungere genti[2].
Princeps Ioannes Munstembergensius ista
Christinam de gente tulit[3] thalamoque locavit
Christophori cupidus post ultima fata parentis:
Tantum Christophori post funera fama parentis
Evaluit nomenque ingens, externus ut heros
Ille Boemorum, satus alto a sanguine regum
Consortem optarit lecti atque in parte locarit
Magnarum fortunarum et ditionis avitae.
Hac Nicolae tibi Radivilo ex stirpe propaga
Heredem, qui[4] te referat, Lituania te quem
Tanquam suspiciat[5], colat atque ab rege secundum.
Hymen dulce tibi, o hymen, Radivilo, canatur:
Sponsa venit, promissa tibi pulcherrima virgo,

---

[1] Caesarem Carolum V dicit, qui a. 1556 imperium sua sponte deposuit.

[2] Sophia nupsit postea a. 1554 Constantino Basilio principi Ostrogski, palatino Kijoviensi, mortuoque a. 1567 fratre Ioanne Christophoro Tarnoviensia bona magnosque thesauros dotis nomine in domum eius intulit. Obiit a. 1571 (Boniecki, Poczet rodów pg. 235).

[3] Christina Sidlovicia nupsit Ioanni duci Monsterbergensi (sic Niesiecki) et Olesnicensi (Oels), comiti Glacensi, qui e gente Georgii de Podiebrath, Bohemorum regis, originem duxit. Et ipsius Ioannis et coniugis eiusdem Christinae Olesnicae in Silesiae urbe sepulcra exstant, quorum altero inscriptum est Christinam a. 1519 natam, a. 1536 nuptam, a. 1556 mortuam esse.

[4] In libro est „quae".

[5] Durior constructio pro his: quem Lituania tanquam te suspiciat.

Addite Tithonique aevum Pyliamque senectam:
Vivat uterque diu coniux, petat aethera sero
Et multa subole Lituanas repleat arces.
Haec interque dapes, haec inter poscite vina.
Hymen dulce tibi, o hymen, Radivilo, canatur.
Indultum satis est mensis: age laeta iuventus
Surge toris pulchrasque manu de more puellas
Corripe, correptasque exerce atque orbibus orbes
Expedias celerique gradu sola levia pulsa,
Laetaque concelebra choreis conubia laetis.
Hymen dulce tibi, o hymen, Radivilo, canatur.
Fistula concinuit dulci et symphonia cantu
Concordes inflata sonos dedit, oreque toto
Completur tuba saltantes ac excitat ultro.
Hymen dulce tibi, o hymen, Radivilo, canatur.
Surge iterum: rursusque tuam cape quisque puellam
Delassaque choro, nunc hac, nunc impiger illac.
Pulchrior haec, culta illa magis, magis illa decora.
Haec quaerenda tibi, magis haec, magis illa petenda.
Hymen dulce tibi, o hymen, Radivilo, canatur.
Parcite iam satis est iuvenes, iam multa ruit nox
Oceano referuntque graves iam sidera somnos.
Ad thalamos Iuno vocat et Lucina iugales,
Secundos o mox thalamos et prole beatos,
Prole, genus referat qua stirps lituana polonum,
Illustresque domo mixtos heroas utraque
Mittat et ingenti contingat sidera fama,
Mixta domus, multos olim mansura per annos.

Ad EUNDEM.

Classicum, Radivilo, iam sat, o sat[1]
Hactenus cecinisse, sat tuosque

[1] Est versus phalaecius hendecasyllabus.

Inflari lituos[1] et ore toto
In praedam canere hactenus cupitam.
Venit Elisabe in manum iugata,
Intrat in thalamos tuos marita.
Iam cantus, Radivilo, iam modique
Mutandi tibi sunt: repente, — praeda est
Postquam capta, — receptui canendum est[2].

---

[1] Tangit Radivilonis arma gentilicia. Ceterum in libro typis expresso hoc versu exstat forma „inflaris", proximo versu forma „canis"; utramque errore fortasse ortam mutandam putavi.

[2] Epigramma de Sidlovii filiabus, huic editioni additum, inter minora Roysii carmina transponere aptum visum est.

I.

EPITHALAMIUM

[illegible]

[illegible]

Laeta ferens, hac luce beet tua numine pleno
Conubia, haud olim paucos mansura per annos
Et laetos visura dies prolemque frequentem,
Pacata et nullis turbarum obnoxia rixis.
Alterius quae mens, quicquid optaverit alter,
Alterius mens haec idque unum optaverit alter:
Uno eodemque animo, velut unus, amentque velintque.
Quod vir, id uxor amet, quod non, hoc oderit ultro,
Lege suum venerata virum, quae dicta parenti
Primae hominum iubet uxorem sua colla marito
Subdere et obsequiis servire volentibus, unum
Esse suum gnarum caput. Haec data iura hymenaeo
Discat et imperiis iam nunc assuescat amicis.
    Digna viro, tanta vir dignus coniuge, laeti
Felices petitote toros, nova gaudia fausto
Aggressi pede. Depositos non cernitis aestus
Icarii canis, arentes modo sidere campos
Qui sulcabat hians nascentibus asper aristis
Et laetae segeti? Proque hoc clementior aura
Aera per liquidum spirantis lene favoni
Ver reddit laetis alieno tempore campis.
Rem cerne insuetam Divumque agnosce favorem:
Fit tibi ver, quae aestas; caelo se Sirius alto
Continet atque suos iam dudum comprimit ignes;
Augustusque pius, — quo rege Polonia felix
Usque vigebit, opis nequaquam aut Martis egena
Externi metuensve hostis, seu Thracius arma
Contemptor superum movet, in nova surgere bella
Assuetus, seu, Mosche, iuvat maioribus ausis
Lechigenas contra positis te opponere castris,
Immemorem Staradubeos qua strage per agros
Fusae olim iacuere acies tuaque ardua castra:
Tarnovio quae victori cessere superbo,
Nomen cuius erit nullis delebile saeclis,
Riphaeo Tanais lapsus dum vertice, notus
Terminus Europae atque Asiae, Maeotida Thetim
Influet et gemino campos premet amne liquentes, —

Augustus pius est haud dedignatus amicum
Huc Crasnistavio sese rex ferre relicto
Et thalamos celebrare tuos. Simul inclita coniux
Urbe venit Vilna, austriacae Catharina propago [1]
Magna domus. Iagellonias et adesse puellas
Aspicis, augustum genus, est et quisquis ubique
Sarmatia in magna nostris memorabilis annis,
Quem non aut privata domi res distinet, aut res
Publica tractantem leges pacisque tuentem
Otia, suppliciis plectentem et carcere sontes,
Aut importunum pellentem finibus hostem,
Sive valetudo fessum tenet et gravis aetas,
Linquere res quae hominum curareque numina suadet.
Hic tibi qui ausoniis tulit inclita munera terris,
Rex Auguste, tuam gaudens contingere dextram,
Aemilius Malvezus [2], avis et stemmate clarus
Maiorum, factis qui sese attollere caelo
Aggressus, flagrans animis et pectore certat
Famam venturum late transmittere saeclum,
Non invitus adest thalami et bonus auget honores.
Et tu Prerembi [3] antistes, cui Sarmata nullum
Praetulerit procerum, dulcis qui commoda curet
Plus patriae augere et priscos conetur honores,
Quemque magis, quicquam eveniat si durius unquam
Rebus sarmaticis, incommoda publica turbent, —
Prerembi antistes, — quo praesule Chelma beata est,
Quemque sibi iam dudum optat, moxque affore certat
Gnezna suum, arbitriis orbem melioribus omnem

[1] Barbara Gastold de domo Radziwill, altera Sigismundi uxor, obiit a. d. VIII Idus Mai. a. 1551. A. 1553 Augustus Catharinam, Mantuani ducis viduam, primae uxoris suae sororem, in matrimonium duxit, sed paulo post, cum comitiali morbo obnoxiam esse cognovisset, omnem consuetudinem cum ea rupit.

[2] Malvecci, ad quem exstant duae epistolae ab Sig. Augusto a. 1570 scriptae, quas edidit in lucem Bibliot. ordyn. Krasiń. Varsoviae 1870 n. 72 et 139. Is nuntii, a Bona matre missi, munere functus esse videtur.

[3] Ioannes Przerembski erat episcopus Chelmensis ab. a. 1557 ad 1559, quo archiep. Gnesnensis factus est. Conf. 7, v. 28 adn. 4.

Sarmaticum recturum apto, fanisque daturum
Iura et quos servent aeterno tempore ritus
Moremque [1],—haud segnis meritos quoque praebes honores
Conubio; quin ipse sacris rata vincula verbis
Nectis, ab aethereo poscens Deus adsit Olympo,
Mansurumque volens praesenti numine firmet
Coniugium, thalami stabiles et foedera sint ut [2].
Magnanimusque heros sese Tancinius [3] infert,
Urbs quo Gracchorum se atque alta palatia iactant,
Clarus avis, unoque idem se clarior ipso.
Quo nec amabilior terris nec dulcior ullus
Sarmaticis, rapido qua praeceps Istula cursu
In mare volvit aquas, quave algens despicit arctos
Constringitque gelu terras niveque integit alta.
Fundere promptus opes; doctorum cura virorum
Haud postrema sedet; non illo sospite Musae
Desertas graiae se non latiaeque querantur.
Hic tibi Lublino convivia lautus in alta [4]
Apparat, Augustum regem magnamque senatus
Partem orans epulas ad laetas laetaque Bacchi
Munera, iuncturus solem visura cadentem
Prandia cum cenis et munera larga daturus,
Suetus opes gazamque manu profundere larga,
Dignus, Croese, tuo, bene qui sic utitur auro,
Atque tuo, Mida, et quicquid videt auricomus sol,
Visceribusque suis condit ditissima tellus.
Praebuit et meritum Lucas Gorcanus [5] honorem
Coniugio, comes illustris, largissimus unus
Sauromatum, cuius largiri summa voluptas

---

[1] Nicolaus Dzierzgowski, archiepiscopus Gnesnensis, obi. die 22 mens. Februarii a. 1559.

[2] Mss. exhibent v. 82 „praebet", v. 84 „nectit" et hoc loco „sunto". Correxi dubitanter.

[3] Stanislaus Tenczyński, palatinus Cracov. aa. 1553—1563, si recte tradit Niesiecki (Herb.). Is tum capitaneus Lublinensis fuisse videtur.

[4] Iunge: Lublino in alta.

[5] Tum palatinus Lenciciensis aa. 1557—1564 (Nies. Bobr. Herb.).

Et patrias profundere opes, profundere avitas.
Tristis erit, nisi donatos dimittat amicos.
Non huic laeta dies fulsit, qua munere nullum
Obstrinxit quaque ille[1] sibi haud quaesivit amicum,
Fortunave gravi pressum aut solatus egentem est.
O, cur Gorcano, Dii, non maiora dedistis,
Illustri comiti Lucae! non aureus hoc sol
Splenderet magis in terris, non illius orbis
Iam caperet nomen, properantis in aethera famae
Sarmatiaeque omni decus immortale parantis.
    Ipse quoque insignis virtute ac moribus aequis
Firleius[2], placido cuius suadela leposque
Ore sedet pietasque animis et sensibus imis
Haerens fixa, morae impatiens sese exserit ultro,
Et se ignorari nulli sinit undique fervens
Perque oculos hominum gaudet se et ferre per ora.
    Et Chotkievicius[3], quo tuta Kiovia turmas
Hostiles temnit versasque in terga sagittas,
Moliri insidias inimicaque fallere castra
Doctus et arma manu ac forti torquere lacerto
Victorque exuvias superato ex hoste referre.
    Longaevusque senex studiosus Sapia[4] veri,
Iam pridem quod cum teneris coluisset ab annis,
Blandiri insuetus, seros est nactus honores
Fortunaeque diu ac multum obluctatus iniquae est.
    Quique colit pulchras Musarum sedulus artes,
Eloquio bonus et docto Maciovius[5] ore,
Quo potis est hominum deflectere pectora, partes

---

[1] Mss „quenque ille", in Ossol. „ille" posteriore manu in margine adscriptum est.

[2] Fortasse Nicolaus, qui postea palatinus Lublinensis obi. a. 1588, aut Ioannes, qui a. 1561 mareschalcus regni Polon. fuit.

[3] scil. aderat. Gregorius Chotkiewicz, palatinus Kijoviensis, qui postea castellanus Trocensis factus est.

[4] Sapieha. Conf. Boniecki, Poczet rodów pg. 306 sq.

[5] Stanislaus, Samuelis episcopi Cracov. frater, castellanus Sandomiriensis aa. 1556—1563.

In quascunque iuvat, studiisque accendere et ira,
Hoc odisse animis ardentibus, illud amare;
Arbitriis promptus regere et versare profundo
Doctus: dulciloquae tanta est facundia linguae.
Huc illucque mari veluti cum turbidus alto
Incubuit notus et fluctus ciet aequore toto:
Litora tempestas nunc haec, nunc litora complet
Illa ferens, motasque furens regit Aeolus undas.
Tarnovius comes[1] haud nobis indictus abibit,
Tarnovius comes illustris, patris aemula proles, —
Illius et referens speciosum nomen avique
Sidlovii; magna iuvenis patris acta sequatur
Ille modo, ut coepit teneroque imbutus ab aevo est —,
Indubiaeque spei. Quem quo se cunque ferentem
Lechia certatim comitatur obitque iuventus,
Divinum ingenii decus admirata benigni,
Sermones placidos et nescia laedere verba.
Se iuxta comitem illustrem Dembovius infert
Belza tuus ductor[2], iusti observator et aequi,
Cui pietas cordi est animisque recondita virtus.
Haud procul hinc Tarlo[3] placidus, non noxius ulli,
At gravis, olim animis et sumptis strenuus armis:
Aetas cum viguit florens et laeta iuventa,
Non illo melior sinuosis cursibus ullus
Flectere equos, rapta aut concurrere[4] promptior hasta.
Est et Tarnovius Spitek[5], pietatis amator
Cultorque antiquae, patriis qui finibus audax

---

[1] Ioannes Christophorus, castellanus Voinicensis, cuius mater erat Sophia, Christophori Sidlovicii, castellani Crac., filia.

[2] Andreas, quem Niesiecki falso post a. demum 1561 palatinum Belzensem factum esse rettulit.

[3] Videtur esse Paulus ille, qui iam provecta aetate clericali ordini ascriptus a. 1561 archiepiscopus Leopol. factus est. Sed hoc tempore etiam alii huius nominis multi innotuerunt.

[4] Cornic.: „aut rapta currere".

[5] Videtur esse Ioannes, palatinus Siradiensis, quem Niesiecki falso iam a. 1556 obiisse scribit.

Egressus, mores populorum ut nosset et urbes,
Multa adiit maria et terras, variisque periclis
Se obiecit, sanctam ut Solymorum attingeret urbem,
Sanctam urbem, Christi maerens quae condidit olim
Ossa Dei mortalesque artus, rursus et auris
Reddidit, ut regno Plutonis morte subacto
Patrum animas victor stellanti inferret Olympo
Caelestesque domos clauso reseraret Averno,
Promeritas adimens poenas mortalibus aegris.
Proximus huic lingua et prompto Siracovius[1] acer
Eloquio, quo nemo boni aut consultior aequi est
Gratior aut fando, dum sollers iurgia nunquam
Cessantis populi perplexas nectere lites
Augustove refert regi, solvitve docendo
Victorem hunc, frustra se dedere litibus illum
Enarrans, dubiumque fori discrimen adire.
Praeteream nec te, Sborovi[2], bella frementem
Mavortemque ferum victriciaque arma cientem.
Horruerat iam Livo tuas, expertus et[3] esset
In sua damna manus utinam pubemque polonam,
Quam, duce te, pulchris Livonia vidit in armis,
Et formidavit venientem atque arma ferentem.
Volscius[4] hic Italis aderat bene cultus in oris;
Olim quem docuit studiorum Felsina nutrix
Aevoque eduxit primo et florente iuventa,
Dignus, quem partem rex iusserit esse senatus.
Regalique olim assuetus Radziovius aulae,
Bella Sigismundum sive haec sive illa gerentem
Sauromatas inter non ultimus ipse secutus.
Hi venere, tuum, proceres, pars magna senatus,
Qui laetum celebrent[5], Trebuchovi, almumque hymenaeum,

---

[1] Ioannes, eloquio iurisque peritia clarus, tum castellanus Lendensis et regni Poloniae referendarius (Sobieszczański, Enc. p.).

[2] Videtur esse Martinus, tum palatinus posnaniensis.

[3] In Cornic. „ut".

[4] Petrus Duninus, qui postea magnus regni cancellarius fuit.

[5] Ms. „celebret".

Bugus ubi hinc amnis vitreis pulcherrimus undis,
Inde Muchavicius piceo te gurgite cingit,
Bresci arx, seque diu luctati flumine iungunt
Invito, dum Bugus aquis vix sustinet atris
Misceri, fonti similem servare colorem
Annixus nitidoque altum petere agmine pontum.
Hi venere aliique et quorum nomina versu
Si memorare iuvat laudesque et facta superba
Atque decus gentis, citius quot sidera fulgent
Aetherea numerabo plaga, cumque eurus et omnis
Ventorum vis incubuit neptuniaque arva
Volvit agens undis, surgunt quot in aequore fluctus.
Hos Radivilorum decus ingens[1], famaque gentis
Et caeleste iubar lituanae, gloriaque omnis
Sarmatiae hospitio excepit, quo se Olica iactat,
Quo duce, Nesuisii, primos meruistis honores:
Hospitio et mensa, veteris qua fama Luculli
Vincitur, et quae olim tibi, dux troiane, per altum
Iactato ventis et tempestatibus atris,
Per varios casus Latium et nova regna petenti
Laeta parat Dido augustis convivia tectis.
Milia multa hominum pascit, nec pascere tantum
Contentus: donis onerat laetosque remittit.
Illi caelatus crater gravidusque argento
Et signis scyphus, aethereos huic anulus ignes
Obscurans gemma, est munus, glomeransque ferenti
Incessu gressus sonipes rapidoque relinquens
Post tergum cursu campos, infessus et acer.
Fert alius pelles, arcendae munera brumae
Commoda, quas dives vastis Moschovia silvis
Mittit, et horrentis septem nemora alta trionis,
Et quae longum commemorare et dicere versu.
Quando ita fortunis et censibus uteris amplis,
Illustresque datis opibus moliris honores,

[1] Nicolaus Radziwiłł (Niger), tum cancellarius Lituaniae, palatinus Vilnensis et capitaneus Brestensis. Obi. a. 1565.

Di tibi dent, fiat, quicquid calcaveris, aurum,
Dux Radivile, tibique actutum lydius Hermus
Auriferis praedives aquis, se gurgite toto
Effundat, fulvasque ferens Pactolus harenas,
Quique piam Hesperiam multo Tagus irrigat auro,
Et quae Indos Parthosque beat vasti aurea lympha
Admixtas auro gemmas volventis Hydaspis.
Heroi cur non optemus talia tanto?
    In tua promptus adest, Trebuchovi, gaudia gazae
Ultro quicquid habet larga profundere dextra.
Quid gazae? dulci non parcere et ipse saluti
Sustinet, hoc verbis ultro testatus apertis.
Cum proferre diem taedae suadetur, ut aegrum
Confirmet morbisque afflictum corpus acerbis,
Heros Nestoream dignus superare senectam
Longaque Tithoni vivendo vincere saecla,
„Non mihi“, dixit, „erit si mors properanda diesque
Ultimus et quicunque mei stat terminus aevi,
Absistam coeptis ullam patiarve hymenaeo
Esse moram; non sic veteres Radivilus amicos
Consuevit colere et fictis se prodere rebus“.
Ecquid ames aliud? quid toto pectore poscas?
Quidve aliud maius possit tibi maximus heros
Praestare? ex gaza, si Sarmata proferat omni
Thensauros, non plura queat, non plura necesse est
Largiri, nec mens cupiat sibi plura, nec optet.
Ecce sed ad thalamos cum ventum et[1] fulcra cubilis,
Idem heros Radivilus adest, hincque ore profatur
Facundo, laudes sponsae et decora alta renarrans
Bogusiae gentis meritosque extollit honores.
Et tua[2] maiorum gaudet Theodora suorum

[1] Corn. „est“.

[2] Et tua (sc. Trebuchovi) Theodora. Sed fortasse propter verba „nec se inferiora secutam“ malis ita verba iungere: decora meritosque attollit honores; et tua (sc. decora honoresque): maiorum gaudet Th. cett. Nam eius modi structura, quamquam durior, non adeo abhorret a stilo Royzii.

Clarum audire decus nec se inferiora secutam[1].
Inde bonus fando, quo non facundior alter
Sarmatia in magna est, nec lingua cultior ullus
Hoc aevo fuit, idem prudentissimus unus,
Iusti idem atque boni ac observantissimus aequi,
Cui cordi est pietas et flecti nescia virtus,
Pro te verba facit contra laudesque profatur,
Attollitque tuum dictis decus aethera supra[2].
Interea sol converso petit humida caelo
Aequora et hesperio fessas lavat amne quadrigas,
Noxque ruit terrasque atris amplectitur ulnis,
Et thalamo dulcem veniens dat prima quietem.

[1] Theodora Bogusz (Bohusz) videtur fuisse Lituana ex illa ducum in Obryń stirpe, unde evenit, ut claram suae gentis feminam ipse Radivilus oratione commendaret. Accedit quod Radivilus Niger tum capitaneus Brestensis fuit, Bresti autem nuptiae celebrabantur.

[2] Is videtur fuisse Stanislaus Maciejowski, quem supra poeta v. 135 laudavit.



CARMINA FUNEBRIA.

III.

CARMINA FUNEBRIA.

10.

CARMEN FUNEBRE

in obitu illustris

PETRI GAMRATI[1],

primae sarmaticae sedis episcopi[2].

Quos ego Sarmatiae luctus, quae funera dicam
Digna sat, orbatis magno pastore Polonis?
Gamrato pastore, suis qui cuncta regebat
Consiliis, pietate ingens et fortibus ausis.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Pauperibus patuit semper domus; illius aurum,
Fortunas et opes vestras didicistis, egeni.

---

[1] Petrus Gamrat armorum Sulima favore Bonae reginae ad summos honores evectus est. Factus est a. 1535 premisliensis, a 1537 plocensis, a. 1538 cracoviensis episcopus, denique a. 1540 gnesnensis archiepiscopus. Archiepiscopatum una cum episcopatu cracoviensi praeter solitum tenuit usque ad mortem a. 1545. Conf. v. 66 sq.

[2] Hoc carmen typis editum est Cracoviae mense septembri a. 1545, eiusque editionis exemplar bibliothecae Ossolineae in meum usum vocavi. Epigrammata in fronte et ad calcem editionis collocata in numero minorum carminum vol. II proponam.

Omnia vos inter, potuit quaecumque, profudit
Largior, aque fame inclementi et frigore texit.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Egregia haud passus, si qua elucescere vidit
Ingenia et vulgo maius promittere, tristi
Paupertate premi, latias praemisit ad oras,
Magnus ubi Antenor, classis securus achivae,
Occubat[1], aut parvo Bois ubi moenia Rheno
Neptunus secat et mediam vagus alluit urbem[2].
Divitiis nunquam bonus impensaeque pepercit:
Talibus auxiliis et defensoribus istis
Esse opus in tanto fidei discrimine vidit.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Iustitiae assertor iustisque in litibus acer,
Pauperibus semper fuit et locupletibus idem.
Nil genus hunc iusti aut nummus violator et aequi,
Non importunae lacrimae movere precesve,
Humanas seu quae turbant odia aspera mentes:
Reddi cuique suum voluit, non laedere quemquam;
Vox eius lex viva fuit litisque protervae
Finis, supremo tamquam vox edita caelo.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Eius plena viris magnis domus; omnis ab illa
Sarmatia et vicina colens[3] responsa petebat:
Seu quem sacra Dei dubium ritusve tenerent
Nec bene nota patens caelo via, sive molestae
Invitum lites fora ad importuna trahebant.
Astrorum consultores procul inde profani,
Et qui consultis mendacibus abstinet astris,
Digna piis studia et religione colebat[4].
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Omnia pro Christo, fuerint quaecumque pericla,

---

[1] Patavium.
[2] Bononiam.
[3] Durius substantiva vi usurpatum.
[4] Hi tres ultimi versus mendo quodam laborant.

Forti adiens animo, nihil imperterritus unus
Formidavit, erat si formidabile quicquam;
Ante oculos Christus semper largeque profusus
Pro nobis sanguis et mors infamis in alno.
    Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Totus in hoc, Christo ut fidens Patrique placeret,
Auctori rerum summo; labor illius unus,
Ut iusta populos in religione teneret.
    Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Abstulit hunc inopina malo mors invida morbo.
Nil medicae valuere manus; nil acre Sabini[1]
Ingenium, toties qui morte reduxit ab aegra
Tot colluctantem morbis, iam iamque cadentem.
Heu, cum fata vocant, frustra medicina laborat!
    Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Vos reges, quorum populos pietate verenda
Erudiit, sanctis praefulgens moribus atque
Exemplo vitae insigni, — supra omnia semper
Humana erectus, — caelum monstravit et astra,
Lugete exstinctum. Tua, rex Sismunde, senecta
Sentiat amissa extremae solacia vitae.
Tempus erit quondam, tibi cum lugebis ademptum,
Rex Auguste. Nimis surgentibus utilis annis
Ille fuit, qui, consiliis pulcherrimus auctor,
Rexisset tecum populos et regia sceptra.
    Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Extremum, regina, tuo praestabis honorem
Gamrato, Bona, Sforciadum genus; unus amari
Dignus erat, lacrimis, supremo et dignus honore.
Unam te ante omnes coluit, teque omnibus unam
Praetulit, extremo et dignum se hoc munere fecit.
    Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Gamratum amissum proceres lugete Poloni.
Ornamentum ingens patriae amisistis acerba

---

[1] Conf. Carm. minora; ad Polon. senatores: Ad Gamratum carm. 3.

Ablatum morte et nimium properantibus annis.
Lugete exstinctum, modo qui feliciter unus
Consiliis patriam vobiscum et grandibus ausis
Tutatus dubiis peperit solacia rebus,
Saepeque vos inter, si qua est discordia nata,
Omnia composuit medius litemque diremit.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Et tu, Gnezna, tuas cum durus nuntius aures
Vulnerat, infelix luctum lacrimasque tenebis,
Rectorem amisisse tuum vitaeque magistrum?
Absentem infelix animis et mente requires.
Quem nuper magna laetum tua moenia pompa
Intrantem vidisti inter lituosque tubasque
Exsultantem animis et nil tunc tale timentem,
Exstinctum accipies et iam sine nomine corpus.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Tu quoque, quae vixdum lacrimis exhausta quieras,
Cracovia, Helisabes post flebile funus amatae [1],
Ire iterum in lacrimas et tundere pectora palmis
Cogeris exstincto et longum lugere magistro.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Et te, Roma, caput populorum atque orbis asylum,
Iste dolor tangit; tuus hunc sacer ille senatus
Non raptum ante diem magno olim optaverit emptum,
Cum, crescente malo malefidi labe Luteri,
Sarmatiae, heu nimium, metuet carisque Polonis,
Ne mala vicinae gentis contagia laedant.
Hic etenim magnis contra conatibus ivit
Semper et ultrices ostendit civibus ignes [2];
Reppulit insanos et longe stare coegit
Saxonas et quicquid sceleris fideique profanae est,
Laedere ne incautum possent contagia vulgus.
Illius hoc studium, labor hic, opus illius unum.

---

[1] Quae obiit eodem, quo Gamratus anno die 17 mensis Iunii.
[2] Conf. Górnicki, Dzieje (wyd. Sanockie) pg. 5 sq.

Tantus amor fidei fuerat, quae debita caelo,
Curaque commissi quondam gregis. Illius ergo
Haud unquam timuit duros perferre labores,
Et, si fata ferant, crudeli occumbere morti.
Experiere olim, quantum hoc, tu ecclesia, perdis
Amisso et tu, adoles aris qui tura, sacerdos.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Nec, quos arma iuvant torquesque illustrant et aurum,
Insignes equites, vobis infletus obibit
Optimus antistes, cuius persaepe levati
Auxilio patrios laeti rediistis ad agros:
Composuit vestras lites et iurgia dexter,
Si qua malus limes disiectave signa tulere,
Vestrum erat hospitium domus illius, illius aurum
Vestrum erat et quicquid potuit bonus. Hei mihi, [quantum
Praesidium patria et vos amisistis amici!
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.
Et tu, dilecta ante omnes, Masovia, luctus
Quos dabis infelix, Gamrato orbata patrono,
Una fuit cui cura tuos extollere et alta
In solia evehere ac magnis praeponere rebus!
Mille palatinum ad summos evexit honores
Felix et magni partem dedit esse senatus.
Praefecit templis alios, quos numine tactos
Sacra iuvant bifidamque dedit gestare tiaram.
Regia quicquid habet domus aut ecclesia magnum,
Illud speravere tui laetique tulere.
Heu, nimium dilecta viro Masovia, quantum
Perdis patronum! heu, quantum, Masovia, patrem!
Regina hunc sed tu casum miserata levabis,
Sforciadum genus, atque tuam tutabere gentem [1],
Sentiat amissum ne, quem nunc luget ademptum.
Amisso, infelix, Gamrato, Sarmata, luge.

[1] Possedit enim Bona regina pro dote in Poloniam illata vetera bona ducum Masoviae.

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] maesta magistra
In variis [illegible] domus [illegible] [illegible]
Amissum [illegible] patrem. Miserabile [illegible]
Certius [illegible] [illegible] exstinctaque [illegible] vitae
Commodaque et [illegible] si quos sperastis honores
Amissos [illegible] Gallicia Sarmata [illegible]
Et casum indignum ingenti lacrimare dolore.

11.

HISTORIA FUNEBRIS

in obitu

DIVI SIGISMUNDI

Sarmatiarum regis

et ad Sigismundum Augustum filium admonitio [1].

Ad LECTOREM [2].

Maesta Sigismundo cantatur nenia regi;
Funebrem, lector, hic legis historiam,
Ut moriens terras, homines sceptrumque reliquit,
Atque ima ascendens astra petivit humo.
De vita nonnulla leges, quis scribere plura
Si potui, lector, omnia non potui.

HISTORIA FUNEBRIS.

Quis caelo gemitus flentum? quis luctus ad auras?
Cracovia in magna, cives, quae funera cerno?

---

[1] Textus huius carminis nititur editione a. 1548 Cal. Aug. Cracoviae typis expressa, cuius exemplar bibliotheca Ossolinea mihi suppeditavit. Unum epigramma in fronte et decem ad calcem editionis collocata in aptiorem locum inter carmina minora transtuli.

[2] Haec leguntur in altera primi editionis folii pagina.

Fata Sigismundum regem, crudelia fata,
Invidere orbi et sublatum morte tulere,
Vivere dignum olim[1], terris si fata dedissent.
Rege orbata suo miscentur moenia Gracchi,
Et gravidus lacrimis ingens ferit aethera planctus.
Rege orbata suo caelum Bona questibus implet
Coniux, heu, iam non coniux; spoliata marito,
In viduis plangens stratis, secat unguibus ora,
Ora genasque ambas et rumpit pectora pugnis
Dilaniatque comam, incusans hominesque Deosque:
Et quae non? Caelum nequicquam accusat et astra.
Ingeminant natae planctus, carissima matris
Pignora deliciaeque patris, dum vita manebat.
Amissum patrem tria virginis ora Dianae:
Hinc Sophia, inde sequens aevo, haud virtutibus, Anna,
Ultimus et partus magnae, Catharina, parentis, —
Tres natae lugent lamentisque atria complent.
Ora madent lacrimaeque genis volvuntur obortae,
Luminaque, iratos poterant quae flectere Divos
Quaeque velut stellae vultu emicuere sereno,
Ploratu multo et lacrimarum flumine turgent.
Fama mali tanti paulatim it sparsa per urbes
Sarmaticos et agros, et luctibus omnia miscet.
Purpura lugubri passim mutatur amictu,
Atque pice infectum tyrio pro murice vellus
Succedit, lanaeque rudes atque aspera lina,
Quae nullos soles, quae nulla hausere fluenta.
Gemma procul, procul omnis onyx viridesque smaragdi,
Infractusque adamas et cedere viribus ullis
Nescius, ingeminansque ignes ceu flamma pyropus,
Et fulvo quondam quicquid concluditur auro.
Non digitos vinclo fulgens premit anulus arto,
Non collo torques pendent, textaeve corollae
Flaventes strinxere comas, non vertice cristae
Exsultant conique vagi; non ulla iuventae

[1] Sic interpungitur hoc quidem loco in ipsa editione. Olim i. e. non semel tantum.

Apparent decora: est vultus toto aeger in orbe
Sarmatico, in tanto et facies tristissima luctu.
Flet plebs, flet civis; flet eques; flet et ipse senatus;
Flet regina virum; flet castus praesul ad aras.
Omnia sunt luctus lacrimae undique et undique planctus.
It flentum late caelo illaetabile murmur,
Fletus ubique sonat luctusque auditur ubique.
Ast, Auguste, tuas nondum vox tristis ad aures
Nuntiaque exstincti pervenit fama parentis:
Longinquum te alio Lituania submovet orbe.
Ignorare diu sed te tua vulnera praesul
Haud passus pius, exstincti tibi funera patris
Qui referat, lacrimisque madens aegerque dolore
Vix fatus Samuel[1], cursu iubet ire citato.
Nuntius is maesti fers et solatia casus,
Prerembi[2], primis quem virtus extulit annis
Ante pilos[3] et quae venit prudentia praecox.
Cassum anima multo interea lavat imbre cadaver,
Persolvitque pio regi decora ultima vitae
Praesul, et augusto sacras de more lacernas,
Arte laboratas vestes auroque rigentes
Inducit; sceptrum dextrae, laevae inserit orbem,
Et capiti imponit regnorum insigne coronam,
Accingitque latus, quondam ceu viveret, armis;
Examines artus stimulisque armavit acutis,
Calcem utrumque aptans; divisque in vota vocatis
Aeterna corpus regale recondit in urna.
Tandem, Auguste, tuas percellit nuntius aures;
Iam tua lamentis impletur regia: regem
Rex luges, patrisque absens fles funera natus.
Vilna omnis tecum atque omnis Lituania tecum
In lacrimas it fusa cietque ululatibus auras.

---

[1] Maciejowski, tum episcopus cracoviensis.

[2] Ioannes Przerembski, tum praepositus cracoviensis, qui postea vicecancellarius regni, ad extremum archiepiscopus gnesnensis fuit. (Górnicki, Dzieje; Sanok, 1855, pg. 1).

[3] Sc. praecoces sive canos.

[illegible]

[illegible] Hungarorum reg. [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Sigismundi I. Poloniorum regum.

[illegible]

[illegible]

[illegible] filia, nupta [illegible] Casimiro Jagellonidae, Poloniorum reg.

Albentemque aquilam victo retulisset ab hoste.
Contra si quando rumor malus attulit hostis
Successus vestri, noctes vigilavit amaras
Insomnisque iterum candentem vidit Olympum.
Ergo senem maesti fratres ploretis amicum.
Quin reges omnes, solio qui insiditis alto,
Sanctum flete senem. Quo regia sceptra magistro
Sustentastis adhuc; hic vestris regula regnis
Atque orbi fuit, horrendo seu vertere bello
Hostiles acies sedit, seu regna paterna
Imperio regere et moderari legibus aequis
Perpetua et populos in pace tenere volentes,
Seu promissa fides percussaque foedera quondam
Pacifica servanda manu et rata dicta tuenda
Ore suos sensus parco mentemque resolvit:
Oraclum tamquam caelo venisset ab alto,
Verba senis[1] fuerant nullis obnoxia dictis.
Ancipites lites perplexaque solvere iura
Promptus et ambiguos causis distinguere sensus:
Insons non illo damnatus iudice flevit.
Iustitiae cultor, sed et idem parcere suetus,
Scilicet in veniam proclivior; illius unum
Hoc vitium: in sontes paulo clementior aequo.
Nostra pium magis hoc, vidit nil sanctius aetas.
In terris vixit, superos ceu viveret inter
Caelitibus similis; non ulli noxius unquam,
Utilis at multis. Divum haud neglexit honores,
Multa sed ex secto construxit marmore fana
Servatori hominum, sublimibus edita tectis,
Regis opus; Divis sacras erexit et aras,
Et statuas posuit, — spirantia dixeris aera, —
Turrigerasque bonus, quas hosti opponeret, arces
Eduxit caelo mediisque in nubibus egit.
Iamque dies aderat manes inferre sepulcro
Aeternamque urnae sedem dare et aethere casso[2].

[1] Ed. „sonis".
[2] Scil. regi.

Luna quater caelo caput occultarat honestum
Sancti post obitus regis, redivivaque fulsit
Orbe quater pleno. Tunc nota ad moenia Gracchi
— Rex ubi letum obiens supremaque funera vidit,
Et iacet exanimis multo cantatus honore[1] —
Convenere omnes, heu, maesta ad moenia Gracchi!
Huc populus late circumfluit undique et omnis
Regis ad inferias pullata Polonia venit.
Hic Lituanus adest, hic omnis Russia et armis
Quaesitae gentes devictaque Prussia bello.
Victoris spectare obitus et tristia iusta
Maerentes iuvat et lacrimis decorare sepulcrum
Clementis regis, cuius mitissima semper
Imperia experti, saevi non ora tyranni.
Exanimem lugent, plorant regemque patremque
Amisisse omnes. Tales urbs maesta querelas
Turbaque plangentum fundit, mixtique Polonis
Externi populi gemitus ad sidera iactant.
Multi oratores variis ex partibus orbis
Advenere, ferant cineri qui extrema beato.
Tu Gulielme[2] venis, a magno caesare missus,
Illo fortunae domino bellique potenti,
Illustris Gulielme, dapes cui munus avitum
Augustas praeferre sacrisque imponere mensis,
Pars idem magni arcani et non ultimus aulae
Caesareae, pietas quem tollit et aurea virtus.
Malzanus, Fernande iubes, rex magne Quiritum,
Inferias pro te dilecti regis honoret.
Ad tumulum cari misso oratore parentis
Pannoniae regina[3] suum testata dolorem est.

---

[1] Hi duo versus, in editione crac. uncis inclusi, mendo laborare videntur.

[2] Idem, ni fallor, qui postea a. 1565 (Gu. Russinowsky: Gams, Ser. episc. 298) episcopus Olomucensis factus, etiam Maximiliani caesaris legatus ad Sigismundum Augustum fuit, ut declarat carmen Royzii ad eundem scriptum, infra inter minora propositum.

[3] Isabella Io. Zapoliae coniux.

Et tu Romulei, tu pars, Otho, magna senatus,
Cardineus quem tollit apex, Augustaque[1] iactat
Pontificem, patrum vestigia nota tenentem
Priscorum magnique tuentem iura Quirini,
Deploraturum misisti ad funera Raemum,
Funera regis, erat si quis pius, illius, unus[2]
Qui casta divos in religione colebat,
Nullis inde hominum depulsus viribus olim,
In numerum, dignus, referat quem Roma piorum,
Defunctoque arae meritos decernat honores.
Advenere alii, claris gens regibus orta,
Regales iuvat inferias quos cernere eorum[3].
Non Albertus abest, quo se duce Prussia iactat,
Qui consanguinei deploret funera regis;
Marchio non alter[4], quem Brandemburgia tellus,
Tot victis ducibus, populis tot Marte subactis,
Ingentem Carolo gaudet peperisse triumphum
Subque iugum dextra gentem misisse rebellem.
Landgravius comes huic Leuthenburgaeus adhaesit,
Caesaris arma quoque et victricia signa secutus,
Exsultans nuper media inter proelia victor:
Flet magni regis lacrimis nunc funus obortis.
Dux Venceslaus non iustis defuit istis,
Dux, Tessine, tuus[5], regum generosa propago,
Relliquiae clara veteris de gente Piasti,
Mansuetus, pius et clemens, mitissimus heros,
Esse decet qualem regali a stirpe profectum,
Dignus avo et quondam moderanda ad sceptra vocari.
Cultus ubique dies, matri sacer annuus Annae,

[1] Augusta Vindelicum sive Augsburg. Otho sive Otto Truchses v. Waldburg obi. a. 1573.

[2] Sic in edit.; R. scripsit, ni fallor „Erat, si q. p., ille vir unus".

[3] Górnicki (Dzieje ed. Tur. pg. 11) legatos electorum principumque Germaniae, Italorum ducum reique publ. Venetorum affuisse narrat.

[4] Ioachimus II, qui regnavit aa. 1535—1571.

[5] Venceslaus III. Conf. I, 7, 227.

Fulserat; inferiis dictus maestissimus ille[1],
Ille dies, celsam cum magni regis ad aulam
Turmatim plenisque viis inde itur et inde.
Regia lamentis ululatuque excita tristi
Auditur late, maestique ad sidera cantus
Pontificum coetusque sacri, qui plurimus ante
Stat regem exanimem tecti in penetralibus altis.
Ecce autem, multa hic consumpta parte diei
Flendo torquendo et miseros singultibus artus,
Lugubre regali funus procedit ab aula,
Multi quod populi comitantur et agmina. Late
Stamine strata via est nigranti et vellere pullo.
Pontificum hic ordo multis cum milibus ibat
Presbyterum generisque sacri, lacrimasque canendo
Miscebant hymnis ingrataque funera flebant.
Ante omnes Samuel, Gracchi iustissimus urbis
Antistes[2], Samuel fletu rigat ora profuso,
Regis et annosi fatum ceu plorat acerbum,
Illum ut dilexit quondam, dilectus ab illo.
Turba deinde inopum sequitur; bis mille ferebant
Hinc atque inde faces; nigrans pice visitur agmen:
At flammis superant fulgentis lampada Phoebi.
Hic vexilla sinus pandunt, quae plurima bello
Adsueti praeferre duces et tendere dextra,
Arma olim cum rex inimicum ferret in hostem;
Terdeni gessere viri, lectissima corda,
Triginta post deinde auro vestita feretra[3].
Hic cataphractus[4] eques gravibus circumdatus [armis,
Tarlo, bonus bello et magnis vir strenuus ausis,

[1] Dies a. d. VII Kal. August. Inde patet carmen hoc, Cal. Augustis excusum, intra non totorum quattuor mensium spatium a poeta compositum, quaedam singularia autem sex fere diebus adiecta vel expolita esse.
[2] Samuel Maciejowski, episcopus tum cracoviensis.
[3] Interpunxi, ut aptissimum visum est.
[4] Edit. „cataphrattus".

Dextra ensem verso in terram mucrone ferebat [1].
Pone subit iuvenis, scutum qui portat et hastam
Obverso in terram ferro. Tristissima uterque
Fata Sigismundi signant, — cum vita manebat,
Adsueti non hac specie ferre arma virosque
Surgere in adversos inimicaque fundere castra.
Post hos ibat eques regali indutus amictu,
Ordo quem procerum sequitur magnusque senatus.
Quattuor hic patriae de more insignia regni
Sauromatum primi portant: ille optimus armis,
Ille animisque ingens belloque imperdita virtus,
Tarnovius [2], regni praefert insigne, coronam;
Cmitaque [3] magnanimus sceptrum, fortissimus heros,
Sese ausis tollens et cedere nescius ulli;
Orbem auro gravidum Tencinius [4], ille severus
Ora senex et consiliis non ultimus auctor.
Fert gladium Volscus [5] florens cultusque iuventa.
Triste deinde urbi fertur lacrimabile funus,
Exstincti regis cineres et flebilis urna.
Centum humero obnixi heroes subiere feretrum;
Mille faces circum, quas fert atrata iuventus,
Hinc atque inde micant. Rex hic maestissimus ibat
Augustus, patrisque idem de nomine dictus,
Rore, Sigismundus, sacro dum tingitur infans.
Tristia fata patris lacrimis velut imbre volutis
Ora per atque genas queritur plangitque querendo
Pectoraque assiduis quassat singultibus aegra.
Pone subit Bona, Sforciadum gens indeque natae:
Haec orbata virum, patris illae funus amati
Ingenti lugent planctu lacrimisque sequuntur.

---

[1] Videtur esse idem Paulus Tarło, qui postea clericali ordini adscriptus a. 1561 episcopus Leopolitanus factus est.

[2] Ioannes, supremus Poloniae imperator, cui Magno cognomen fuit.

[3] Petrus Cmita, tum palatinus Cracoviensis.

[4] Stanislaus Tenczyński, tum castellanus Leopoliensis.

[5] Petrus Duninus Woiski arm. Łabędź, postea regni vicecancellarius et episcopus Plocensis.

[illegible] hic condatur et [illegible].
[illegible] urbisque senatus.
Hic [illegible] templa deorum.
Sauromatum [illegible] est ibi condere regum.
Non [illegible] omnes [illegible] nec ingens
[illegible] et [illegible].
Ergo, para templum ingrediuntur, consistere circum
[illegible] magnusque [illegible] cedere pompae.
[illegible] ingens maesti ponere feretrum.
[illegible] cineres. Insignia regni
Quae super imponunt: gladiumque [illegible]que coronamque
Et sceptrum praeterea: hinc cetera et inde feretra.
Hic rex Augustus solio consedit in imo;
Inde [illegible] hinc [illegible] circum populusque patresque
Cum lacrimisque preces fundunt divosque precantur,
Iustam animam caelo accipiant denique aethere sisti
Aeternamque altis agitare in sedibus aevum.
[illegible] omnes: plebs hic populusque patresque fremebant,
Et sacer intactas[1] chorus hic praeibat ad aras.
Pontifices castique omnes ex ordine patres.
Tempus erat tristi cineres inferre sepulcro,
Regales cineres et manes condere terra.
Ingratum tollunt ergo lacrimando[2] feretrum
Sauromatum primi, rex et qua conditur, urnam
Devolvunt fossam demisso fune sub imam.
Hic maior populi fletus maiorque fremitum
Excitur clamor, quasi nunc cecidisset amatus
Sauromatum pater et princeps, non ante perisset,
Cassum anima cum mors frigentem liquerat atrox.
Templum ergo gemitu compleri, omnemque videres
Gracchi urbem fremere et tristes caelo addere voces:
Quales, captiva saevit cum miles in urbe,
Eduntur fremitus ferturque ululatus ad auras[3].

[1] Edit. „ansanctas".

[2] Syllaba ultima correpta ex more posterioris aevi.

[3] Et hac comparationis compendiariae compositione et proximis, qui sequuntur, versibus Vergilium aemulatur.

Vertitur interea caelum et nox incubat atra
Vespereque immisso tenebris involvitur aether.
Postera cum lucem terris aurora reduxit,
It Gracchi maestam funebris pompa per urbem,
Hesterno velut ante die, maestissima pompa.
Lugentesque ferunt vacuum per templa feretrum
Inferiasque canunt regi lugubreque carmen.
Pulsa sonant campana altis in turribus aera
Ingeminantque urbis luctum caelumque remugit,
Et crebris ictus resonat tinnitibus aether.
Pontifices passim faciunt per templa Deorum
Sacra. Leonardus [1] canit hic, Droiovius [2] illic,
Doctrina hic praestans, pietate et moribus ille,
Cultor iustitiae ac observantissimus aequi,
Chelma, tuus praesul, dignus maiore tiara.
Iaducius [3] sacras Annae cantabat ad aras,
Iaducius doctus perplexas solvere lites
Atque foro cohibere homines et lege Quiritum,
Optimus, inferior prisco non ille Lycurgo,
Non Pandionio, celebrat quem fama, Dracone.
Ad Stephani tu, Noscovi [4], quo Plosca beata est
Praesule, nec sentit Samuelem nuper ademptum;
Sic quoque tu mitis, bonus es, mansuetus et aequus.
Virginis ad Mariae dictis Isdbennius [5] acer,
Templorum vindex et religionis avitae,
Sacra canit regique deos exorat amicos.
Ipse Dei ad trini praesul Zebridovius aras [6]
Sacra facit, bonus ingenio linguaque disertus
Et magni praestans inter consulta senatus.
Interea delubra deum funebris obibat

---

[1] Leonardus Słończewski, episcopus Camenecensis aa. 1547—1563.
[2] Ioannes Drohojowski, episcopus Chelmensis 1545—1551.
[3] Ioannes Dziaduski, episcopus Premisliensis 1545—1559.
[4] Andreas Noskowski (Norkowski. Gams, Ser. ep.), episcopus Plocensis 1546—1567. A. 1545 Samuel Maciejowski Plocensem dioecesin reliquit.
[5] Benedictus Izdbiński (Izdbieński), episc. Posnan. aa. 1546—1553.
[6] Andreas Zebrzydowski, tunc episc. Cuiaviensis aa. 1546—1551.

Pompa, precesque orans alto fundebat Olympo
Rex proceresque omnes lacrimisque urbs tota profusis.
Illo templa die cecinerunt flebile carmen
Solis ad occasum solvitque Elegia[1] crinem.
Tertia lux finem inferiis iustisque datura
Fulserat, et caelo steterat sol arduus alto.
Conveniunt ad templa omnes, populusque patresque
Rexque madens lacrimis; huc regia fluxerat omnis.
Sacra facit divosque orat Nicolaus[2] ad aras,
Gnezna, tuus praesul, quem sarmatis ora magistrum
Supremum accepit solioque insidere iussit
Pontifices supra templisque praeesse Deorum.
Defuncto veniam regi pacemque rogabat
Aeternam et nullo perituram tempore vitam.
Surgis tu, Samuel, inter sacra, — magne sacerdos,
Gentis honor patriae et decus immortale tuorum,
Macte pia, Samuel, divum virtute, — toroque,
Unde docere soles populos, exorsus ab alto
Dis dignam regis vitam caeloque renarras:[3]
Quam pius ille bonusque fuit; quam iustus et aequus,
Mitis, mansuetus, quam non iniurius ulli.
Quam belli exosor fuerat, quam pacis amicus;
Denique vivus adhuc supero quam dignus Olympo,
Quem pedibus nunc calcat ovans, aeternaque carpens
Gaudia caelestes inter stat in arce volucres.
Luce refers illa, victo qua Christus ab Orco
Surrexit, vitae defunctum munere regem
Et comitem Christi terras liquisse iacentes.
Inde cies lacrimas, cum mortem et funera narras,
Laetitiam hinc, caeli memoras cum gaudia laeta.
Sacri finis erat, patri et missa hostia magno.
Hic cataphractus[4] eques — talem sollemnia regum

---

[1] Conf. Ovid. Amor. III, 9, 3, ubi nonnulli viri docti legunt „Elegeïa".

[2] Nicolaus Dzierzgowski, aa. 1546—1559 archiepiscopus Gnesnen.

[3] Oravit tum Maciejowski latine tam diserte, ut lacrimas audientium exciverit (Górnicki, Dzieje, ed. Tur. pg. 11).

[4] Edit. „cataphrattus", ut supra.

Iusta ferunt finem — magno cadit ante feretrum
Impete: fusus humi praesentat funera regis;
Inde bonus galeam gentis de more paternam
Augustus iacit ante aras iaciendoque plangit
Extremos obitus et cari funera patris.
Scutum hic in terram, gladium iacit ille coruscum,
Longam alius magnis infringit viribus hastam,
Tela, quibus quondam medios tendebat in hostes
Marte Sigismundus felix et maximus armis.
Hic mox deinde sudes[1] aulae fregere magistri,
Imperio velut amisso: non ordine certo
Ire iubere homines famulasque incedere turbas
Dein fore ius illis. Simul hic et publica signa
Franguntur ferroque exscissa recedit imago
Regalis gemmae, qua rex mandata solebat
Signare et penitus subiectas cudere ceras.
Hic rex, restituens tamquam retro omnia, regni
Vexillum imprimis, quod summa infigitur hasta,
Extollit terra mediasque extendit in auras
Victores signans superesse et robora belli,
Signa olim et possint qui inferre, et tendere dextra
Fortiter, et patriis depellere finibus hostem.
Sustulit et sceptrum regnique insignia terra
Cetera, quae dextra patribus dein porrigit ultro,
In se stare situm signans tibi, Sarmata, regnum,
Patre Sigismundo non interiisse perempto.
Restat adhuc alter, solio qui insidat in alto
Et populos posthac moderetur legibus aequis.
Atque alia hic regni profert rex publica signa.
Porrexit magno Samueli haec, illa fideli
Dat Grabiae, vice qui Samuelis munus obiret[2];
Inde sudes alias aulae retulere magistri.
Hic finem accepit regis lacrimabile funus

---

[1] Scipiones sive clavos (buławy).

[2] Erat enim S. Maciejowski tum cancellarius, Nicolaus Grabia vicecancellarius regni.

Tristesque inferiae. Flentes sua quisque petebant,
Ille urbem, iustis repedat rus ille peractis,
Maesti omnes, tristi volventes pectore curas
Rege Sigismundo populorum patre perempto.
Sed superas, Auguste, patrisque et regis imago,
Rex natusque idem, sceptrique et nominis heres.
Te desiderium regnando exstinguere patris
Convenit et meminisse olim virtutis avitae.
Ne te paeniteat nostrum percurrere carmen,
Qualiacunque fero vatemque audire monentem.
Verum semper ama iustis monitoribus aequus,
Solis claude tuas assentatoribus aures;
Pestis enim regum et certa et letale venenum
Blandus adulator. Vita suspectaque verba
Semper habe lita melle: latent aconita sub illis.
Aspera saepe iuvant; aures, Auguste, patentes
Consiliis praebe: non byssus et aurea torques
Commendent tibi dicta, micans vel in indice gemma.
Saepe etenim sapit et vulgus, nec inutile suasit,
In tenui tolerat qui iras aquilonis amictu.
Ergo tuae quae sunt partes, Auguste, memento,
Atque animum regno moderando intende paterno.
Prima tibi fidei sit cura, sit altera legum,
Tertia militiae: divos sic ipse faventes
Sauromatasque tuos pace experieris et armis, —
Armatusque tuas aquilas trepidaverit hostis.
Omnia succedent casusque evaseris omnes
Fortunae, quicunque manent, Dis usus amicis.
Macte animis ergo, rex, res accingere ad istas.
Religio neglecta vides ut sacra Deique
Omnis honor iacet, ut squalent altaria multo
Plena situ caelique decus morituraque nunquam
Gloria Divorum veteres iam nescit honores.
Quisque suos imus[1] in ritus; non sua vulgus

[1] Produxit in arsi syllabam „— us“.

Dogmata confingit, colit hic, quod despicit ille;
Ille suos trahit, ille suos. Diversa secuti
Scindimur, et Christum non iisdem legibus unum
Diversi accipimus. Variisque erroribus acti
Damnamus, laudamus: amat sua vulgus et errat.
Nulla sacerdoti reverentia; non metus ullus
Pontificem agnoscit. Qua quisque libidine raptus
Fertur, it huc praeceps impuneque sacra fatigat,
Devotusque olim credit ludibria diras.
Redde Deo meritos, quos abstulit error, honores,
Dissectaeque urbes turbant et mobile saeclum.
Quale decus templis, cum Petrus Bariona[1] quondam
Cum sociis, raptusque astris clarae incola Tarsi
Commissos Christi populos in pace regebant:
Tale, Auguste, tui videant te rege Poloni.
Non, tua pontificum partes manus occupet, opto,
Crudeles in te Divum ne exciveris iras,
Ausus ut Oza olim labentem fervidus arcam
Adtrectare manu et sese immiscere negatis:
Non tibi, non, o rex, veniat tam dira cupido[2].
Iustum quin potius clipeo tuearis et armis
Pontificem; templis morem sine ponat et aris,
Ille voluntatem Divorum edisserat, ille
Affultus caelo discernat sacra profanis.
Illud cum populo patribusque, Auguste, sequaris,
Quod sanctum vocat hic; quod non, hoc crede profanum.
Pontificis ius est ritus indicere templis,
Tutari tibi[3], contemptum nec ferre sacrorum.
Pontificis spernit qui mitia iussa, furentem
Vindicis ille manum regis formidet et iram.
Qui temnit patrem caeliqui erebique potentem,
Cui sedes aperire datum est et claudere Divum,
Atque leves animas in ditia mittere regna,

[1] Cognomen sti. Petri apostoli.
[2] Conf. Verg. Aen. VI, 873.
[3] Sc. ius est.

Arbitriisque suis inferre potentibus aethrae:
Solvere cui quondam ius est et nectere vincla
Aeternis nullo solvendis robore nodis:
Denique cui caelum domino, cui tartara parent
Humana non vi, sed voce iubentis Iesu:
Hunc qui contemnunt et iussa capessere mussant,
Ausi quin etiam cervicem attollere contra,
Castiga poenisque aspris[1] et lege coerce.
Iura Dei tutare, tuos sons imbuat enses.
Hoc incumbe in opus, Dis rex uteris amicis.

Proxima iustitiae cura est. Quae maxima cura
Sit tua, rex. Etenim regno quid pulchrius illo,
Fert ubi quisque suum? non hic rapit illius, ille
Non rapit huius opes, rebus contentus avitis
Et iustis parto studiis; ubi laedere quemquam
Grande nefas, ferroque manus armare nocenti
In caput alterius struere aut peioribus ausis
Insidias et fraude malos meditarier astus
Invisum; populus patres ubi pronus honorat,
Plebs civem, regemque omnes; ubi vincit honestum
Commoda, turpis ubi lucri damnata cupido est;
Crimen ubi fraudi est et habet sua praemia virtus,
Et dignos manet altus honos sontesque severum
Supplicium poenaeque graves et tristia fata,
Nec spes ulla datur leges violare precando
Sordibus aut meritas pretioque evadere poenas.
Non minus hic, humeros onerat qui torquibus aureis
Ostentatque suos et imagine gaudet avorum,
Sons horret fasces et turbida iudicis ora,
Quam pauper, presso et terram qui versat aratro,
Assuetus vitam duro tolerare labore.
Iustitiae hoc studium praestat iurisque severi;
Hoc incumbe in opus, rex, haec tua proxima cura est.

Rex datus es populis, multis rex urbibus unus.
Intentas in te mentes atque ora tenere

[1] Verg. Aen. II, 379.

Crede omnes, te ut[1] spes cunctorum est omnis in uno.
Dives opes gazamque suam, sua pauper et ipse
Te custode tenet foribus securus apertis,
Necquicquamque manum plebs extimet aegra potentum.
Vim quicumque dolosve malos aut cetera passi
Damna viri, a te, rex, non a latrone reposcant.
Cunctorum tutela tua est, tua gloria pax est;
Fraus omnis scelus et, quodcunque impune patratur,
Culpa tua est. Quae non castigat crimina princeps,
Esse facit sua. Non solos delicta nocentes
Distringunt, tangit pars maxima sceptra tenentem.
Nimirum, ulcisci deses quae neglegit ille,
Dicere fas erit haec illo commissa patrono.
Ergo datas regni dum rex moderaris habenas,
Pacis amans, urge vinclis et carcere sontes,
Et maiora audens ferro delicta coerce.
Agricola ut quondam manibus sata sedulus inter
Luxurians lolium nocuasque eruncat avenas,
Ne laetae noceant segeti, neu noxia terrae
Surgentes campis et tristia farra relinquant[2], —
Liventemque unco detruncat vitibus uvam,
Ne trahat attactu vindemia cetera labem:
Sic tu, rex, mediis homines ex urbibus arce,
Otia qui turbant, qui caedibus omnia miscent,
Et gaudent damnis pacemque odere nocentes.
Iuris item studium et veterum lege scita sophorum.
Nec[3] grave sit cognosse, quibus tua regna iuvari
Experiare olim multaque increscere pace.
Romuleam ut iustis fundaret legibus urbem,
Ad fortes quondam misit Romanus Achivos,
Florentes studiis populos et pace potentes,
Unde suis peterent leges atque inclita iura.

---

[1] Potius „et". Nam illud „ut" vi comparativa vix recte explicari potest.

[2] Reminisci videtur hoc loco Vergili Georgic. l. I vv. 69, 154 sq.

[3] Elegantius „neu". Conf. v. 523.

Ne te paeniteat magnorum exempla Quiritum,
Rex Auguste, sequi; leges si forsan avitas
Non satis esse tuis populis regnoque videbis,
Eia age, quid dubitas romani oracula iuris
Addere sarmaticis, grais quae ex urbibus olim
Adiecere suis concordes iura Quirites?
Haec eadem te rege ferant, Auguste, Poloni,
Gens studiis similis. Si bello Sarmata gaudet,
Bellatrix quoque Roma fuit, gens scilicet ipso
Marte sata et magni dominator Romulus orbis.
Italia has leges patriis adiunxit et omnis
Gallia pacis amans; has fortis Iberia servat:
Litore qui extremo solem videre cadentem,
Has multi tenuere homines, pars maxima mundi,
Se quondam experti non commoda parva secuta.
Nec vanum audieris tendentem rhetora[1] contra
Nescio quem, sacros ausum violare Quirites
Sanctaque romani damnare volumina iuris:
Scilicet ille alio calamos convertat et oestrum
Ignarus, qua stet melius respublica lege.
Ultima militiae cura est post sacra deorum
Iustitiamque aequis servatam legibus. Unum
Hoc tibi restat opus, studiis haerebis in istis.
Cernis ut infenso sedeas circumdatus hoste
Hinc atque inde. Vides odia undique et undique bellum.
Ferro opus est animisque et docta in vulnera dextra.
Otia tolle tuis, acuas ad proelia pubem
Exerceque armis, madidaeque relinquere mensae
Cogo tuos studium; iamque inde polona iuventus
Bellum amet et sumptis concurrere gaudeat armis.
Turpe putet vinci, pulchrumque occumbere morti
Pro patria ducat vitam et pro laude pacisci,

[1] Tangi hoc nomine a Royzio suspicor Stanislaum Orzechowski, quem paulo ante in oratione funebri Sigismundi I memoriae dicata vehementius in Royzium invectum esse, quod esset inter auctores iuris romani in Poloniam introducendi, recte vidit Ossoliński (Wiad. kryt. hist. II, pg. 161 sq. et 204).

Pulsandumque manu discat non moenibus hostem.
Hoc opus, hunc, Auguste, tuum cognosce laborem.
Non hic te studiis Graiorum accendere et armis,
Non acrem Poenum aut fortes memorabo Quirites;
Sat pater unus erit, cuius nunc funera flemus.
Ipse tibi fuerit centum pro milibus unus,
Cuius et interitu, nisi tu succurres et audes,
Optima Sarmatiae interiit pars. Ergo parentem
Macte animis, Auguste, refer; tibi fortia facta
Magni imitanda patris. Non nudi nominis heres,
Non regni datus es; tibi pax, tibi bella colenda,
Religio tibi, quis studiis clarissimus unus
Ante omnes reges fuerat pater. Illum age genti
Reddas. Sic regna, revocatum ut dicat ab astris
Sarmata, nunc tristis luget quem luce carentem.
Quique illo miserum plangens se clamat adempto,
Se fortunatum dicat te rege Polonus.

12.

NENIA.

In funere

SAMUELIS MACEOVII,

Cracoviensium episcopi atque summi in Polonia cancellarii [1].

Ad

STANISLAUM MACEOVIUM [2],

castellanum Voinicensem et praefectum augustalem [3].

Romuleos fueram qui cantaturus honores,
Nam spes puniceus certa galerus erat [4],
Stanislae, — volunt quantum sibi fata licere,
Ferreque quid nobis non valet una dies! —
Ecce cano exstincti funus Samuelis et, eheu,
Nenia [5] pro laetis tristia condo modis.
Di, iustas audite preces: quicumque peremit
Gaudia nostra, manus adferat ille sibi [6].

---

[1] Textus huius carminis repetit textum editionis primae, quae prodiit Cracoviae a. 1550 mense novemb. Usus sum exemplari huius editionis in bibliotheca Ossolinea asservato. Epigrammata ad calcem exarata inter minora Roysii carmina dedi.

[2] fratrem defuncti, oratorem et poetam.

[3] Erat enim tum mareschalcus aulae Barbarae reginae.

[4] purpureum capitis tegumen cardinalisque romani dignitatem Samueli destinatam tangit.

[5] Nenium genere neutro latini scriptores non usurpabant.

[6] Sequitur quandam suspicionem de Samuele dolo interempto quae etiam apud alios scriptores huius temporis occurrit.

NENIA.

Ergo iaces, Samuel, aeterno et lumina somno
Ante diem claudis? Letoque ablatus acerbo
Sarmaticas lacrimis comples et luctibus urbes!
Non tibi fatidici cecinerunt talia vates;
Hei mihi, non raptum terris speravimus olim
Tam cito te gentique tuae. Cadis, optime praesul,
Et tecum bona multa cadunt. Non[1] sentiat olim
Cara utinam quantum te patria perdit adempto!
Sentiet at magnoque gemens optaverit emptum,
Haud tantum amisisse virum. Praesentia tangunt
Et quos fata minus, iam iam ventura docebit
Flere dies, meritos defuncto et reddere luctus
Et gravidos lacrimis oculos attollere caelo,
Amissum gemitu quaerentes aethere in alto
Insignem factis Samuelem, nomine terras,
Nomine qui caeli tractus et sidera complet.
    Fama ingens praesul rebusque ingentior ipsis,
Ille polos magnum et pedibus iam pulsat Olympum,
Concilio in medio Divorum et coetibus astans,
Inter caelicolasque unus sua gaudia coram
Aspicit aligerumque choro se lucidus infert,
Digna ferens olim ducta sine crimine vita.
Nos miseri amissum flemus, longo ilia planctu
Cordaque singultu quatientes, tristia corda,
Pectoreque afflicti suspiria ducimus aegro,
Si liceat tristi manes excire sepulcro
Atque animam rursus gelidis infundere membris:
Nequicquam caeli revocatam optamus ab axe.
Parce, pio, Samuel, luctu; iuvat ora rigare
Humentesque sinus crebris quatere usque querelis
Solamenque mali lugendo quaerere tanti.
Anne iubes oculis quemque tua funera siccis

[1] Rectius „ne".

Discere, cui nomenque tuum et tua cognita virtus?
Prima tibi lacrimas debet domus orba perennes
Persolvitque sacro cineri; iuvenesque virique
Certatimque omnes replent plangoribus aedes,
Miscentes vario late tota atria fletu.
Amisisse negant dominum: amisisse parentem
Voce fremunt una lacrimisque per ora volutis
Ploratu ingeminant largo manesque fatigant,
Saepe suum frustra Samuelem voce vocantes.
Fortunas cecidisse suas Samuele perempto
Ingemit hic, spes ille suas et debita longis
Obsequiis decora et quos iam meruisset honores.
Et modo qui summis fuerat iam proximus aris,
Submotus procul, inde aeger lugetque doletque
Atque, alium longe cernens propiora tenentem,
Triste canit: fuimus quondam, spes irrita nostra est;
Sperati nobis olim valeatis honores.
Flebis, Hosi, tamen, heu, disces ubi funus amici,
Casum infelicem, quamquam tua dextera prensat
Sacra pedum [1], sortisque tibi melioris abunde est;
Coget amor lacrimas largosque profundere fletus.
Nec te, quin venias properans, tua Culma tenebit,
Et „salve“ cineri dicas et tristibus umbris,
Aeternumque „vale“ relegens vestigia retro [2].
Quid consanguineos memorem? Quos nocte dieque
Perpetui exercent luctus, dum tristis imago
Vertitur ante oculos quondam Samuelis amati.
Flent fratres carumque caput soror omne ululatu
Tectum implet; longum responsant iude nepotes,
Et domus hinc omnis locuplesque ex stirpe propago,
Magnorum quibus ille fuit fons largus honorum.
Quid vos o dicam, colitis qui moenia Gracchi
Et quorum circum villarum culmina cerno?
Istula surgentes qua stringit flumine ripas,

[1] Inde ab. a. 1549 Stanislaus Hosius erat episcopus Culmensis.
[2] Antiquum Romanorum morem tangit. Conf. Verg. Aen. II, 644; VI, 224; XI, 97 sq.

Flete viri: fatis nobis ereptus iniquis
Antistes cecidit vester, quo iusta magistro
Divorum sacra turicremas tenuistis ad aras.
Ille docens vita populis monstrabat et ore
Caelestes iter ad sedes et regna superna.
Semita non illo duce vos monstrata fefellit,
Deceptosve novis tot religionibus error
Transversos egit; — quae fana per omnia late
Nunc saevit pestis populatque altaria Divum,
Crimen, Saxo, tuum caecique audacia saecli
Grande nefas ausi, quod nulla aboleverit aetas.
Haec sibi commissos ne tantae semina labis
Corrumpant populos, quantis conatibus egit,
Ingenti accensus Samuel pietatis amore?
Vidi equidem mensis illum dapibusque relictis,
Si quis erat, nova religio quem forte tenebat
Deceptum, magno dicentem plurima contra
Ingenio studioque acri, multisque morantem
Oblitum dapium sublatis surgere mensis.

Heu quantum vos, qui Divis adoletis honores
Sacratos caeloque Deos accersitis alto
In sacra, vos, eheu, quantum Samuele perempto
Amisistis! Opes fluxas aequataque cerno
Vestra solo, multis steterant quae Pergama saeclis.
Tuque pater Tiberine, — sacri quem numinis instar
Praefectum terris sceptrum dat habere Deorum
Roma potens, cuius nutu stant cardine valvae
Caelorum immotae, iussusque aperitur Olympus,
Saevaque tergeminus pandit sua Cerberus ora,
Disque pater Pluton, erebi regnator opaci,
Accitus stygio in terras erumpat ab orco
Tisiphoneque comes, centum caput apta colubris,
Eumenidesque aliae et monstris fecunda Megaera, —
Pontifice, heu, quantum defuncto hoc perdis, Iule![1]
Ille sacras humeris, quondam dum vita manebat,

[1] Iulium III pontificem maximum (1550—1555) his ex Aeneide petitis nominibus designat.

Sustentavit opes maiestatemque Quiritum.
Romula non illo deserta superstite sedes,
Illaesus permansit honos soliumque superbum
Immotum stetit et patrum decora alta priorum,
Submisitque volens magno caput Istula Thybri.
Audiet haec absens lacrimasque tenebit Iulus?
Sed nos Sauromatum fletus gemitusque tuorum,
Magne, vocant, Samuel, pars carminis ultima nostri.
Cerno etenim magnum Augusto cum rege senatum
Effusos lacrimis et pulla veste recinctos.
Flent immaturos obitus properataque fata
Indignumque nefas et cari funus amici.
Flent omnes: tua, Tarnovi, sed lumina cerno
Uda magis raucoque sonantes gutture questus,
Tarnovi, tu, o Tarnovi, clarissime gentis
Sauromatum, cara ante alios cui publica res est.
Cmitaque magnanimus, studiis accensus eisdem,
Dat lacrimas, magno et victus lavat ora dolore,
Cmita bonus patriae et non infitiandus alumnus.
Ablatum terris Samuelem luget uterque
Largius et magnum gemitu testatur amorem.
Nec tu luminibus spectas haec funera siccis,
Rex Auguste: genis lacrimae volvuntur obortae
Et maior pectus premit, heu, dolor imaque pulsat
Corda gravesque animo stimulos defigit in alto.
Incertum, plus te Samuelis casus amati,
Rex, moveat tanta et scelerati iniuria leti,
Est an quod caritura viro tua regia tanto,
Cuius ope adiutus levius data sceptra tulisti
Consultisque olim magnum tua corda levamen
Senserunt cecidere graves et pectore curae:
Crevit honor regni et bene gestis gloria rebus.
Quid, cum oratores variis e partibus orbis
Venerunt? misit si quem tibi maximus armis
Invictusque manu caesar[1] fraterve Quirinus[2],

[1] Carolus V.
[2] Ferdinandus, rex Romanorum.

Siccat adhuc lacrimans qui amissa lumina nata[1],
Quae magno luctuque tuo luctuque tuorum
Augustum nuper viduavit rapta cubile;
Sive bis Henricus[2] superatis liliger altis
Alpibus[3] orantes misit tua regna revisens;
Aut pater ille hominum terraeque suprema potestas,
Omnipotens laxas cui Roma dat orbis habenas,
Forte galeratis misit de patribus unum,
Iras exacuat qui religionis in hostem,
Et ferrum exposcat vindex saevasque secures.
Quae responsa iubes, quae vis tua dicta reportent,
Addiscens aure admota paulumque moratus,
Attollensque oculos terra frontemque decoram,
Ut sua facundus Samuel tunc ora resolvit!
Lacteus et placido fluxit de pectore sermo.
Quid memorem, quantus Samuel, cum iura petenti
Reddebas populo? caecas discussit ut ille
Perplexasque fori causas et iurgia dexter,
Certa nec in dubiis latuit sententia rebus!
Cuique suum tribuens aequum discrevit iniquo.
Non illum lacrimae, non illum casus amici,
Non ullae flexere preces, nec profuit ulli
Auro onerare manus et grandia iungere dona.
Non illo tristis discessit iudice pauper
Aut iustas fudit lacrimas; non stemmata quemque
Aut proavi iuvere genus vel ab aethere ductum.
Et qui ex matre recens in vili vagiit alga,
Iura tulit sua; nec fors est diversa secuta
Ima ex plebe virum, tumidum quam rebus avitis,
Attollentem animos et grandia verba sonantem.
Hunc tantum amisisse virum, rex inclite, luges.
Auget et, heu, luctum, quod nec similemve paremve

---

[1] Elisabe, quae coniux Sigismundi Augusti obiit a. 1545.

[2] Henricus II Francogallorum rex (1547 - 1559), qui gentilicium Valesiorum insigne, tria lilia, gestabat.

[3] Expeditionem ab Henrico in Italiam susceptam tangit (ante a. 1550?).

Milia tot possis inter reperire tuorum.
O, quis succedet Samueli, dignus haberi
Non par, non similis, sed qui vestigia servet
Proximus et magno vel proximus intervallo?[1]
Saepe agites tecum tacito et, rex, pectore volvas
Saepe tuo, reputans, quem pro Samuele Deorum
Des templis, quemve accipiat tua curia dignum,
Dignum pontifici quondam succedere tanto.
Saepe agites tecum licet et, rex, corde revolvas
Saepe tuo, tibi non Samuel succurrerit alter.
Illa viri quae maiestas frontisque serenae
Qui decor! emicuit quae in laeto gratia vultu,
Oris honos pulchro et se effundens pectore virtus!
Unus erat, sacra quem tenuere altaria dignum;
Is potis irato prece flectere Numina caelo
Et plena Divos venerari solus acerra.
Irreprehensus erat, non culpae obnoxius ulli,
Sobrius, haud largo gaudens vinosus Iaccho;
Consiliis agitans prudens, quaecumque gerenda,
Non levis aut praeceps, non illo ornatior alter
Sarmatia in magna, coluit seu numina Divum,
Sive hominum pulchros studiis quaesivit honores.
Sacra Deo statuit solido de marmore templa,
Parva solo patriae qua surgunt moenia Chodlae.
Non Gracchi procul urbe ingens, augusta, superba
Stat domus, urbis honos, rapidas Pradnicis ad undas:[2]
Huc sese rebus defunctus ferre solebat,
Hic aegrum curis pectus solvebat amaris.
Non, heu, tam celeres Parcarum currere fusos
Credidit aut urgere diem data fata supremum,
Prima domus laetus cum fundamenta locaret.
Nec tamen oblitus fati vitaeque caducae,
Iam mausoleum coeptum pulchrumque sacellum
Nunc, olim moriens ubi conderet ossa, parabat.

---

[1] Respicit fortasse Ciceronis Orat. cap. 3.
[2] Conf. Górnicki, Dworzanin p. (Tur.) str. 10 n.

Ast illum properans opera inter prima tulit mors.
Cetera quid memorem? quibus o virtutibus ille
Aeterno dignum in terris se nomine fecit!
Casta viri domus et vetitis obnoxia nullis
Sponda libidinibus delibatumve cubile.
Hospitio indulsit, succurrere largus egenis,
Esse suum munus credens ope quemque iuvare,
Magna viri in doctos multumque profusa voluntas[1],
Larga manus loculis in munera semper apertis.
Illo religio non ignorata magistro est;
Pectora gestabat non ille immitia saevus
Pulsavitve manu aut tristes exarsit in iras.
Exosus lites, pacem captavit amicam
Abstinuitque manus alieno iustus ab auro;
Non avidus raptorve, volens sua cuique reliquit.
Sanctus erat, lucris gaudens haud turpibus ullis[2].
Talem, rex, templis, talem quaesiveris aris
Pontificem, talem Divum sacraria poscunt.
Talis erat Samuel, talem te poscimus omnes.
Qualem si dederis templis, Auguste, Deorum,
Nostra tuos olim Clio cantabit honores,
Perpetuoque tuum servabunt carmina nomen.

---

[1] Ipse Royzius se eius liberalem animum saepius expertum esse multis locis testatur.

[2] Laudes Samuelis Maciovi saepius apud Royzium occurrunt.

13.

CARMEN FUNEBRE

in obitu

IOANNIS, Comitis TARNOVII.

Ad

IOANNEM CHRISTOPHORUM, filium

Comitem Tarnovium [1].

Occidit ille pater patriae, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior et armis,
Tarnovius. Flet Tarnovio bonus omnis adempto
Sarmata, quem patriae accepto nunc vulnere tanto
Tangit amor. Rex Rudniacis [2] Augustus in altis
Venatu indulgens silvis, venabula dextra

---

[1] Carmen hoc una cum novem epitaphiis (1, 2, 3, 4, 6, 7, 8, 9 10) carmini adiunctis tribus libris nititur: a) editione a. 1561 Cracoviae per Lazarum Andreae impressa, cuius paginae primae frons titulum cum loci, anni et officinae nota, tergum gentilicium Tarnovii insigne, ultima pagina ipsius Tarnovi defuncti imaginem depictam exhibet; b) libro msto. Cornicensi pg. 328—335; c) libro msto. Ossolineo pg. 244—254. In editione Crac. desideratur epigramma 5, quod exstat in libris mstis., in quibus decem epigrammata leguntur. Epigrammata haec inter minora R. carmina repetam. — De ipsa morte conf. Bibl. ord. Krasiń. 1868 Kron. pg. 7.

[2] Editio Cracov. exhibet perperam: „Rudviacis". In pago Rudniki, quattuor milliariorum nostrorum spatio ab urbe Vilna remoti, erant inter ingentes silvas aedes regiae, in quibus Augustus venationibus deditus habitabat.

Lata gerens, ursamque premens iam comminus hasta,
Continuit, tristis venit hic ut nuntius, ictum:
Dilapsamque feram cursu nemus abdidit altum.
Maestus equi hic rex Augustus compressit habenas,
Ora genasque rigat lacrimis, et talia fatur:
O Dii vestra olim quo crimine numina laesi?
Turbastis gemino nuper me funere; matre
Amissa nondum siccavimus ora, sororis
Ad tristes ecce inferias et iusta vocamur.
Pannonia hanc, cuius fasces et sceptra tenebat,
Illam omnis mecum Barium flet et Itala tellus[1].
Non satis hic maeroris erat? Sat regia luctus
Pertulit et pullo testata est funera amictu.
Incolumi potui praedura haec ferre senatu
Fata meo: cecidit nostrae lectissimus huius
Gentis honor, primus, pars ordinis optima sacri:
Andreas Zebridovius[2], quo fortius aras
Defendit nemo latias. Nec fata moratus
Debita[3] Tencinius[4] terrasque hominesque reliquit,
Tencinius gratus populo, ad pacemque tuendam
Natus homo. Et, modico post tempore, funere acerbo
Sublatus, sumptis obiit Mielecius[5] armis,
Strenuus, insignis populorum rector et aulae.
Extremos obitus horum prope tempore in uno
Accepi, luctu testatus funera amaro
Illorum properata nimis; nunc nuntius aures
Ecce meas pulsat gravior: cecidisse supremum
Sarmatiae decus accipimus, terrisque relictis

---

[1] Bona regina obiit a. 1557 Barii in Italia, Izabella soror, Ioannis Zapoliae, Hungarorum regis, uxor, paullo post inter a. 1558 et 1560 decessit.

[2] episcopus Cracoviensis obi. a. 1560.

[3] Uterque liber mstus, perperam exhibet: „dedita".

[4] Andreas, palatinus Lublinensis obi. a. 1561 (Niesiecki).

[5] Ioannes armorum Gryf, palatinus Podoliae et magnus regni mareschalcus, clarus laude bellica imperator, obi. a. 1561 sepultusque est in urbe Mielec.

Aethereas repetisse domos stellantis Olympi,
Tarnovium nostrum, quo regnum sospite sospes
Semper erat, quod consiliis rexitque tulitque
Tanquam humeris, similis, caeli qui sustinet axem,
Atlantis duri. Quod diris Hannibal Afris,
Scipio Romanis, nostrae Tarnovius heros
Sarmatiae fuit. Hic ductu[1] conterruit hostes,
Signa referre domum pacemque orare coegit.
Seu Moschus vastis late se fudit in arvis,
Attollens animos caelo fandoque superba
Imperia exercens, seu fortis bella Valachus
Molitur castrisque admotis turbidus instat,
Ausus agros subito populari milite nostros:
Nomine Tarnovii audito se in castra recepit.
Hic ad Obertinum[2] se victum et Marte subactum
Haudquaquam oblitus plenisque cadavera campis,
Ille memor, Starodubeas[3] ut caesus ad arces
Sanguine multa suo foedarit iugera fuso[4].
Nec Scytha, promptus equo pharetraque arcuque timendus,
Bella fuga meditans, aversis noxius armis,
Tarnovium metuens sua contulit agmina praeceps,
Ausus victrices acies excire polonas.
Tarnovii dolor amissi non te, inclite tantum
Rex tangit: totum tangit dolor iste senatum,
Cuius erat post te princeps, seu bella gerenda,
Seu pax alma animis, rerum pulcherrima, sedit,
Et placuit bello duroque absistere ferro..
Qualis erat Fabius Romanis, Scipiove[5] olim,
Invictusque armis et cedere nescius ulli,
Troiani pestis populi, generosus Achilles,
Qualis erat Nestor, qualis facundus Ulixes[6],

[1] Sic in omnibus libris.
[2] A. 1531.
[3] Uterque liber mstus.: „Staradubaeas".
[4] A. 1535.
[5] Edit. Crac.: „Scipione".
[6] libri: „Ulisses".

Et quicquid fando collaudat Graecia dives,
Talis erat patriaeque suae populoque polono
Tarnovius, quem trux terris nunc eripuit mors.
Flent illum proceres, quibus arma et martia bella
Sunt cordi et dirum depellere finibus hostem,
Fletque illo assuetus quondam duce vincere miles.
Vosque illum imprimis, magni pars prima senatus,
Pontifices lugete pii. Vestra ille secutus
Arbitria, haud dubius latiae pietatis alumnus
Cultorque antiquae fidei, quam Bariona Petrus,
Exiguae dominus cymbae, monstrante magistro,
Romanam docuitque urbem populosque fateri.
Oderat idem animis nostri nova dogmata saecli,
Quae vulgus sibi fingit iners plebsque inscia veri,
Inconstans, non semper idem consueta probare.
Quae nunc vela noto saevisque aquilonibus inflat,
Nunc euro zephyrisque, maris passura procellas
Et grave naufragium Scyllae rabidaeque Charybdis,
Consilii nisi forsan inops resipiscat ovileque
Agnoscens latium caulis se reddat avitis.
Pro Christo quas aethereo delapsus Olympo
Nunc servat Pius[1] omnipotens, terraque marique
Maximus, infernis qui legem figere regnis
Et stygiae dare iura potest veneranda paludi,
Stellantique polo manes immittere sacros,
Immersos tenebris et caeco carcere clausos,
Ad laetas revocans sedes et amoena vireta
Caelicolum, felix nullis ubi degitur aevum
Conclusum metis et nescia laedere vita.
Quas fundes lacrimas, gentis supreme polonae
Prerembi[2] antistes, rerum cui summa sacrarum
Credita Sarmatia in magna est: lugebis adempto
Tarnovio damnumque ingens profiteberis, illo

[1] Edit. „Crac.: „pius"; idem in Ossol., sed correctum. Est autem Pius IV, pontifex m. a. 1559—1565.

[2] Ioannes Przerembski erat archiep. Gnesnensis aa. 1559—1562.

Scilicet [illegible] Deum [illegible].
[illegible]
Andes [illegible] ad undas
[illegible]
[illegible] Olympo
[illegible]
Nec [illegible]
[illegible] semper [illegible]
[illegible]
[illegible] pigebit[3]
Nec [illegible] gaudet
[illegible] celsis
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

Quem Latio tulit[1] aeternus nec iunctus Homerus
Dixerit, ora daret si centum pulcher Apollo,
Moverit et centum linguas et guttura centum.
Sed iam ploratum satis est; cessare necesse est
Et siccare genas et turgida lumina fletu,
Et versare animis, satus es[2] quo patre, Ioannes
Tarnovi, et[3] tanti studeas praestare parentis
Te similem. Pietate fuit qua praeditus ille
In patriamque Deumque, illa sis praeditus ipse.
Sperne novos cultus; praesens quae repperit aetas,
Effuge, ceu pestem, et patrum vestigia serva.
Inde ad bella gradus tibi sit martemque ferocem,
Artibus instructo patriis; disce ordine turmas,
Ordine disce acies victuraque castra locare.
Fallere disce dolis hostem et superare virum vi.
Indulgere nefas mensis madidoque Lyaeo
Crede; iuvet te, Tarnovi, nihil alea pernox.
Seria semper ama, moveant ne ludicra pectus
Detineantve tuum, neve histrio mulceat aures
Aut[4] molles cantus: hinnitus praestat equorum
Clangoremque tubae strepitusque audire rotarum,
Cum gravidata gemunt armorum pondere plaustra,
Quam de tyrrhena modulatum virgine carmen.
Affatus cole, prudentum cole dicta virorum,
Quos cautos anni et quondam experientia fecit.
Hos vitae praepone duces, hos elige patres,
Horum consilio, quicquid meditaris, agendum
Est tibi. Nec spernas veterum monumenta sophorum;
Nocturnaque manu versa, versaque diurna[5],
Quicquid habet Latium et dicendo Graecia dives.
Inde potes, quid te deceat, perdiscere, et inde,
Quod, ne te laedat, stultus tibi parcit amicus

[1] rectius: „tulere".
[2] pro „sis", ut saepe.
[3] Aptius: „ut".
[4] Edit. Crac. „At".
[5] Horat. A. p. 268 sq.

Dicere, cognosces. Veterum nam pagina vatum
Nescit adulari mulcereve vocibus aures:
Verum amat, illecebras verborum exosa nocentes.
Discere ne pigeat leges, quibus inclita vivit
Gens tua. Quae dubio tibi sunt dicenda senatu,
Disce domi, Augusto regi consultor ut adsis
Optimus, et fias aliorum ne assecla semper,
Ignarusque tui, quod protulit ille vel ille,
Accedas voto: tua te sapientia clarum,
Non aliena tuis reddet carumque Polonis.
Iustitiam cole cum primis, sua reddere cuique
Quae iubet, insano non quemquam laedere ferro
Irataque manu pronaque in vulnera dextra.
Est sat opum tibi, Tarnovi, quas iusta reliquit
Cura patris; vici sunt multi atque oppida multa,
Sunt nemora et silvae, sunt umbriferae convalles.
Est sat agri: iubeas aliena praedia gleba
Ne crescant tua, vicinus sine iugera pauper
Pauca colat sua; ne modico deiectus agello
Illius, est omnis tua res cui villica curae,
Fraude gemat Divumque ultrices expetat iras,
Quodque tuus quondam peccavit villicus, illud
Esse tuum facias crimen. Nam crimina princeps
Quae non castigat, luit ut sua crimina quondam.
Parce aliis, nunquam delictis parce tuorum.
Serus amicitiis ne sis segnisve colendis;
Et qui carus erat patri, carissimus ille
Sit tibi. Prae vero fidoque putabis amico
Argentum vile atque aurum gemmasque micantes.
Quoque die nullus tibi sit quaesitus amicus,
Hunc fluxisse diem frustra et periisse putato[1].
Sed quid ego tuus, o Tarnovi, plurima vates?
Ad te pauca loqui satis est, patre cuncta magistro
Qui didicisti olim, quae te didicisse necesse est.
Sive Deum patriamque colas, seu martia sumas

[1] Sueton. Tit. 8.

Arma manu, seu iustitiae sacra munia tractes:
Tarnovius pater haec, cuius nunc funera flemus,
Tradidit ipse tibi et docuit servare sequendo,
Tarnovius pater, illustris qui nomine famae
Obscurat stellas, fulgensque Hyperionis astrum.
Cuius ubique vigent laudes et ubique vigebunt.
Oceano qua laeta caput Pallantias[1] almum
Exserit et iubar exsurgens mortalibus aegris
Matutina refert, fugiens quave auricomus sol
Se condit fessosque via lavat aequore currus,
Qua mediusve dies flagrantibus aestuat horis,
Quave gelu terras stringens gravis ursa rigescit:[2]
Tarnovii nomen clarum est clarumque manebit.

[1] Ed. Crac. „palantias“, lib. Ossol. „Palantias“. Est autem id nomen Aurorae.

[2] Conf. Lucani Pharsal. I vv. 15 sqq.



DIDASCALICA.

IV.

DIDASCALICA.

14.

PONTIFEX SARMATA[1].

Pontificem cano, sarmaticas qui praesul ad aras
Tus adolet Dis castus. Ades Tu carminis auctor,
Christe Deus, qui sacrorum facis esse potentem
Pontificem, qui templa Patri sacra fortibus unus
Sustentas umeris, moles cui insidet illa,
Extra quam non ulla salus mortalibus aegris.
Dirige Tu calamos, Tibi sit mea pagina curae;
Aspira, iusto mens impete concita currat
Ne quid[2] . . . .
Sancta, vides, qui templa tenent, quis praesidet[3] aris,
Incustoditum praedam pecus ire luporum
Cernis, oberrantesque haedos per devia rura.
Consultum populis cupimus, templisque Deorum.

---

[1] Scriptum hoc carmen est ultimis Sigismundi I imperii annis (ante a. 1548). Conf. vv. 221 sqq. et v. 225 sq. Asservatur autem in utroque libro manu scripto, et Cornicensi (376—386) et Ossolineo (323—340).

[2] Versus imperfectus. Suppleri potuit ita: „delinquat nimio compulsa furore“.

[3] Indicativi modi pro coniunctivis, ut saepe apud Royzium.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
— [illegible] —
[illegible]
[illegible] praeferat[1] [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Quaerere [illegible]?
Hic, [illegible] per regia castra
Atria [illegible] viri et sibi poscit honores,
Si cadat ante diem, [illegible] sidera consulit ille
Et vivacis heri [illegible] inquirit in annos[2].
[illegible] et fata referre paratis
Pendet ab astrologis: quicquid grex annuit ille,
Aemula turba Deum, folium putat esse Sibyllae.
Hic parasitorum voces emit, ille nepotum
Ingluviem ventremque replet, si regibus illum
Seu cena laudent madida, sive aere redempti.
Vidi equidem, memini, res non obscurior aevo est,
Occubuisse virum, cui cruda virensque iuventa,
Dum madidas superat mensas, quas apparat illis
Atque illis, quorum credit se voce[3] valere
Regem apud, haud dubiam iussus sperare tiaram.
Illum epulas inter socii videre cadentem,
Mixtaque vina cibis miserum risere vomentem.
Nec meliora manent animam manesque malignos.
Haec affectatum templi decus attulit olli:
Praecipitare diem foedaque occumbere morte.
Quid referam scelere atque dolis porrecta venena

[1] Mss. „praeferet".
[2] Conf. Ovid. Metam. I, 148.
[3] Cornic. exhibet perperam: „voce se".

Festinare obitus, Lachesi et data pensa benigne
Invita properare manu, ac rata solvere fata?
Rumores[1] quoties sparsi cecidisse diemque
Clausisse extremum, primas qui cantat ad aras,
Pontificem, affluxere omnes atque horrea certant
Diripere, ingentes farris populantur acervos.
Introiere domos, duraque excisa bipenni
Claustra effregere, ac anni penuaria longi
Expilant; gazae nec parcit praedo repostae,
Quam cautus pater infodit tellure sub ima.
Cuncta patent: ferrum et scelerata licentia, legum
Contemptrix, domitis erumpit in omnia tectis.
Quae exportare nequit, ferro corrupta relinquit
Igneve saeva manus; tectis vacua omnia cernes
Scissaque fractaque. Vix domino lacera atria restant.
Pontificem miserum, cui vivo contigit heres!
Sed non immerito contingunt talia quondam
Pontifici, qui non iustos servarat in usus
Pauperis horriduli, plebi sed avarus egenae
Ad luxum vanumque decus, vel nescio quales
Cogitat ad pompas larga profundere dextra.
Heu, non praeda domus, sparsis rumoribus istis,
Fit modo, sed titulus; nam qui sudavit in aula
Largius, et plures numerat tremuisse decembres,
Debita servitio ceu nomina[2] corripit ultro
Exsultans, gaudetque superstite[3] praesule praesul
Voce salutari populi, dicique beatus.
Fortuna hac alius fatoque exsultat eodem,
Quem procerum favor altus alit, cuive alta potentum
Stirps animos caelo attollit spemque attulit ultro.
Iam caput hic notat tamquam cervice tiaram
Sustineat dextraque pedum. Non ultimus ille est

[1] Cornic.: „rumorem".
[2] veluti aes alienum, quod servitio operaeque navatae debetur, corripit titulum.
[3] „nondum humato" voluisse dicere videtur poeta.

Vir qui quondam legavit multa talenta.
Dives quum, dives positus in honore nummis[1].
Posse putat nummos, quantum non cetera possunt.
O hominum mores! O nostri perfida saecli
Tempora! Quo tandem seris pervenimus annis?
[illegible] pretii esto turba virorum!
Non illud tueatur [illegible] secunda est.
Non [illegible] magnas [illegible] ad aras.
Non [illegible] muneribus non [illegible] quaerere [illegible]
[illegible] servitio [illegible] favore.
Quin [illegible] — namque haec hominum damnosa cupido.—
[illegible] reges [illegible]
[illegible] ossa [illegible] ila.
Non [illegible] tua [illegible][2] [illegible]
[illegible] est [illegible]
[illegible] petentem[3].
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] libelli.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Intrepidam mentem grandesque imitarier ausus[1].
Viva Dei mallem aedificet, quam saxea templa
Eductasque domos astris et tecta superba
Etrusca fabricata manu: sunt regibus illa
Apta magis; bene pontifici sub paupere tecto est,
Nullis insigni statuis et imagine nulla.
Quid famulorum agmen, comitum quid inutilis usus
Quadringentorum? et circum torquata iuventus?
Lascivi lusus puerorum et mollia verba,
Scurrarumque sales et amantis prandia turbae?
Suspectos habeat blandos, et dulce loquentes
Praesuli, amet verum dicat vel scurra vel audax
Servulus; intersit nihil, iste sit auctor an ille
Consilii, quod seu pietas seu vera reposcat
Religio iusti aut custos ecclesia moris,
Nam si vera ferat, si convenientia retro,
Si qua vel ratio vel lex vel maxima legum
Consuetudo monet, castos servata per annos[2].
Illecebrae ne te rapiant, nec inane caduci
Imperii nomen, nec vanae gloria famae:
Fastus pompasque ac luxum bonus oderis omnem,
Pauperiemque colas, quam Christus amavit Iesus.
Hunc imitare volens; nam quae dementia nostros
Capit pontifices? mala quae furiavit Erinys
Et totas miseris amovit cardine mentes?
Quem vult pontificem, toto vix edidit ore
Rex pius, ille, suas prima ut vox attigit aures,
Mox animis pictos, ornent quae tecta, tapetas
Concipit et variis distincta aulaea figuris
Argentoque graves abacos atque aspera signis
Pocula Phidiacis fundentemque ore draconem
Convivis lymphas et odoro rore liquores

[1] VV. 110—127, qui in Ossolineo in assuto foliolo adscripta exstant, huc pertinere docet Cornicensis.

[2] Aliquid deest huic sententiae; potueram scribere ex coniectura: v. 124: „Sed" vel „Iam" pro „Nam". Aut fortasse Royziano more inverso ordine „nam" ad „intersit nihil" trahendum est.

Pignoribusve datis Iudaeum ditat Apellam,
Ignarus, multum Lachesis[1] de vellere restet,
Instet an extremum vivendi tempus et hora.
Immemorem quem non casus monuere suorum,
Qui cecidere prius, capiti quam iuncta tiara est,
Quamque pedum laeti dextra tenuere potenti,
Et miseros fecere suos, laribusque paternis
Exclusere, fuit si quis ea vota iuvare
Immatura libido datis in pignora[2] rebus.
Nec, si forsan adhuc calathis net vellera plenis
Pontifici Lachesis rugasque intendit amatas,
Aere tamen tanto reliquum post liberet aevum;
Non illi villas, non praedia reddat avita.

Ergo procul luxus pompasque antistes inanes
Esse bonus iubeat, Christumque imitatus Iesum,
Mundi securus caelesti serviat aulae.
Principio doceat populos: ea munera prima
Pontificis sunto, primis qui praesidet aris.
Tergemini doceat populos praecepta Tonantis,
Quae caelo via sidereo, quibus aethera factis
Fas sperare homini, Christi post funera passi,
Infames obitus patula pendentis ab alno[3],
Ditis opes olim et stygium populantis Avernum.
Non mihi conducta demonstret sidera lingua,
Non flammis, non sic diris me territet hydris,
Tisiphonemque mihi saevumque Acheronta minetur:
Pontificis volo verba mei notique magistri
Audire; ille mihi caelumque erebumque loquatur,
Gaudia quae maneant olim post funera iustos,
Propositasque malis poenas Phlegethonte sub imo,
Terribiles poenas et inevitabile fatum.
Nam quis pontifices ferat inter gaudia mollem
Commissi gregis oblitos traducere vitam,
Securosque suum monachis committere munus

[1] Mss. „Lachesi".
[2] Mss. „pignore".
[3] Mss. „alvo".

Nescio quis? Clament illi, mare, sidera, terras
Miscuerint, bonus inter episcopus otia ludat
Et gemma bibat et sarrano dormiat ostro.
Antistes iustus nulli sua munera, nulli
Committatve vices; tractet sua quisque, nec alter
Algorem ferat ac aestum, ferat alter honores.
Cuique suum peragatur opus, Christique retractet
Suave iugum nemo.
Extremis quaerendus ab Indis
Non est, Sauromatae, vobis, quibus ista repono.
Exemplum cuius dociles moremque secuti
Vestro defuncti placeatis munere Divis,
En Macioveae Samuel clarissima gentis
Fama [1] decusque suae. Lingua non ille redempta
Sacra Deumque docet populos: ruit ore diserto
In vitia, atque viam docet omnipotentis Olympi.
O utinam, non res regni tot milibus illum
Curarum obruerent regisque effeta senectus:
Non tot sacratus quateretur motibus ordo,
Nec tam saxonicus vulgo increbresceret error,
Staret religio et Christi vetus ara maneres.
Ergo pedo, antistes, quicunque armatus adunco
Templa tenes, quae prima decent te munera, Divum
Iussa doce, Christo et quae olim monstrata voluntas
Aeterni patris, in terris dum missus agebat;
Ad Styga sic doceas, doceas sic itur ad astra.
Non populi vitiis, procerumve peperceris ausis,
Purpura nec regum moveat te iusta monentem.
Omnia quin duris castiga crimina verbis,
Errantemque minis totam tremefeceris urbem.
Sed tu, qui, doctor populi, reprendere vitam
Cunctorum aggrederis, sine crimine transige vitam,
Labe sine et vitiis, nam si ieiunia laudet
Helluo, vinosumque notet vinosus Homerus,
Rideat insanus nec sanum iuret Orestes.

[1] Cornic. „forma“.

Quae carpas, prius ipse cave; fuge castus amores,
Et mala nulla tuum contingat femina limen:
Tunc inconcessos populi reprehenderis ignes
Concubitusque vagos. Odisti turbida iura:
Litis amatorem cohibe semperque sonantem
Romanum Tiberim, et fora litibus importuna, —
Litem ex lite serens qualis nunc plurima Romae
Turba coit, iustam gaudens turbare quietem,
Cuncta ruens, fas sit, seu non, anathemate crebro.
Surda fori bonus ac mitis tabulata sacerdos
Nesciat et tritam malit sine lite lacernam
Exiguumque larem et parvae duo iugera villae,
Quam molles Serum chlamydes, quam tecta superba,
Praedia quam quondam bobus nec arata ducentis
Lite tenere mala. Litis decet esse protervae
Osores, adolent Divis qui tura ministri.
Vivendo doceas populos pariterque monendo.
Sancta doces: facias quoque sancta. Quid aethera nobis
Ostendit digito miser et pede pulsat avernum
Antistes? Vivat recte; non crimine tantum,
Suspicione volo careat quoque criminis omni
Ille datus populo, vitae qui doctor honestae
Esse amat et vitam populos vivendo docere.
Vita magis, quam lingua, docet; sunt irrita verba,
Cum non doctrinam comitatur vita docentis.
Antistes vivat magna irreprehensus in urbe,
Inclitus admonuit clarae sic incola Tarsi,
Ad magnum quondam non frustra raptus Olympum.
Antistes, — non haec laus ultima, — sobrius esto,
Non vinosus, ametque brevis commercia mensae
Exiguoque dapes venis transmittere baccho;
Non multo caluisse mero, non surgere mensa
Mente sine, et calido multa effutire cerebro;
Quae dixisse neget, primo cum surget Eoo;
Nec dubitet rogitare, dies cum postera luxit,
Multa die super hesterna, quae nescius egit,
Pulsaritne ore aut quemquam obiurgarit amaro.

Esto procul calices, madidus procul esto Lyaeus
Pontificum mensa[1] et pulsis temulentia curis.
Prudens deinde mihi, templis qui praesidet, esto.
Non bene commissas regit imprudentia caulas
Et Christi pecus; esuries tot sacra luporum,
Ni occurrit pastor, totum populetur ovile.
Non sit inornatus praesul, contemnere vulgus
Quem possit; iussae, res quae pulcherrima, custos
Esto pudicitiae, venerem domet importunam.
Farre satur modico et fluvialibus algidus undis,
Otia devitet: quaerit malus otia daemon.
Sacrum Mosis opus verset, patrumque priorum
Vivendi discat morem, et quae pagina Christum
Sancta refert, magnum mundo et memorabile nomen,
Nocturna versetque manu versetque diurna.
Hoc bonus antistes clero quoque suadeat omni;
Sic casses doceat vitare et daemonis arma.
Otia devitet, quaerit malus otia daemon.
Nunc levi nassam iunco, nunc vimine texat,
Postmodo quam vacuus piscosum iactet in amnem;
Nunc esca aptatos praetendat piscibus hamos,
Ludentemque trahat pleno de flumine rhombum.
Caerula Neptuni nunc verret retibus arva,
Stagna lacusque altos multo et vada pisce natata,
Maioremque petet maiori ex gurgite praedam.
Nec parvam pudeat contis impellere lintrem.
Aut visco captabit aves, pedicasque minutis
Alitibus laxas malo praetendet in alta,
Ablatosque feret parvos ex arbore nidos.
Non Esau similis timidos agitabit onagros[2],
Non pellet clamore leves in retia cervos,
Non nemora et valles implebit vocibus imas:
Captet aves piscesque, aliis nemora alta relinquat.
Fas ludus quandoque innoxius otia tollat.

[1] Mss. „mensae“.

[2] Onagros, qui in Polonia non vivunt, solummodo exempli gratia, placitis fortasse quibusdam ecclesiasticis inductus, nominasse videtur.

Non[1] damnosa sacra iaciatur tessera dextra,
Neve adversa cani placeat venus impermissa,
Non minio depicta suo cum rege iuventus[2].
Reticulo pulsare pilam vacua atria circum
Sit fas, et buxo fictos committere reges;
Nunc peditem dextra, nunc cornipedemque ciere,
Obliquisque aciem turbare insultibus omnem.
    His rebus sibi quaerat opus malaque otia vincat.
Hac si non succedat, opem prece poscat Iesum;
Audiet ille feretque animis solatia fessis.
Talibus auxiliis menti caro serviet aegra,
Et dominae impositis parebit victa capistris.
Hospitio mensis dein indulgebit onustis
Antistes, largaque manu saturabit egenos
Caecosque claudosque et quod miserabile in orbe
Praeterea est. Nam divitibus quid porrigat escas?
Prandia quid struat his solem visura cadentem
Et stellas habitura suas? Mare cogitet idem
Amne augere suo multum sitientibus agris!
    Praeterea antistes bili dominetur et irae.
Vibrare indignum furiata verbera dextra
Pontificem saevoque manus armare flagello.
Mitia corda gerat, sit parcere multa paratus:
Parcit multa homini Deus impunitaque linquit,
Nec passim forti iaculatur fulmina dextra
In sontes ausosque scelus patrare nefandum[3].
Castigare tamen mores vitamque memento
Presbyterum et coetus, populo qui sacra ministrat
Turaque Diis adolet meritosque incendit honores.
Quos inculpatos plebis decet esse magistros,

---

[1] Corn. habet „Nec".

[2] Tabellarum pictarum sive chartarum (karty) ludum, qui una cum alea persaepe etiam synodorum ecclesiasticarum placitis improbatus est, a nostrorum tamen temporum ratione et chartarum specie et ipso ludi genere aliquantum differebat, hoc loco tangit.

[3] In his quattuor versibus manu scripti libri tam falso interpungunt, ut a Roysii manu non esse confectos vel inde eluceat.

Vivendoque alios meliorem vivere vitam
More docere suo, ruptis ne legibus illos
Transversos populus mala ferri in crimina cernat,
Quosque viae ad superos et Divum gaudia laeta
Convenit esse duces, miserum sub tartara vulgus
Hi secum praecepsque trahant damnentque gehennae,
Aeternasque ferant laeta pro luce tenebras.

Aspicis ut media vivat reprehensus in urbe
Presbyter? Hic lites semper sonat et fora surda
Importunus amat pacemque fatigat amicam,
Sacrarum ignarus rerum, tractare sed idem
Iurgia doctus, erat quantus non Scaevola, non tu,
Inclita cui magnum quondam dedit Africa nomen[1].
Lite mala socios a sacris avocat aris,
Contentosque suo parva requiescere in aede
Haud sinit impatiens, modica et stipe vivere laetos,
Linquentes alii sua, nil plus quaerere parto.
Alta alius regum procerumque palatia sollers
Quaerit et obsequio petit ambitiosus honores,
Et, quam aris, mavult aulis servire potentum.
Inde sacros census, sacram sperare tiaram,
Inde pedum licet, et magni pars esse senatus.
Laudat, adulatur, ea semina credit habendi.
Quos habet ararum census, oblitus egeni
Pauperis, in cenas absumit divitis exlex;
Quis inopisque famem, quis debuit ille domare
Mendici esuriem, locupletibus orgia quaerit.
Scire Deum et sophiae doctos tractare labores
Nullus amor; satis huic plebeio pauca magistro
Edidicisse domi et ferulam timuisse suorum.
Euganea ignotus iaceat licet exsul in urbe[2]
Maximus Antenor parvumque Bononia Rhenum[3]
Hoc sine sola bibat, studiorum nobilis altrix,

---

[1] Sex. Iulius Africanus iuris peritia temporibus Antoninorum clarus.
[2] Patavium tangit.
[3] Fluviolus Bononiam praeterfluens.

Tuque tuis aestus restinguas Sequana Belgis[1]:
Vellicet hic aures procerum iucundus, et ore
Instillet placido salibus ioca dulcia multis,
Grata ferat semper, semper placitura loquatur,
Et genua accitus flectat, rursusque reflectat
Alternans, nudoque caput stet vertice pronus,
Cum torquatus herus nutans gravida ora resolvit.
Structor erit, quadramque implebit promptus herilem,
In vacuo doctus partirier aere capum[2],
Furcillamque tenere manu, cultrisque volare[3],
Praelargasque dapes convivis porgere centum.
Aut tereti armatus sude lances sedulus ibit
Ante graves, rectorve domus aulaeve magister
Imperium feret indomitis invisus ephebis,
Gaudebitque cocis unctaeque praeesse culinae.
Condus erit vel pronus erit, pincerna vel audax
Ad cyathum stabit madidi custodia Bacchi.
Prima rudimenta haec; ad sacros primus honores
Inde gradus[4].

[1] Lutetiam tangit; Belgas autem appellat pro Gallis.

[2] Hac arte usque ad novissima tempora saepe aulici urbanique iuvenes in Polonia censebantur.

[3] Sic in mss. Certe hac insolita locutione R. gestum quendam celerem atque commodum in usurpandis cultris tum temporis tritum designare voluit. Suspicatus sum ipsum scripsisse „cultrosque rotare".

[4] In his desinit carmen, quod imperfectum esse apparet.



15.

DE ORIGINE IURIS[1].

(Fragmentum I).

Ius hominesque cano vasto quo caesar in orbe
Regnat ad extremasque potens regit omnia terras.
Tu mihi, tu rerum, et mundi nascentis origo,
Divorumque hominumque Pater, rex omnium et auctor,
Tergeminum Numen, nostrae pars maxima vitae,
Carminis auctor eris; mihi tu, non numina vana
Thespiadum, longave coma spectatus Apollo.
Principio genus humanum volucresque feraeque
Incolaque undantis pelagi commune tulerunt
Ius et fas legem et certis in rebus eandem.
Et sua praeterea, nullis communia, gentes,
Cum vitam, accepere simul sanctissima iura.
Divum hinc religio, pietas patriae atque parentum
Hinc hominum cognatus amor fasque omne piumque,
Illinc ad subolem mas et sua femina iuncti
Humanum instaurant genus atque propagine servant.
Convictum humanum poterant vitamque beatam
Legibus his homines servare et saecula laeta.

[1] Totum poema constat quattuor fragmentis, quorum tria priora asservantur in utroque libro msto. et Cornicensi (386 sqq.) et Ossolineo (341 sqq.); quartum in solo libro Cornicensi. Plura, quam quae exstant, poeta in hac materia scripsisse non videtur.

At postquam furor atque animi discordia praeceps
Gentibus incessit, regnandi et iniqua cupido:
Sanctaque cognati cessit reverentia iuris.

Ius primo ignotum saeclo mundoque recenti
Armorum bellique datum, tutela suique
Et rerum, sumptis sua seque tuerier armis,
Inque hostem telis et aperto surgere marte.
Nec satis hoc; hostem spoliare et sternere leto
Ius fuit, immanis nisi cum clementia Martis
Rara hostem emptori captivum compede servat,
Quem post ipse manu numerato liberet aere,
Aut melioris heri eripiat clementia maior
Servitio duroque iugo vitaeque malignae[1].

Tunc primum gentes discretae et condita regna:
Invisum domini nomen late audiit orbis;
Tunc, tunc, quae nullo distinctae limite terrae
Quique olim nullis signati finibus agri
Omnibus utendos sese et sua iura dedere,
Certos accipiunt dominos, certisque notantur
Limitibus; ducto sibi tunc signavit aratro
Quaeque suas urbes gens; alti assurgere muri
Tunc primum coepere cavaeque ad sidera turres
Moeniaque ingentes late circumdare fossae.
Venere et certa commercia mutua lege
Vinclaque legitimis nos obstringentia nodis.
Hactenus humanum genus usum legibus iisdem est,
Seu quae nascentis teneris haesere medullis
Mundi olim et vitam nos edocuere beatam,
Seu quas postquam illae coeperunt cedere retro
Et sursum ferri crimen nostrum atque deorsum,
Infelix sero sapiens sibi condidit orbis.
Post tamen, ut muris cinxerunt oppida gentes
Moeniaque hostili late opposuere furori,
Ne qua ipsos inter cives malesuada libido

[1] Inde ab initio carminis usque ad hunc versum notantur in margine libri Ossol. ad singulas partes loci iuris romani, quibus poeta nititur.

Turbaret vitam sociam et pulchrae otia pacis,
Sanctas quaeque sibi leges penitusque verendas
Urbs fixit, fixasque aeternis iuribus auxit.
Gentibus hinc varii mores, hinc plurima mundo
Diversa et rerum facies et cultus et omne,
Quicquid habent homines, vitam quod spectet ad ipsam.
Barbarus hoc, illud Graecus sibi fecit honestum
Lege sua, arbitrio quodcunque pependit ab ipso;
Cetera, naturae quae proxima visa, secuti.
Plurimus interea saeclorum volvitur ordo,
Saeclaque labuntur caelo properata citato,
Inque novum semper sua per vestigia tempus
Tempus abit, pennisque celer volat impiger annus:
Cum post occasum Troiae, pulcherrima rerum
Orbem olim domitura et gentis quicquid ubique est,
Roma solo surgit campo et caput exserit alto
Cervicemque minis[1] fetam et terroribus effert,
Haec[2], cuius leges cano, cuius iura renarro.
Romulus, idem auctor rex et iustissimus unus,
Principio arbitriis, non iure aut legibus ullis
Rexit regali peragens bonus omnia nutu.
Romulidae hanc vitam primis coluere sub annis,
Donec adaugeri passimque accrescere coepit
Roma, novosque frequens vidit fecunda Quirites.
Tunc etenim denas urbis pater inclitus et rex
Romulus in partes populum ter dividit omnem,
Curia queis nomen torquentes pectora curae
Fecerunt, illis quoniam respublica curae.
Hic leges tulit ad populum et sanctissima primum
Iura dedit; reges et idem fecere sequentes.
In librum has omnes retulisse Papirius unum
Fertur, non passus spargi ac passim ire solutas.
Inde papiriacum[3] mutato nomine dictum

[1] Mss. „nimis".
[2] Mss. „hanc".
[3] Sic mss., non „papirianum". Conf. Teuffelii Hist. litt. rom. §§. 70 sq.

Ius, non quod quicquam adiecisse Papirius illis
Dicatur, verum quod sparsas undique leges
Collegit sollers librumque redegit in unum.
Post deinde exactis romana regibus urbe —
Tantum Tarquinii imperium crudele Superbi
Promeruit natique furens et caeca libido —
Regum odio leges, urbis compage soluta,
Exutae imperiis et fasces ponere iussae,
Romam indignantes Capitoliaque alta relinquunt.
Dura tribunorum lex urget et exigit urbe.
Incerto tunc iure magis, non legibus ullis,
Vivere turbati rursus coepere Quirites,
Quam cum olim nullis agitarent legibus aevum,
Sponte tua arbitria et tua, Romule, iussa secuti.
Viginti hoc annos passis prope, tale perosis
Vivendi genus, argolicas stat mittere ad urbes.
Per quos Graiorum, quorum tunc regna vigebant
Consiliis, longe leges moresque petantur,
Legibus ut graiis, ut graiis moribus urbem
Romanam fundent pulchraque in pace reponant.
Allatas leges moresque ex ordine notos
Perscribi tabulisque decem proponere visum [1]
Pro rostris, populoque omni dare cernere coram,
Cognosci ut vulgo perdiscique omnia possint.
Electis post deinde viris data summa potestas,
Ius summum illo anno, allatas exponere leges;
Praeterea, si quid videatur forsan in illis
Romanam non ferre urbem, mora nulla, refigant;
Nil metuant, illis quoniam statuentibus ullum
Appellare nefas, tulerint quaecunque, tribunal,
Quamquam aliis summum hoc dicendo in iure negatum est.

[1] In libro Ossolineo quarta folii parte excisa solum initia versuum 102—108 asservantur. Ceterum non ipsas ex Graecia allatas leges, sed a decemviris graecarum ratione habita conditas decem tabulis inscriptas esse refert Livius III, 33 sq. Conf. Madvig, Die Verfassung u. Verw. d. r. St. I, 499 sqq.; II, 149.

Incumbunt alacres operi, perque omnia volvunt
Intentos oculos, intentaque pectora versant.
Multa decesse vident, magnumque urgere laborem
Acribus insurgunt studiis, noctesque diesque
Hoc adeunt, repetunt et opus, labor hic vocat unus,
Involucris fors si qua latent dictisve morantur
Ambiguis; ne quem verborum indagine fallant
Exponunt, quae mox manifesto in lumine cernas[1].

(Fragmentum II).

Inclita romani dicam primordia iuris,
Argolico mixti et veteres referentis Athenas.
Hinc indeprensos sensus penitusque latentes
Et causas longe repetitas aethere ab alto
Quis modus eruere est ius et penetrare repostum?
Exsequar, haud me adeo fallit, quam vincere magnum
Haec sit et in gyros, sinuosis flectere verbis
Cogereque in numeros strictique repagula[2] versus.
Verum romani loca me per devia iuris
Raptat amor tentare viam, quam nemo priorum
Ingressus, iuvat et gressus inferre pedum vi[3]
Tu mihi[4]...

(Fragmentum III).

Maximus ille auctor rerum, Divum pater et rex,
Immensi metam imperii cui nescit Olympus,

---

[1] Hic interrumpitur in Oss. media pagina carmen; quae sequuntur eiusdem materiae, leguntur in folio proximo, ante quod quinque folia excisa sunt.

[2] Mss. „repabula".

[3] Lucreti de r. n. I vv. 136 sqq., 921 sqq. haec in memoriam revocant.

[4] His verbis desinit frustulum II; eadem pagina post intervallum aliquot versuum sequitur fragmentum III.

Cum fortunatis hominem formaret in agris
Divinumque animum, munus caeleste, dedisset,
Denso illum late circumdat corpore nostro,
Scilicet ut, sensu haudquaquam penetrabilis, ipsis
Corporis indiciis volucrisque volumine linguae
Sub nostrum posset sensum captumque venire.
Servitio ergo animus defungens utitur. Olli
Quae sedeant, quae non, signis demonstrat apertis
Et sese humanis manifestum sensibus infert:
Sive olim nutu rebus rem pandit opertis,
Seu frangit lingua deductam ab gutture vocem,
Seu bifidos stringit calamos perque avia ducit
Albentis campi spatia, et vestigia linquit,
Vocis iter linguaeque humanae imitata figuras [1],
Quae absentem moneant olim serosque nepotes.
Vultus idem nutusque valent monstrataque dextra,
Non manifesta minus, dictis quam si ora resolvat.
Ergo nuper erat sensu qui impervius omni,
Spectandum sese nunc sensibus omnibus infert
Egregiis rerum indiciis signisque notisque.

(Fragmentum IV [2]).

Seu quis honorati miratus pulpita iuris
Perplexasque hominum lites pulchrumque laborem
Iura olim acceptos facientum reddere sensus: [3]
Sive foro magis allectus quis, litibus aut cum
Occursare malis, causas agere, optimus ardet,

---

[1] Mss. „humanae vocis iter lque im. f.".

[2] Hoc fragmentum desideratur in Ossolineo, in proximo enim liber ipse desinit.

[3] Iunge: „perplexas lites pulchrumque laborem hominum facientum iura olim acceptos reddere sensus" i. e. explicantium ex cathedris pristinam iuris vim ac notionem.

Cumve[1] iuvat pectus, nunquam exorabile pectus,
Et vultus tetricos metuendaque iudicis ora
Sumere, terribiles oculos, longeque minantes,
Si potis indomitos populos frenare premendo:
Seu regnorum olim late moderator, ut illis
Et premere et laxas discat dare iussus habenas,
Iustitiae studio et iuris se destinat: ille,
Ille mihi Divum auspiciis et numine firmus
Praebeat attentas animis ardentibus aures.
Monstrabo facilemque viam perque ardua tutum
Leve et iter sacri templa ad sanctissima iuris,
Debita iustitiae, dat ubi sua tura sacerdos
Astraeae et late meritos indicit honores,
Astraeae, scelere et ferro quae pulsa Gigantum
Olim orbem invisum — nostrum scelus — alma reliquit.
    Cum vulgarem olim romana per oppida linguam,
Quam priscorum hodie perpauca volumina servant,
Noris et argolicum praedivitis oris honorem
Addideris, campo et spatiabere liber utroque:
Disceptandi artem — tibi nec dissuadeat unquam
Ullus, — adi, monitis si quicquam credis amicis.
Inde petendus erit rerum pulcherrimus ordo,
Principio quem olim haudquaquam didicisse pigebit,
Si quando certis quicquam, qui plurimus usus
In iure, ordinibus te digessisse iuvabit
Cognatasque voles cognatis iungere rebus,
Non elementa sequi deses moremque solutum
Atque rudem. Rebus post dehinc per mutua nexis,
Sermonum amplexus[2], sinuosa volumine verba,
Discere erit, primo et cognoscere singula nexu
Quid valeant. Quae vera illorum et certa potestas,
Quaerendum tandem, quod te, quod prae omnibus unum
Suadeo sectari penitusque revolvere totis
Viribus intentum, studiisque recentibus acrem.

---

[1] Iunge: . . aut cum . . ., cumve . . .
[2] = orationis structuras, circuitus sive periodos.

Argumentandi ratio pulchra illa triformis,
Effigies ternis nexus imitata figuris,
Extremo discenda loco, extremoque labore.
Hic ego, te multusque frequensque exerceat usus,
Optarim, fractaeque alta ad laquearia voces
Congressusque inter pugnacis proelia linguae.
Altius haec animo ut figas et sensibus imis,
Quicquid agisque negasque, in notas coge figuras
Monstratosque modos, quis fallere nescius ordo;
Castigaque moras, sollersque, licentius errent
Ne qua, cave; properum cursu quae fallere possent,
Haec rursus tota penitus compage soluta
Disrumpas; disrupta et formam exuta priorem
Diversam faciem diversaque iusseris ora
Induere; hocque iterum facias; versisque fatiga
Saepius in varium membris et corpore toto,
Dum leges et iura sinunt, quibus illa tenentur.
Haec toties agitata tuum promptissima nutum
Olim sponte sua non exspectata sequentur;
O[1] quoties olim dicturi se inferet ori
Verborum series illas induta figuras
Atque modos! adeo in cunctis assuescere magnum est.
His te dum exerces, verum — reverentia veri
Magna tibi semper, — bonus ultro assuesce tueri,
Et falso studiis inimicum te obice totis,
Et verum firmes idem falsumque refellas.
Legitimos tenuisse modos iustasque figuras
Satque superque tibi; tamen ut, quae plurima vero
Apparent primo obtutu contraria, quaeque
Instructisque dolis verborum et fraude reperta
Insani obiectant et quos mala vexat Erinys,
Nosse queas notisque dolis et fraude refellas,
Et, quae falsa tegunt faciemque simillima veris,
Nullis te insidiis, nullo te tegmine fallant:
Nectere fallaces, rerum haud ignarus, elenchos

[1] Sic in mss.

Disce; dolique mali fraudisque peritus opertae,
Intentos laqueos, intenta pericula vita.
Hic tibi finis erit, studii haec tibi meta diserti.
Extremus labor hic, artisque haec meta disertae.
Post haec facundi spatiosum rhetoris aequor
Ingredere et campos liber spatiare per illos.
Illic verborum discenda et copia rerum
Largior, ingentes animi, violentior oris
Impetus, et toto conceptum pectore robur.



16.

CHILIASTICHON [1].

IOANNI PREREMBIO,
Poloniae procancellario,
PETRUS ROYZIUS MAUREUS
S. P. D.

Carmen a me nuper lucubratum, Procancellarie amplissime, quo Aloysium Lipomanum, Veronensium episcopum, sanctum piumque senem, ad statum religionis componendum — qua de re a Paulo, quarto eius nominis pontifice maximo, huc missus venit — aut potius ad id aggrediendum hortor, ad te mittendum existimavi, non tam illud ut legas, quam ut acri censura tua, quantum plurimae maximaeque occupationes, quibus distineris, ferunt, melius reddas, et tamquam Promethei ferula admota animes vitaque inde accepta incipiat dici tuum in tuoque nomine appareat, si modo, ut in apertum proferatur, quod tuo iudicio arbitratuique permitto, dignum putaveris. Nam ut mittatur manu divulgeturque, neque laboro neque sane postulo, quin vereri debeo non ob eos homines, qui nova religionis opinione distracti, a nobis dissentiunt, quippe quos neque in manus quidem sumpturos carmen hoc exploratum habeo, sed ob nostrates, quibus haec scripsimus, non defuturis, ut plerique sunt homines in alieno scripto lynces, in suo talpae. Qui stu-

---

[1] Textus huius carminis nititur editione Cracoviensi a. 1557. Usus sum exemplari bibliothecae Ossolineae.

dium meum et hanc qualemqualem a me navatam operam, cum reprehendere fortasse non possint, carmen in culpam vocent et complura suas aures implere negent, ut notus ille proverbioque celebratus Momus. Qui cum Praxitelis Venerem carpere non posset, sandalium carpsit. Sed hos, sicuti spero, ne carmini insultent meo, auctoritas tua cohibebit, non ausuros, quae tibi probari cognoverint, improbare. Tuo itaque in nomine, si lectu dignum censes, in lucem carmen hoc meum emitte; sin minus, in tenebris sine delitescat et vale.

Ad. V. Id. April. Vilna. Anno post Christum servatorem natum septimo et quinquagesimo supra millesimum et quingentesimum.

Ad

ALOYSIUM LIPOMANUM,

Veronensium episcopum, Pauli IIII. Pontificis maximi in Polonia legatum.

CHILIASTICHON.

Sancte senex, aetas quo nostra prioribus annis
Se exaequat priscisque atavorum haud invidet aris,
Adriaci, Lipomane, sinus, genus unde [1], Quiritum
Insuper immortale decus, te sospite quorum
Usque vigebit honos atque ullis nescia saeclis
Fama mori, non venturo delebilis aevo!
Venisti, o felix, votis optatus ad oras
Sauromatum septemque horrentes usque triones,
Est ubi non aestas, non ver, ubi Sirius alget,
Non aut delicias, non aut solatia quaerens, —
Quippe quibus tellus, gelidam declivis ad arcton [2],
Perpetuo caret usta gelu, nive quae obruta densa

[1] scil. „tibi est."
[2] Scil. deliciis solatiisque.

Tota latet laetos novit nec veris honores, —
At quaerens pius antistes, quae gloria Christi est,
Omnem qui fuso servavit sanguine mundum,
Et pendens cruce tartareum tremefecit avernum
Devicitque manu, sanctorumque intulit astris
Patrum animas dedit et sedes habitare perennes.
Huius tu, senio gravis, at virtutibus idem
Et pietate ingens, bonus, est quae gloria, quaeris[1],
Ut, vetus est olim tot qui labentibus annis
Servatus templi ritus quique inditus aris
Mos stetit, hic maneat totoque colatur in orbe
Sarmatico, pulsumque procul mox fana profanum,
Invisi Latio Martini dogma Luteri
Desinat infestare ignotisque exsulet oris, —
Extremo licet orbe coli nec talia fas sit.
    Adventus haec causa tui est; te Paulus[2] eundem,
Magnis assuetum rebus, qui vertice sedes
Divum labentemque humeris velut alter Olympum
Sustentes Atlas, huc sacra misit ab urbe, —
Paulus, qui Christi vice terris unus et aethrae
Imperitat fungens aeternaque vincula nectit
Exsolvitque volens, poenasque nocentibus addit,
Iram promeritis Divorum et grandis Olympi
Ob noxam et vitae per magnum dedecus actae[3],
Digna piis addens idem sua praemia, nunquam
Interitura. Ille has gentes te iussit adire,
Errorem ne saxonicum, quem serpere late
Audiit inque diem maiores sumere vires,
Longius ire sinat. Macte o pietate, Dei vir,
His occurre malis atque omnibus exige templis
Sarmatiae hanc pestem, ter denis quae amplius annis
Saevit perque omnes grassatur noxia caulas
Electi gregis et Christi populatur ovile,

---

[1] Iunge: tu quaeris (gloriam), quae est huius (Christi) gloria, ut...
[2] Paulus IV, e gente Caraffa praefuit ecclesiae rom. aa. 1555—1559.
[3] Sic. in libro. Mallem: „vitam p. m. d. actam".

Non parcens adeo pastoribus, ardua quorum
Virtute mens fixa Deum meditatur et astra.
Plurima quae lacrimas moveant tibi, plurima lucem
Quae credam hic aspicias: audacia paucis
Incessit vesana viris, quos mobile vulgus
Quos sequitur plebs stulta duces. Antiqua perosi
Est studium templis alios inducere ritus,
Morem alium. Quicquid venerabile tradidit aevum
Maiorum, damnant: prisci hoc non continet ullus
Nullaque sanctorum tanget reverentia patrum.
Hic ausis quamvis non una eademque secutis
Omnibus idem animus Romanum exscindere nomen.
Exercent odiis, una vi ... amentes in illud
Exacuunt iras. In nostrum nomine noxas
Congesserunt omnes, ... crimen in ... est
... in terris ... omne quod ...
In ... Noxia ...
... Legaera
... flagelli
[illegible]

Distineat rubor, et ingens quos turba secuta
Stultorum, nova sint modo, qualiacunque sequentum,
Ad deserta ultro redeant sacra nota volentes.
Stultos! praecipiti malunt qui in tartara saltu
Ferri, quam iusto semel erubuisse pudore.
Inter at errantes seque et sua sensa sequentes
Mitior hic illo est, nimium sed quilibet audet.
Sunt multi, quibus illa sedet sententia, fiat
Copia si calicis populo, satis esse, nec ultra
Quaerere: romulei consistere cetera templi.[1]
Antiquis servata annis consortia lecti
Presbyteris alii, servat quem Graecia morem,
Permittenda putant, ne consecrata Deo gens
Uratur vetitoque ardens succumbat amori.
Non iniusta canunt, magnus Pater annuat illis
Si modo romuleus, sacrasque adeuntibus aras,
Quo potis imperio est, iustum sinat esse hymenaeum.
Hos tuleris, trifidae si quid credamus alumno
Sicaniae.[2] Ast audi, dicat quid cetera turba.
Hic templo simulacra iubet detrudere; templum
Ille intra sese contendit habere negatque
Esse aliis opus; esse nefas commissa fateri
Prisco more, Deum nihil ignorare, nec illum
Posse latere aliquid; templis accendere lumen
Ridiculum dicunt, nullum nam lumine lumen
Indiget aeternum tenebris procul inde fugatis.
Implorare hominem divos et ture litare
Ius fasque esse negant, atque appellare precando,
Accisis rebus nos cum fortuna premit trux.
Delectus epularum alii et ieiunia damnant.
Corporis exutos vinclo et compage solutos
Hac fragili, terras linquens cum vita recessit,

[1] Sic interpungitur in libro.

[2] Quemnam hoc nomine tangat, non assequor (Nic. de Tudeschis Panormitanum?); certe propter causam matrimonii Stan. Orichovii talia tum accuratius tractabantur.

Aethereas sedes aut infera regna manere,
Aeternas poenas et inevitabile fatum;
Quae purgent loca nos levibus contraria noxis,
Quas venia dignas fecit Deus, esse negat gens
Abrumpens fas omne, piis malo et impia miscens:
Scilicet haec figmenta ausi ludicra vocare.
Inde alia atque alia, est quae commemorare canendo
Ingens et nostris maior labor omnibus ausis.
Praestiterit, referam, fulgent quot sidera caelo
Vestigemque idem numerum flaventis arenae,
Fusa iacet vasti oceani quae litore toto.
Hi contra nos stant, hos oppugnare necesse est
Inque viam quam mox revocare errore relicto.
Tu modo, dux Lipomane, pedem felicibus infer
Auspiciis: aderunt, tua mox qui signa sequantur,
Insignes pietate viri, quibus inclita cordi est
Religio et [1] veteris maiorum haud paenitet aevi,
Non passi vacuas palearum more per auras
Impelli et quocunque noto in contraria ferri.
Immota stant mente tuumque volentibus omnes
Exspectant animis coeptum tuaque orsa morantur.
Hoc, qui sacra colunt et plena numen acerra
Aeternum venerantur, avent; hoc, qui horrida tractant
Bella manu et gaudent depulso finibus hoste
Se et patriam servasse. Tuis sese inferet ordo
Inceptis ingens. Nicolaum prima sequentem
Dzirgovium [2] signa aspicio, cui prisca ferendum
Gnesna pedum dedit et primos concessit honores,
Omnia facturum et nulli indulgere paratum,
Ut tuscum Thybrim [3] et romanos servet honores,
Atque ultro, si res poscat, profundere vitam,
Hunc iuxta gens lecta Deo, quae altaria Gnesnae
Tura ferens scandit Divis in vota vocatis, —

[1] Scil. „quos".
[2] A. 1546 Cuiavia Gnesnam sedem transtulit, obi. a. 1559.
[3] Ed. „Thuscum Tybrim".

Gnesnae, quae septem, magnae velut aemula Romae,
Educit colles et sese attollit in auras.
Inter quos aderit pietate insignis et ore
Zidovius praesul, iurisque peritus et aequi
Psarius et nostris alter Dambrovius annis
Iustus Aristides; nec non Crassinius[1] aequans
Ante annos senium, tua, Papiniane, secutus
Docta volens placita, ausoniis non impiger oris.
Mox alii atque alii, doctorum et corda virorum
Inclita, qui rebus possint succurrere fessis
Prolapsam et late Latii instaurare ruinam.
Et tu, magnanimi nomen sortita leonis
Quem colit urbs, Ligenza[2], sacris praefecit et aris
Pontifices supra, quo non septentrio totus
Religione tulit, tulit aut pietate priorem,
In sanctam hanc viresque feres et robora pugnam.
Andreas inde it Zebridovius[3], Albula cuius
— Non, Parnasse, tui fontes — sacra proluit ora,
Et fando clarum fecit linguaque disertum.
Pontifices inter non hoc est acrior ullus
Sauromatas, nemo sacra iura audacius armis
Correptis, etiam res si exigat arma, tuetur.
Irritet quoscunque, adeat quaecunque pericla
Pro Christo Christique fide, levia omnia ducit.
Quin gaudet patrum pro religione Quiritum
Probra pati, linguas ridens et iurgia vulgi,
Assueti dirum dictis aspergere virus
Et nimium, heu, nimium verbis lacerare nefandis
Presbyterum genus omne, et quicquid vertice raso
Est hominum, gazam qui contempsere nocentem

[1] Videtur esse Franciscus, praepositus plocensis, a. 1566 vicecancellarius regni, a. 1572 cracoviensem episcopatum adeptus, a. 1577 mortuus. Ceterum et frater eius Stanislaus, regis secretarius, eodem tempore inclaruit.

[2] Felix Ligenza archiep. leopolitanus ab a. 1554, obi. ante Kal. Mart. a. 1560.

[3] Episcopus cracoviensis aa. 1551—1560.

Calcatisque opibus Christi sua colla volentes
Subiecere iugo, fumat quibus ara ministris
Ture sacro et prece perpetua pulsatur Olympus.
Sic servi Divis, Andrea, et fortibus ausis
Rebus adesto sacris magno et te numine firma,
Ne novus irrepat Divorum altaribus ordo.
 Aspice, quae te stat series longissima circum
Doctorum, quorum ingeniis et divite vena
Clara potest latiis haudquaquam cedere terris
Sarmatia implicitosque malis erroribus urbis
Hostes romanae revocare in pristina et almas,
Quas nunc contemnunt, venerari protinus aras.
 Primus adest Spotus,[1] pietatis cultor avitae,
Antistes Spotus, quo haud Sarmata creditur ullus
Sanctius excelsa colere alta palatia Romae.
 Impigro has partes studio, mora nulla, Philippus
Padnevius[2], magno verorum accensus amore
Sacrorum, defendet, opem laturus et omnem
Eximiis operam studiis atque ore rotundo.
 Non, Petre Miscovi[3], tu aliis non segnior ibis
Hos contra, qui animis hostilibus usque tumultus
Ore cient rabido romanaque templa lacessunt.
Contundes dictis, neque enim terra itala frustra
Eduxit tot te quondam docuitque per annos
Musarum studia illustres et Apollinis artes.
Hoc generis stirpisque tuae, quo clarior esses
Ornaresque pius lecheae nomina gentis,
Natalisque tui placuit superaddere famae.

[1] Sp. Andreas, episcop. laodicensis, suffraganus cracov., abbas mogilensis et wąchocensis. Royzius dignitatis ordine sacerdotes (vv. 188—234), professores academiae doctosque viros Cracoviae urbis dioecesisque (vv. 235—285) nominat.

[2] Ph. Padniewski tum temporis archidiaconus cracoviensis, a. 1559 vicecancellarius regni, a. 1560 episcopus premisliensis eodemque anno post sex menses episcopus cracoviensis.

[3] Petrus Myszkowski, paduanae academiae alumnus, qui tum in aula regis versabatur et aa. 1560—1566 cancellarius regni fuit. Coadiutor episc. plocensis factus est a. 1564, episcopus cracov. a. 1577.

Ecquid enim magnum est magna de stirpe profectum
Esse, tuae nisi quid laudis maioribus addas?
Volscius[1] hinc iustus, sollers Vargavius[2] inde
Et Starosrebius[3], quem docta Bononia multis
Artibus excoluit, patriae non ultima gentis
Laus, latios haud desertos patientur honores.
Et vos, Drevicii[4], haud segnes ad templa tuenda
Praecipiti properate gradu et succurrite sacris.
Tu, Petre Porembi,[5] vigiles non addere curas
Grande nefas duces pietas comprensaque toto
Pectore religio tantis te accurrere rebus
Cogent et placidos quandoque abrumpere somnos.
Martinum historias versantem saepe Cromerum[6]
Ad praesens revocabit opus tutela tot olim
Firmatae fidei ostentis et sanguine Divum.
Gorscius[7] Herbortusque valens[8] Ossoliniusque[9],
Tres acres doctique viri rerumque periti,
Dicere sive iuvat, seu posteritatis in omne

---

[1] Nicolaus Wolski 1559 episcopus chelmensis, 1562 culaviensis, obiit a. 1576.

[2] Raphael Wargawski, ad quem, aerarii praefecti munere fungentem, exstat Royzii carmen, quod vol. II inter minora proponam. Conf. Ossol. pg. 18 = Corn. 150.

[3] Adalbertus Starosrzebski, qui a. 1562 episcopus chelmensis et inde ab a. 1578 premisliensis fuit.

[4] Clarae inde a. saec. XV gentis armorum Ciołek. Conf. Ks. Bukowski, Dzieje reformacyi, I Kraków 1883, str. 198.

[5] Praepositus oświecimen. Ad quem exstat in Corn. pg. 84 sq. Royzii carmen, quod infra (vol. II) proponetur.

[6] Qui duobus annis ante suam Poloniam primum publicavit.

[7] Stanislaum Bogorya Gorski, tum canonicum cracoviensem, potius, quam Iacobum cracoviensis universitatis professorem, tangere videtur.

[8] Valentinus Herburt (Herborth), qui a. 1560 episcopus premisliensis factus ob. a. 1572. Epitheto „valens" ad nomen eius alludit R.

[9] Quemnam gentis celeberrimae in animo habeat, non liquet. Nam celeberrimus doctrina tum temporis Paulus Ossoliński, qui a. 1568 castellanus sandecensis, a. 1569 voinicensis factus est, quamquam ob moderatum prudentemque animum laudatur, fidei tamen evangelicae addictus fuisse traditur.

Ferre aevum late dulcis praeconia famae,
Illico delubris aderunt, — mora nulla, — tuendis.
Preslavi[1], studium, studium te distinet ingens,
Vithini; te Slomovi teque illa, Kiovi,
Cura premit. Secignovi Tarloque[2], priorum
Immemores nunquam patrum, et Corsbokia proles,
Quae vestra est pietas, procul impius exsulet error.
Sospitibus quibus haud Latio fiducia cedet.
Ecquid Ioannis Benedicti[3] in carmina promptas
Pieridas dicam vigilataque tempora vitae?
Phoebe, inventorum experiens ut et ille tuorum est!
Utque potens fatis prope functos reddere vitae!
Cui non ante ullos fuerit pietate ferendus.
Tu quid amyclei, Lanci[4], studiose Lycurgi?
Iurisconsulti pietas quid nota Krokeri?[5]
Quidve Sigismundus studiis Stezicius iisdem
Imbutus, quem non clamorem ad sidera tollet,
Acriter insectans elusos dogmate falso?
Vos quid, Strambosi Turobineque[6], doctus uterque

---

[1] Andreas, ni fallor, Przesławski, quem singulari carmine (Carm. 154 = Oss. 18) infra vol. II proponendo celebravit Royzius. Vithinius, Slomovius, Kiovius (Kij Simon = Scipio? Liber dil. 425 sq.), Secignovius, sacerdotes, aliunde mihi non innotuerunt.

[2] Paulus, tum decanus premisliensis, a. 1561 archiepiscopus leopolitanus factus obi. a. 1565.

[3] clari eo tempore in Polonia medici, c. a. 1530 professoris academiae cracoviensis, doctis de arte medica operibus carminibusque noti, qui postea clericali vitae se addixit et eo tempore, quo Royzius haec scripsit, iam ad summos ecclesiae honores ascendebat.

[4] Łącki Mathias, decanus łovicensis, complurium archiepiscoporum cancellarius, universitatis cracov. rector, obi. a. 1557. Mathiae Łącki et quae sequuntur usque ad v. 285 professorum academiae cracov. nomina, pleraque occurrunt in Libro diligentiarum (Cracov. 1886 edito), ad quem curiosos relego.

[5] Sine dubio clarus academiae cracoviensis professor atque iuris consultus, cuius mentionem facit Sebastianus Petricius in versione Aristotelis Politicorum.

[6] Ioannes Turobiński, iuris peritia notus, academiae cracoviensis professor et rector; obi. a. 1575. Cum Royzio amicitiae vinculis iunctus fuisse traditur.

Cecropiique Draconis amans iustique Solonis,
Bis senae et quicquid quondam cecinere tabellae,
Indeque quae nostrum prudentia fluxit ad aevum,
Haud passuri, audax iactet sua dogmata Saxo
Sarmatia in magna praesentibus amplius annis.
Hoc et Maricius[1], studiis insignis eisdem,
Quo doctore bonos artes tua, Sarmata, pubes
Coepit et ingenuas modo discere disciplinas,
Hoc sociique[2], docent qui urbi data iura Quirini,
Vanda ubi se victrix, verorum ignara Deorum,
Regina infelix, ob virginitatis honorem
Victima servatae medias abiecit in undas.
    Psonca quid o Thoma, quid Bricci, parvulus anguis
Cui dat cognomen[3]? Vestras advertite mentes,
Quodque pii fertis non ficto pectore numen,
Asserite et Romam dictis celebrate faventes.
Probocevicius[4], novit quo sidera nemo
Certius aut caeli motus venturaque fata,
Illeque, cui praestans Armena Sebastia[5] nomen
Indit, Aristotelis studiis atque artibus acer
Nec sacro minus eloquio, — et Bendorius aequus
Gentis amansqus suae et cultor, qui et nobilis arces
Cracoviae ad celsas pubem formare polonam
Artibus ingenuis et religione soletis,
Non has in partes abiistis, vana quibus gens
Veri capta furit mentisque insanit egena,

---

[1] Simon de Pilzno, professor rhetorices academiae cracoviensis iurisque peritus. Conf. mei libri, q. i. Royzyusz pg. 54, 5.

[2] scil. non sunt passuri.

[3] Garanus Briccius sive Briccius de Gara, Hungarus, academiae cracov. professor. Liber dilig. pg. 406.

[4] Petrus Proboszczowicz, academiae cracoviensis professor clarusque hoc tempore astrologus.

[5] Armĕna sive Armēna erat oppidum portusque prope Sinopem. Sed hoc loco agitur potius de Armenia Sebastia i. e. de urbe Armeniorum, Armenius autem mediam e habet brevem. Fortasse Armenia est scribendum et tribus syllabis efferendum. Ceterum, quemnam Sebastianum

Romanos exosa viros populumque fidelem.
Quin magna obnixi contra vi, vertere mentem
In melius iussos primas retrahetis ad aras,
Quos Teuton Latio antiquo et novus abstulit error.
Hic Novicampanus[1] tradendis artibus acer,
Optandus, patriae quem pannonis abstulit ora;
Decedens tamen eximii monumenta laboris
Non ullis olim saeclis peritura reliquit.
Andreas haud Patricius[2] sua clauserit ora:
Non calamis parcet, neque enim mutatus ab illo est,
Euganeas nuper qui doctus adiverat arces.
Quin maiora licet fasque est speremus: et aucta,
Quae vix augeri potuit, doctrina putanda est
Et pietas, quae illo fixa est in pectore semper.
Anne etiam Gelasinus[3] abest nec eum Itala tellus
Restituit nobis, cuius non addere quicquam
Ingenio potis est? Quin illum protinus ergo
Absque mora patriae iamdudum invisa remittit? —
Hic Zebridovium[4] sequitur longissimus ordo.
Proximus huic, placidos virtus cui vivida mores
Altius insevit, docto Droiovius[5] ore;

Aristotelicae philosophiae cultorem tangat (Wonsam de Cracovia?), incertum est. Professorem Academiae cracoviensis eum fuisse proxima declarant. Lib. dil. pg. 490.

[1] Albertus Nowopolski (Novicampianus), professor academiae cracoviensis, quem Sigismundus Augustus rex praeceptorem Ioanni Sigismundo, sororis filio, in Hungariam a. 1557 misit.

[2] Andreas Patricius Nidecki a. 1557 canonicus cracoviensis, philologiae antiquae studiis etiam extra Poloniae fines inclaruit. Scripsit de eo luculenter et accurate Cas. Morawski: A. Patrycy Nidecki, Crac. ed. 2.

[3] Nicolaus Gelasinus Leopolitanus, academiae cracoviensis professor, antiquitatis peritissimus, iuris utriusque doctor. Ab Ioanne Ocieski, magno regni cancellario, una cum eius nepote Raphaele Mostowski in Italiam missus est, unde a. 1557 propediem rediturum Roysius exspectare videtur.

[4] Andreas Zebrzydowski, tum (aa. 1551—1560) episcopus cracoviensis cuius nomine incipit v. 162 et claudit ordinem.

[5] Iam his versibus tangi a Royzio Ioannem, episcopum cuiaviensem, ordo rerum evincit.

Non temnendus et hic, quo se Cuiavia iactat
Pontifice [1]; haud ullis cedens maioribus aris.
Gloria et Andreas magnorum clarus avorum
Czarncovius [2], fama non inferiora secutus,
Excelsa vir mente, tuus, Posnania, praesul,
Consiliis aderit promptis et pectore toto,
Non passurus, eat retro, quae patribus olim
Religio fuit. Hoc tendens ad sidera palmas
Orat Vissocius [3] Corviqne verenda senectus,
Incumbens sacris studiis Chobenecius optat,
Ingenti et flagrans studio Cobilinus [4], ad aras
Et quicunque tuas, Varsovia dives, odorum
Tus adolent; et in his Petrus Ardziachovius aequi
Et iusti consultus, amans rectique bonique
Et constans; omnes pietas hos armat in hostem,
Masovios qui animis certatim ardentibus implent,
Masovios, fidei antiquae ritusque tenaces.
Impiger hic ultro Andreas Noscovius [5] addet
Se socium, gentis praesul, si qua ulla, tenacis
Antiqui ritus, non se quocunque ferentis,
Masoviae quae laude alias caput exserit omnes
Ante urbes: divesque viris et fertilis arvis
Plocia, quam praeter pleno fluit agmine flumen

---

[1] **Ioannes Korczak Drohojowski, episcopus cuiaviensis, haereticis tam commodus erat, ut semihaereticus appellaretur. Obi. a. 1557.**

[2] **Episcopus posnaniensis; frater germanus Petri, castellani posnaniensis. obi. a. 1562.**

[3] **Ioannes, abbas lendensis, canonicus cracoviensis cett., Sig. Augusti regis secretarius. Obi. a. 1560. Legatus ad Paulum IV et ad regem Neapol. Bonam sepeliendam curavit.**

[4] **Ni fallor, Christophorus Łodzia Kobyliński, poeta, qui in aula Ioannis Tarnovii, magni ducis Poloniae, versabatur. Nam clarior Andreas Glaber Cobylinus iam a. 1548 decessisse videtur. Ceterum hoc tempore plures etiam huius nominis docti viri inclaruerunt. Conf. Liber dilig. pg. 426.**

[5] **Noskowski, episcopus plocensis 1546—1567, pietate animoque benefico clarus. Hinc usque ad v. 328 proferuntur nomina sacerdotum dioec. plocensis.**

Istula, velivolo qua se infert proxima ponto,
Istula, navigio submotas quae educat urbes.
Ante alios praesul surgit Bilinius[1] omnes,
Artibus instructus sacris, Paulusque peritus
Iustitiae Mancolinius[2] iurisque, quod olim
Addidicit vigilans fixumque in pectore gestat.
Et tu, Glogovi, doctas cui Musa per artes
Ferre dedit sese rerumque arcana retexit,
Dictis, namque potes, latiam fer in aethera famam,
Quid docti valeant, ne ignoret Roma, Poloni.
Te quoque magna manet, Goslici[3], hoc fama secutum.
Rumpe moras, neque enim docuit te Scaevola frustra
Victoris populi sanctissima iura Quirini.
Quam nova sectetur nostri deliria saecli
Bartholomaeus, amat quo plus sacraria nemo,
Niscicius citius vitamque animamque profundat,
Quique alii largo tua, Plocia, templa vaporant
Ture Deumque colunt patrum de more Quiritum.
Non hic Dziadusius[4] iustus, Premislia, praesul
Et pius ille tuus, mihi praetereundus, et aequi
Et iusti consultus; eo non promptior alter
Sectari antiquos ritusque auferre novellos.
Uchani[5], nec te tacitum indictumque relinquam.
Quem labor exercet studiorum et nobilis oti,
Exosum resides animos et segnia corda, —
Doctorum patrone ingens quoque, doctus et ipse,
Doctus, quae priscis prudentia protulit annis,
Doctus et, aeterno quae debita sacra Tonanti; —
Quo poscit pietas, non ullo segnior ibis,

[1] sive Bieliński Iacobus, episcopus lacedaemonius, suffraganeus plocensis, Ioannis, episcopi Plocensis († 1546) frater natu maior.

[2] Conf. v. 706.

[3] Videtur esse Martinus Goślicki, ob iuris peritiam clarus Bonaeque reginae acceptus. Conf. Ossoliński, Wiad. hist. kryt. II.

[4] Ioannes Dziaduski, episcopus premisliensis aa. 1545—1559.

[5] Iacobus Uchański, ab a. 1552 episcopus chełmensis, a. 1557 episcopus cuiaviensis, a. 1562—1581 archiepiscopus gnesnensis.

Stet modo religio, prisco quae tradita saeclo est.
Ora Leonardus [1], sibi quem Camenecia lectum
Pontificem accepit, non infacunda resolvet,
Divorum et saevo sese feret obvius hosti.
Nec tua, Prerembi [2], pietas, nota omnibus, imis
Et quae animis immota manet sententia, nostro
Hortanda est versu: sese satis exserit ipsa,
Atque infesta malis, quae praesens prodidit aetas,
Dogmatis assurgit magno et stat robore contra,
Non cessura, mali in terris quodcumque ferendum est.
Hoc fratres et tota domus prerembia dicat;
Non aliud canit Andreas, qui nuper ab urbe
Euganea venit Musis et Apolline plenus.
Nec minus impigram sese Lituania contra
Tota feret, quicquid sacrorum est usque virorum.
Quos locus hic poscit. Tu, Valeriane [3], potenti
Qui Vilnae, his totis qua nulla celebrior oris
Urbs usquam est, praees et ritu moderaris avito,
Ipse tuas partes sacrasque tueberis aras.
Non se contineat, magno quin protinus ore
Albinus, praesul, Romam defendat et aras
Divorum, quas gens, terris invisa poloque,
Nequicquam tentat fundo convellere ab imo,
Impia commiscetque piis sacrisque profana.
Quid pietatis amans Iassinius omnis Iosephus? [4]
Qui patriam doctrina armat pubemque polonam
Mittit in Hesperiam, discendis artibus aptam,
Haud parcens opibus largus gazaeque repostae;
Auxilium veniens miro properabit amore.
Narcusiusque [5] pius, lituanae maxima gentis

---

[1] Leonardus Słonczewski, ex Miechovitarum congregatione. Conf. adnot. ad. v. 113 Carminis fun. in obitu Tarnovii.

[2] Ioannes Przerembski aa. 1557—1559 episcopus chelmensis, aa. 1559—1562 archiepiscopus gnesnensis.

[3] Valerianus Protaszewicz, aa. 1555—1579 episcopus vilnensis.

[4] Albertus Iassinius nominatur v. 912.

[5] Stanislaus Narkuski, tum temporis canonicus vilnensis.

Laus, qui splendorem non degener auxit avitum,
Musarum studia et praeclaras gnaviter artes
Adiciens generi et claris natalibus, unde
Ipse sibi et patriae meritos quaesivit honores.
Ut flagrat pietate, extrema per omnia ductam
Iampridem rem romanam fessamque premendo
Sublevet. Et, Bona tu ventura [1], quid egeris? Infer
Te mox Narcusio comitem; quibus obtigit una
Et patria atque fides, eadem quoque cura recurset
Incumbatque labor, sacratis debitus aris.
Nec tua, Narbuti, pietas notissima somnum
Carpere te aut placidae caput acclinare quieti
Motibus in tantis sinet: imperterritus hosti
Te oppones sanctamque feres super aethera Romam.
Aspice, ut adversum fidens fert pectus in hostem
Et dictis domet increpitans Gallinius ultro.
Magna et pars aderit Latii Macovicius unus,
Pectore qui toto fontes Aganippidos hausit;
Doctus et hic, rebus doctus succurrere fessis.[2]
Andrussevicio [3] non tardior usque recursat
Cura: dies istud secum noctesque volutat,
Antistes pius ac constans, nihil esse novandum;
Prisca sequamur ait nuperque reperta facessant.
Et tu, praeteritos referat cui Iuppiter annos [4],
Exactumve quod est, augendo duplicet aevum,
O utinam, memorande senex, quo Vornia nunquam
Praesule iactabit veteres, Lituania quo non
Sanctius omnis habet, Domanovi [5], quicquid ubique est
Usque virum, Divis adolent qui tura vocatis:

---

[1] Bonaventurae nomen Enniano illo more per tmesin distrahit.

[2] Inde a v. 353 usque ad v. 388 recensentur sacerdotes excellentes dioecesis vilnensis.

[3] Ioannes Andruszewicz, aa. 1544-1555 episcopus kiovensis, ab. a. 1555 episcopus luckensis.

[4] Verg. Aen. VIII, 560.

[5] Ioannes Domaniewski, episcopus Samogitiae sive vorniensis aa. 1555—1563.

Sis annis licet et senio gravis et tua tardet
Membra aevum, ad sacras nullus te impigrior aras:
Magna feres unus fidei momenta tuendae,
Sectari assuetus veterum vestigia patrum,
Virzcoviusque, suos canos virtutibus aequans,
Paulusque hoc agitans toto Iamontius unum
Pectore, ne pia quam capiat Samogitia labem:
— Addidit hoc munus praesul Domanovius illi,
Est cui nota viri pietas et vivida virtus.
Hinc Victorinus cycni Virbicius[1] instar,
Roma, tuas dulci cantabit carmine laudes.
Inde bonus numeris pulchraque Machaonis arte
Petcunius[2], Musas certans superare canendo
Et plectro Phoebum, tollet super aethera nomen
Romanum latiumque Iovem tuaque, Albula, fana.
Urit Ioannem torquetque ea cura Sciurum,
Dum libros versat sacros noctuque diuque[3],
Unde laboranti possit succurrere Romae.
Grendius hunc iuxta populumque formatque docetque,
Sontibus ostentans styga, laeta insontibus astra.
Laudeque digna sua est altaria nota tenentis
Dextera Cervini[4], non inficianda, fidelis.—
Mednicius[5] praesul contra his comitantibus ibit.
Antistes se addet non annis Pacius[6] iisdem,
At pietate tamen iuxta spectandus eadem,
Ante annos maturus; idem, quod cuique piorum,
Propositum est, omne in terris discrimen adire,

[1] Wierzbicki, qui post a. 1563 episcopus Samogitiae et inde ab a. 1566 episcopus Luckensis fuit.

[2] Qui vulgo Pietkiewicz (Piętkiewicz) dicitur. Circa a. 1566 episcopus Samogitiae factus obi. a. 1574.

[3] Horat. A. p. v. 268 sq.

[4] Conf. ad eum Roysii carmina in vol. II proposita. Erat tum canonicus vorniensis sive mednicius.

[5] Mednicius praesul sc. Domanovius. Hoc loco clauditur ordo sacerdotum Samogitiae.

[6] Videtur esse Nicolaus Pac, qui a. 1564 episcopus Kioviensis electus a fide Romana defecit.

Ante suos quam delubris patiatur honores
Auferri instituive novos insuetave sacra.
Non illaudatos ulli nec Prussia segnes
Pontifices sortita: tuus si, Varmia, praesul
Prodierit, superesse nihil, quo vincat, agendum
Roma putem; sat erit multis pro milibus unus,
Seu sumat calamos Hosius[1] sive ora recludat.
Doctrina ac studio praestans nec moribus idem
Vitave inferior iustique peritus et aequi.
Hannovi, Kempa, Eustachi, vos carmine iungam,
Quos studium iunxit pietatis et ardua virtus
Varmiaque Aonidum cultrix urbisque Quirini,
Flagrantes miro notae pietatis amore.
Ferte Hosio, debetis, opem studiisque volentes
Iungite vos, hostis iamdudum terga prementi.
Res quoque Romanas antiquaque sacra secutus
Antistes Lubodecius,[2] quo Culma beata est,
Mente aderit promptus latiumque ad sidera nomen
Ore pio feret et meritos defendet honores.
Hi tibi pontifices, Lipomane, ardentibus ibunt
Auxilio studiis, ultro tua coepta sequentes[3].

Nec quos bella iuvant et martius excitat hostem
Contra amor, ac positis stragem late edere castris,
Laus quibus est patrii et fines producere regni,
Iussa exspectabunt resides aderuntque volentes.
Ille pater patriae belloque imperdita virtus,
Cuius fama ingens, nullis delebilis annis,
Excedens terris, caput inter nubila condit,
Tarnovius[4], terris alius iam partus Achilles

---

[1] Stanislaus Hosius episcopus varmiensis aa. 1551—1579, a. 1561 cardinalis dignitate ornatus.

[2] Ioannes Lubodzieski aa. 1551—1562.

[3] Clauditur ordo praesulum sacerdotumque regni Poloniae.

[4] Ioannes, castellanus cracoviensis, summus regni Poloniae imperator, de quo confer carmen funebre in eius obitu pg. 126 sqq.

Sarmaticus terrorque hostis, — qui hinc plurimus atque [hinc
Est circum, metuensque senem, sua continet arma, —
Primus erit, quem mox septem-plaga tota trionis
Prona sequens, Latio antiquos instauret honores.
Hic nuper sese numeris adversa sequentum
Asscriptum indoluit tantaque infrenduit ira,
Ablatis quanta catulis lactentibus ursa
Sive leaena nemus fertur violenta per altum,
Pastoris si qua apparent, vestigia servans,
Qui dulces rapuit fetus et pignora cara,
Ore truci quem dilaceret fero et exsecet[1] ungui.
Sic nomen famamque suam traducier heros
Tarnovius fremit et vix se non vindicat armis[2].
Exemplum illustris pietatemque inclita proles
Sectatura[3] patris, teneris ut iunior annis
Tarnovius[4] docet, aetatem se pectore supra
Attollens toto, regis qualem aula Quiritum
Eduxit patri et patriae, non turbida rerum
Dogmata sacrarum malesuadave verba secutum.
Illustrisque Stanislaus Tancinius[5] adsit,
Deliciae humani generis, decor omnis amorque,
Quo non sarmaticis quicquam est augustius oris.
Hic patri similis, quamvis maiora secutus,
Gracche, tuo in solio, non dissimulator, apertum
Fert pectus prisca plenum pietate. Sed idem
Exosus, quos non bene Thybridis abluit unda,
Mores ac dignam poenis et carcere vitam:
Cetera Romanus, fidei observator avitae.

[1] Fortasse: „enecet".
[2] Conf. meae dissert. q. i. Royzyusz, pg. 100 = 60. Ceterum R. respicere hoc loco videtur A. Tricesii carminis a. 1556 Regiomontii editi v. 117 sqq. (Conf. Ks. Bukowski, Dzieje reformacyi, I, Kraków 1883, pg. 691 sq.).
[3] scil. „est".
[4] Ioannes Christophorus, castellanus voinicensis, obi. a. 1567. Educabatur circa a. 1546 in aula Ferdinandi I, tum romani regis.
[5] Castellanus leopolitanus, palatinus cracoviensis, obi. a. 1568.

Quae Petri cymbam exagitant toto aequore frustra,
Non formidatae nautis nec saxa Maleae,
Nec Libyae Syrtes metuentem aut Cycladas, aequor
Per vastum sparsas, siculive pericla profundi,
Immites Scyllas implacatasque Charybdes.
Prisca placet pietas antiquaque sacra Quiritum.
Hoc animis aderunt complexi et pectore toto
Iloviusque[1] audax et cedere nescia virtus.
Lawscius[2] hunc iuxta iuxtaque Sieprcius[3], ambo
Antiqua probitate viri, non fallere docti,
Sed Divos colere et Superis sacra ferre vocatis.
Praetereundus erit mihi non Dzialinius[4], olim,
Heu, malus adversas quem sollicitaverat hostis
In partes, hoc non alius nec firmior usquam,
Nec constans magis, aut Divum reverentior ullus.
Petrus Czarncovius proceres fortissimus inter,
Quo castellano Posnania praeside gaudet,
Asseret hic et romanos non segnis honores.
Inque mora excultus studiis Maceovius[5] ulla
Non erit, eloquio magnum qui Nestora vincat
Oreque facundum possit superare Periclem,
Insideat labris quamvis Suadela Periclis.
Missus ab Augusto hic nuper tua limina, Paule,
Servo Dei servorum, adiit tenuitque precando,
Alleges, qui dispersas lateque vagantes
Palantesque reducat oves, mala gramina pastas,
Agnoscatque unum et repetat grex omnis ovile.

---

[1] Alexander, palatinus plocensis an. 1555—1560.

[2] Conf. v. 779. Respicere videtur Stanislaum Ławski, palatinum masoviensem et viceregentem. (Niesiecki-Bobr. Herb. VI, 223).

[3] Fortasse Andreas Sierpski sive Sieprski, palatinus ravensis.

[4] Ioannes Działyński, tum palatinus chełmensis, inter fratres suos clarissimus.

[5] Stanislaus, Samuelis, episcopi cracov., frater, castellanus sandomiriensis, marschalcus aulae regiae, eloquentia clarus. Legati ad Paulum IV munere functus est a. 1556. Conf. ks. Bukowski, Dzieje reformacyi II pg. 316 sq.; 361; 387.

Et te, Conari[1], conari credere contra
Difficile est, tua nam probitas perspectaque virtus,
Priscorum observans morum, diversa probare
Non suadet prolesque sacris iam dedita templis[2].
Cretcovi[3], quid tu, rebus prope nate gerendis?
Quid tu, Prerembi, quo se Siradia iactat,
In quo et virtutem et morem miratur avitum?
Inducti pravis haud religionibus estis.
Non, Iacobe, tibi, Lassoci[4], carmina possunt
Ulla satis laudum cumulum recitare tuarum.
Unus enim, famae si quicquam credere fas est,
Praeclarae gentisque tuae fratrumque tuorum,
Qui romana colat servetque altaria, restas.
Herbortus[5], patrii vir consultissimus unus
Iuris atque aequi, pietate insignis avisque
Stirpeque maiorum generosa et grandibus ausis;
Ampla vetusque domus nostro Buczacius[6] aevo
Et Zebridovius[7], nomen qui a flore decorum
Accepit, patrii consultus iuris et ipse,
Et quoque, Teuto, tui, non impietatis et arae;
Qui et Vilcanovium constantem Ocunius[8], aulae

---

[1] Videtur tangere Georgium Konarski, castellanum calissiensem, Ioannis. episcopi cracoviensis, fratris filium.

[2] Adamus, canonicus cracov., a. 1562 episcopus posnaniensis factus.

[3] Erasmus Kretkowski, castellanus gnesnensis, quem etiam Io. Cochanovius in eppigrammatis celebrat.

[4] I. Lassocki erat castellanus lenciciensis; fratres autem eius, Christophorus et Stanislaus (?), in novatorum fidei castra transierunt.

[5] Iacobus, frater Valentini, episcopi premisliens., legum peritia clarus.

[6] Si verum est, quod Bielski (Enc. pow. IV, 540) refert, cum Iacobo Buczacki, episcopo plocensi, a. 1541 exstinctam esse Buczaciorum virilem stirpem, familiamque Tworowski, ex sorore episcopi genitam, et bona et nomen Buczaciorum accepisse, ex ea nova familia et noster Buczacius est.

[7] Florianus Zebrzydowski, castellanus lublinensis, dux aulae regni (hetm. nadw. koronny), robus bellicis clarus, iuris litterarumque peritus.

[8] Videtur esse ille Okuń, aulae Sigismundi Augusti regis praefectus (ochmistrz), cuius filius Christophorus, quae de Sigismundo Augusto a patre acceperat, carmine (Chwały Zygmunta Augusta króla) Cracoviae a. 1600 publicavit (Sobieszczański, Enc. pow. XIX, 835).

Splendor honorque olim, sequitur, iurisque peritus
Dembinius[1], magni pars non postrema senatus,
Doctus amicitias colere et tua sacra, Quirine:
Avelli antiquis non se patiantur ab aris.
Ampla domus tua quod, Mielecі[2], his nobilis oris,
Amplior et fidei studio, tibi suadet, id esto
Et Romae infestum depellas finibus hostem.
Tu et, Gabriel Tarlo[3], belli simulacra ciere
Gnarus et in media proludere doctus arena,
Ac martem dictis accendere promptus et hasta;
Albertusque animis non inferiora secutus,
Clarus imaginibus maiorum et laude suorum
Czarncovius[4], mitesque ferens in pectore sensus
Lozenius, qui et maiorum vestigia servans
Se stabili ingenio priscis Sieninius aequat,
Noxius et nulli Comorovius, atque peritus
Sarmatici iuris Gomolinius[5], ampla vetusque
Et stirps et pietas omni Samotulius[6] aevo:
Pro latia opponent se religione volentes.
Nobilis et tua, Cretcovi[7], notissima virtus
Atque fides — aequique bonique haud Lancius[8] artis

[1] Dembiński Valens, tum castellanus sandecensis, inde ab a. 1562 vicethesaurarius regni, ab a. 1564 magnus regni cancellarius.

[2] Videtur esse Nicolaus, Ioannis, quem v. 525 laudavit poeta, filius, qui postea palatinus Podoliae et magnus dux exercituum regni fuit.

[3] G. Tarło, magister aulae Catharinae reginae, capitaneus chelmensis. (Górnicki, Dzieje.... pg. 40 T.)

[4] Videtur esse Albertus Czarnkowski, aulicus, et tum secretarius regis, qui postea castellanus sremensis et generalis dux Magnae Poloniae factus est. Alter Albertus Czarnkowski eodem tempore capitaneus costensis fuit.

[5] Fortasse Florianus Sarius Gomoliński, succamerarius siradiensis, qui anno 1598 marschalcus comitiorum Varsoviam convocatorum fuit. De Sieniniorum gente conf. Ks. Bukowski, Hist. ref. I, pg. 252 sqq.

[6] Venceslaus Samotuliensis, clarus eo tempore musicus iurisque professor in academia cracoviensi (?).

[7] Conf. v. 570.

[8] Fortasse Mathias Łącki, canonicus cracoviensis, rector academiae cracov., qui ipso a. 1557 mortuus est.

Ignarus, sese numeris properantibus addunt.
Lobodii probitas, probitas laudanda Dunini
Sczavinique tua et Nadarini[1] sidera pulsant.
In regem tua sit constantia quanta fidesque,
Repperit immitis Moschus doluitque repertum,
Iesovi:[2] saevo cruciatu haud solvere linguam
In commissa tibi potuere arcana fidelem
Crudeles hostes. Regi, qui regnat ad arcton
Imperiisque potens septem-tenet arva trionis,
Sic fidus servis; colitur, cui militat orbis,
Cui terrae plaga, cui pontus, cui grandis Olympus.
Quacque iacet regio in poenas Acheronte sub imo,
A te, Iesovi, non socius aethereus Rex.
Et tua progenies, italis Nicolaus in oris
Palladis armisonae studiis excultus et arte,
Atque manu promptus sumptisque Georgius armis,
Ultimus et partus non sunt diversa secuti.
Garvasi, evasit pietas tua nota, tetendit
Quos Saxo laqueos, nec te malus abstulit auceps.
Non Varsovicio pietate insignior alter
Est patre[3], non nato[4], quo deductore relictis
Argolicae musae in Latium migrastis Athenis,
Et iuvat ore loqui romano et bella sonare
Saeculaque aeternam chartis transmittere famam.
Inde Sieprcius[5], eloquioque Uchania[6] proles

---

[1] Nadarzyński.

[2] Georgius Jeżowski, quem a Sigismundo I rege ad Moschos legatum missum, a Moschorum imperatore, qui Iessovio quaedam clandestina mandata a rege ad Michaelem Gliński commissa esse suspicatus esset, frustra crudeliter excruciatum esse, ut arcana proderet, narrat etiam Martinus Bielski.

[3] Ioanne, castellano varsoviensi.

[4] Christophoro, canonico cracoviensi, orationibus et carminibus claro.

[5] Fortasse Albertus Serpcius (Sierpski), antiquarum litterarum professor in academia cracov.

[6] Praeter Iacobum, tum chełmensem episcopum, qui a. 1562 archiepiscopus gnesnensis factus est, notus est eius frater Paulus, palatinus bełzensis.

Ingenioque acris, virtusque probata Rusoci[1],
Dzirgoviusque[2] aevo florens laetusque iuventa,
Ante annos maturus; et olim splendidus aulae
Cultor, romanae at semper Conapacius[3] urbis:
A nobis stabunt animis constantibus omnes.
Costcaque[4], quem patriae sacra caesaris aula remisit
Imbutum multa pietate et moris amantem
Romani, tua non abeuntem in dogmata, Saxo.
Et bonus eloquio fandoque Ociescius[5] acer,
Quo vult cunque animos dicendo flectere doctus,
Pontificum defendet opes atque asseret astris.
Ipsa suum sileat Ciceronem martia Roma:
Graecia nec iactet facunda Demosthenis ora.
Maior utroque hic est, huic non aequandus uterque.
Ante retro praeceps versis fluet Albula lymphis
Aut fessus medio consistet Phoebus Olympo,
Auroraeve petet mutato litora cursu,
Quam pro aliis linquat latias Ociescius aras.
Non Trebuchovium[6] sileam, quamquam ille silendo
Plura potest nutuque aliis, qui plurima fando
Magna putant de se nimirum et posse videntur
Magna, olim placeat quascunque accedere partes.
Non ulli nostri est ingrata licentia saecli
Scilicet, aut invisa magis, studiumque novandi
Discors et suadet quodcunque insana libido,
Inque insueta ruens praeceps, temerarius ardor.
Mite viro ingenium est et laedere nescia virtus.

---

[1] Fortasse idem, qui a. 1563 una cum Gabriele Grabowiecki legati ad Danino regem munere fungebatur. Conf. v. 787.

[2] Praeter Nicolaum Dzierzgowski, archiepiscopum gnesnensem, noti sunt eodem tempore Augustus, sochaczoviensis, et Ioannes, livoniensis castellanus.

[3] potius Konopacius.

[4] Aut Ioannes, palatinus sandomiriensis, castellanus gedanensis, aut Stanislaus, succamerarius chełmensis.

[5] Ioannes Ocieski, inde ab a. 1552 magnus regni cancellarius.

[6] Nicolaus Trzebuchowski, castellanus gnesnensis, cuius nuptias singulari carmine Royzius celebravit. Conf. pg. 80 sqq.

Prisca Sigismundus nuper Ligenza[1] repertis
Ante tulit semper, levibus nec percitus auris
In nova sacra venit, notis submotus ab aris.
Augustus caesar qualem, Nicolae, remisit
Te, Lasci, talem aspicimus talemque videre
Sarmata gaudet ovans. Artes didicisse gradivi
Armisoni iuvit magni victoris in aula,
Heroasque inter primam formasse iuventam,
Arma inter media ac undantes sanguine campos,
Non emollitum choreis dulcique lyaeo.
Vixisti pius in castris, quae maxima laus est,
Nulla viris est si pietas, qui castra sequuntur.
Mens eadem perstatque tibi perstabit et usque.
Non et Coricius complexu avulsus Iesu est,
Aut, nova sectatus nostri deliria saecli,
Deseruit prima didicit quae sacra iuventa.
Moreque romano sanctum prece numen adorat,
Cui Deus inspiratque animos et pectora, Volscus[2].
Lenci,[3] eadem tibi mens, eadem reverentia Divum.
Antiquis sese pietate Vapovius[4] aequat.
Ut primam nuper multa cum laude iuventam
Pubentesque annos Italis transegit in oris,
Nunc quoque succedens aeque pius exigit aevum
In patria, haudquaquam priscorum oblitus avorum.
Ille, bonas omnes coluit qui sedulus artes,
Masoviae decus et regalis Crissius[5] aulae
Splendor honorque, acer fidei defensor avitae

[1] Sig. Ligenza erat pincerna regius, capitaneus leopolitanus, krzepicensis ac tyszowicensis; obi. a. 1559.

[2] Ni fallor: Petrus Duninus Wolski, tum aulicus regius, a. 1576 magnus regni cancellarius episcopusque premisliensis factus. In ed. pr. falso legitur „Vuloscus".

[3] Conf. supra v. 235. Quamquam hoc loco Lęcki, non Łącki nuncupatur.

[4] Fortasse Andreas Wapowski, castellanus premisliensis, qui a. 1573 a Samuelo Zborowski vulneratus decessit.

[5] Kryski, aut Albertus, philosophiae iurisque peritus, aut potius frater eius Stanislaus, palatinus Masoviae. Albertus erat aulicus regius, sed incertum est, vixeritne adhuc a. 1557 necne.

Non deerit magnisque premet conatibus hostem.
Nec mora, pro sacris quin sese Antonius aris
Opponat Mora[1]. Scit, quae sit constantia gentis
Hispanae, genus unde illi est et stirpis origo,
Laetus ubi domino campos Bonaventus apertos
Prospectat late, gemino circumdatus amne,
Antoni, tua, Pimentel, ceu regia, sedes,
Pimentel[2], quo sol medio declivis olympo,
Oceano rediens meliorem haud aspicit ullum,
Insignemve magis factis, animove priorem
Regali, cui non omnis, quam possidet orbis,
Gaza sat est: sic nunquam[3] satiata profundit
Largiturque manus; quo sese Hispania iactat,
Illustrata tuis opibus gestisque superbis.
Et quem piscosi genuerunt moenia Bari,
Fanellus scopulo similis stat firmus et haeret
Immotus, non se huc agitans, non turbidus illuc.
Explicet ingenium et quos condit pectore sensus
Cultus Adam, nostris notus Conarius[4] annis:
Mathias Mancolinius[5] sua et ipse recludat
Illa animis bona, quae fixit natura fovetque,
Ipseque non deses studio illustravit honesto:
Romula se miris attollet gloria rebus.
Scassevios[6] ego quid referam, quorum altius haeret
Religio defixa animis, quam mota refigi
Ut, fingant quae homines, ullis queat argumentis.
Masoviae gentem agnoscas. Sieminius annis

[1] Nomen Morae insigneque gentilicium eiusdem nominis retinent aliquot familiae etiam nunc adiectis cognominibus polonis.

[2] Comma reposui post „amne", „tua", „sedes" et post alterum „Pimentel", putavi enim Bonaventi voce bona, sedem domumque patriam Antonii significari, „Pimentel" cognomen gentis esse. In edit. pr. post „amne" punctum exstat, cetera commata desiderantur.

[3] Post „nunquam" fortasse „etenim" excidit.

[4] Conf. v. 568 sq.

[5] Conf. v. 315.

[6] Exstant minora Royzii carmina ad Scassevium scripta, quae vol. II proponentur.

Caniticque verendus homo, nec noxius ulli,
Illa senex servat, prima quae aetate probavit.
Hos inter medius divino flamine plenus
Extemplo Lucas,[1] gentis lux clara polonae,
Quem magna accendit sacrarum gloria rerum,
Lucas, quo his terris non est praestantior alter
Ore ciere viros animosque attollere caelo —
Infensum tundet romanis moenibus hostem.
Quaequae amens animi, furiisque agitatus et oestro
Multorum passim diffudit in ora Lutherus,
Ille, levem tamquam lampas phoebea pruinam
Exoriens caelo tenues dissolvit in auras,
Dissipet et tenebris illata luce fugatis,
Sarmata, compellet dictis, mentem exuat istam,
Qua in sese ignarus divinas aggerat iras.
Quaeque sacra, obliti saecli melioris, avita,
Mutavere novis, eadem mox sponte resumant.
Picariusque[2] aderit, trifidi qui fulminis instar
Oppositas moles romanisque arcibus arces
Obiectas ruat et magna defendat opum vi
Sacrarum salvis tiberina sacraria rebus.
Proximus his Benedictus erit benedoctos et ipse
Cosminius,[3] Phoebi cui cura novemque sororum
Haud postrema sedet, divinis quae addita chartis
Extulit ingenium terris et fixit Olympo.
Carncovii[4] nec nos cepere oblivia, iuris
Consulti atque aequi, studiis qui paene relictis,
Papiniane, tuis totum sese abdidit altis
Sacrorum libris et in illis sudat et alget.

---

[1] Lucam Górnicki, celeberrimum scriptorem, tangit.

[2] Clarus aulae regiae contionator. Conf. carmen ad eum scriptum vol. II.

[3] Benedictus de Koźmin, litterarum antiquarum in academia cracoviensi clarus professor. Obi. a. 1559.

[4] Stanislaus Karnkowski, Royzii in academia cracoviensi inter a. 1548 et 1553 discipulus, qui aliquot annis ante a. 1557 doctor sacrorum canonum in academia perusiana creatus, ad summos in ecclesia polona honores capessendos se praeparabat. Nam a. 1567 episcopus cuiaviensis, a. 1581 archiepiscopus gnesnensis factus est.

Hic Augustinus, Phoebi nova fama, Rotundus [1]
Occurrit, numeris nostris et carmine maior,
Vilna, tuus praetor; regalis conscius idem
Arcani; non hoc maiore accedere nixu
Quemquam successuve putem tam posse secundo
Arcto sub gelida latium defendere nomen.
Ipse recludat opes quaeque alto pectore condit,
Sensa modo, et paulum clamosis litibus aurem
Subtrahat: ingenium gentis mirabere Lechi
Et sapere Hesperiam solam, Lipomane, negabis.
Et vos, Borusci et Nicolai Petre [2], licebit
Carmine coniungam, quos iungit cura salusque
Augusti regis, quorum sibi munere certum
Promittit senium longaevaque tempora vitae.
Docta manus quibus accedit felixque medendo
Francisci Nascymbeni. Tribus una fidesque est
Unaque romuleis reverentia debita sacris.
Nec Bonaventura ab ritu Gardanus avito
Discessit, doctus nostraque aetate Machaon.
Qui et nuper linquens Albertus Saxonis aulam
Cracoviae repetivit agros et moenia laeta,
Docta machaoniae manus artis et alta viri mens
Atque eadem pia, nostra novos quos parturit aetas
Exosi ritus et tot variantia sacra.
Quid Simossarci, quid de pietate, Garbovi,
Vestra ego commemorem, studium quibus astra polusque
Et caeli motus gravibusque occurrere morbis?
Quo ritu sacrisque quibus teneatur et aris
Sive Stanislaus, seu Petrus Barzius [3], ambo
Insignes dignique. Eduxit Gallia primum,
Gallia romanae fidei certissima cultrix;
Inde licet discas, pietatem iis imbibit oris.
Alter in Ausonia primos formaverat annos
Artibus ingenuis patriamque reversus ad arcton.

[1] De quo conf. dissert meae, quae i. Royzyusz pg. 50 = 90.
[2] Apparet regios esse medicos.
[3] Exstant singularia ad Barzios scripta a Royzio carmina. Conf. vol. II.

Cum fratre aequali aspicimus se laude ferentem
Maioresque suos superare et vincere niti.
De vobis quid ego referam, duo, Lavscia[1] proles,
Germani? fusco quos ut natura colore
Tinxit, sic eadem pectus candore nivali
Infecit studiisque favens implevit honestis.
Te, Crizanovi, capiunt vix carmina nostra,
Eductum studiis musarum. Adversa secutus
Sis licet ante, tuos scio non admittere sensus,
Quae non romuleus docet observatque senatus.
Non Grabovicius[2] nobis indictus abibit,
Ingenium cuius doctas formavit ad artes
Dulceque musarum studium natura, melosque
Insevit labris et amoenos Suada lepores.
Nec te transierim, Stascovi, romula nuper
Temnentem sacra, saxonicus quo te impulit error
Ignarum primaeque incautum ardore iuventae.
Talis eras; at nunc ad pristina sacra reversus
Et, male qui tenuit te quondam, errore relicto,
Tam cultor Romae es, quam Thybridis accola nullus.
Et tu, Podosci,[3] propera Patavique penates
Linque volens, Graium fugiens ubi maximus arma
Condidit Antenor cineres atque ossa sepulcro.[4]
Adde tibi socios, quos tecum laeta sororum
Pieridum studia exercent et Apollinis artes.
Ferte, viri, patriae pro vestra quisque virili,
Altrici, quam poscit, opem; succurrite templis,
Maiorum gaza exstructis opibusque piorum.
Paule, tuam, Cossobuci, Varsovia laudem

---

[1] Conf. v. 547. In edit. excusum est „Lavuscia".

[2] Gabryel Grzymała Grabowiecki, capitaneus mlaviensis, secretarius regis, qui una cum Rusocki, castellano naklensi a Sigismundo Augusto a. 1563 ad regem Daniae missus inter utrumque regem foedus conciliavit.

[3] Lucas Podoski, canonicus cracoviensis, praepositus gnesnensis et secretarius regis a. 1558. Legati ad externos reges munere saepe prospere functus est.

[4] Patavii secundum vulgatam antiquitatis famam.

[illegible]

Nec [illegible]
Transierunt [illegible]
[illegible] in magna [illegible]
Clarus [illegible]
Ad unitam [illegible]
Romanae [illegible]

[1] [illegible] nihil [illegible]

[2] Exstat [illegible]

[3] Quoniam tamen [illegible]

[4] Ioannes [illegible] Iacobus Lassocki erat tum [illegible]

Chelmicius, ritus prisci observator uterque,
Quem sibi, quem natis serisque nepotibus olim
Proponunt, quicquid deliret Saxo, colendum.
Sandivoia nefas ait ingens Zelscius[1] aris
Desertis, Romane, tuis nova quaerere fana.
Hoc suboles, hoc tota domus cum laude secuta est.
Atque fide cedens haud Rokitnicius ulli,
Idem animis acer sumptisque interritus armis.[2]
Et vos, Glovini Vithcovique illa secuti,
Quae vestri coluere patres, Orloviaque audax
Progenies, quam Mavortis pulcherrima duri
Exercent studia, haud cantus mollesque choreae.
Et dextra promptus Iancovius inde, nec ullas
Qui praeter latias scit Nassegnevius aras —
Mocoviusque acer simul Ostrovicius, armis
Gaudentes animisque et telis currere in hostem.
Ignati, qua sese effert Siczovia tellus
Progenie, nec mens friget tua, docte iuventae,
Ignati, moderator, amans pietatis et idem
Non templi aut olim fidei desertor avitae.
Cracovia, urbani constantia summa senatus
Nota tui est, fidei merito quem dixero nostrae
Custodem magnam; si quisquam est ordinis eius,
Bartholomaeus habet laudem partemque Cromerus,
Iustitiae consultus homo consultus et aequi.
Ad proceres clara et Lituaniae nomina gentis
Nostra gradum fert Musa volens festinaque pergit.
Hic nobis fueras, heros Radivile,[3] canendus,
Olica quo gaudet duce, quo Nesuisia tellus
Exsultat tantoque adeo se iactat alumno,
Clara, sed immiti septem-subiecta trioni

[1] Zelski Sędziwój tum castellanus dobrinensis fuisse videtur (Niesiecki-Bobr. Herb. 153 sq.).
[2] scil. hoc secutus est.
[3] Conf de eodem, quae scripsi huius vol. pg. 72, et minora II vol. carmina ad eundem scripta.

Terra, viris armisque potens studiisque Gradivi.
Hic te poscebat locus. At quid tempora rerum
Non mutant? Te nemo virum, quos viderit aetas
Nostra, magis coluit romanam aut sanctius aram.
Detractae collo torques Divisque dicatae,
Qui fueris, Radivile, docent. Nunc te abstulit, eheu,
Nescio quod Latio et nobis male numen amicum.
Noster eras: si nostra valent quid tura precesque,
Noster eris gressusque feres in limen ovilis
Antiqui referesque tuos, quo sancta parentum
Te duxit pietas et nunc vocat inclita Roma.
Quid pius Oscicius[1] lituani magna senatus
Pars, Radivilorum genus alto a sanguine ducens[2],
Dives opum variarum, at sese hoc ditior ipso,
Quod stabiles animos immotaque pectora gestat
Addictusque novis non religionibus ullis,
Divum sacra colit maiorum more suorum.
Notus hic est, Lipomane, tibi vir notaque virtus
Illius et pietas. At quam nunc notior esset,
Convivii exhibitos esses si passus honores,
Et, tibi quod munus gentis de more pararat,
Non aversatus nuper, Lipomane, fuisses.
Omnis stet contra quamvis Lituania, priscae
Usque tenax fidei, nolitque agnoscere nomen
Romanum antiquum terris capitoliaque alta:
Magnanimum audierit Radivilum[3], solverit ora
Trociacae ductor gentis, — quem Livo superbus
Formidat trepidans, in se iusta arma ferentem:
Formidet victusque fleat! — sua solverit ora

[1] Aut Nicolaus, capitaneus rzeżycensis et krevensis (+ 1560), aut frater eius Georgius, qui a. 1565 capitaneus braclaviensis, a 1566 palatinus mstislaviensis, a. 1578 palatinus smolenscensis fuit. (Boniecki, Poczet rodów pg. 227 sq.)

[2] Non Oscicii (Ostik, Ościk, Ościkowicz) a Radivilis, sed ipsi Radivili ab Osciciorum antiqua gente originem ducebant.

[3] Nicolaum Radivilum Rufum, ducem in Birże et Dubinki, celebrat, qui tamen et ipse a. 1562 Calvini doctrinae se addixit. Conf. vol. II carmina ad eundem spectantia.

Eloquioque tonet pro Roma: protinus omnes
Romanumque colent nomen capitoliaque alta.
Heros facundus tantum valet ille loquendo,
Unius et pietas potis est tot flectere corda.
Hic, Lipomane, tibi centum pro milibus esto.
Dux et Sbaracius,[1] praeclaro sanguine cretus,
Vithevii ductor populi, quoque noster et ipse est,
Inventisque novis haudquaquam accommodat aures,
Assuetus priscis, quae mente recondidit alta.
Clarus avis, atavis stirpisque haud degener altae
Kiska[2] suae, tota[3] late quae nota sub arcto est,
Praelibata sacro qui praebet pocula regi,
Augusto regi fidus, non impia fana est
Pro templis, Romane, tuis orisque secutus.
Non, Alberte, tibi, Iassini,[4] pristina Divum
Religio, gestas ima quam mente repostam,
Excidit aut olim pulsa ullis excidet annis.
Nec Venceslaum Nicolai nostra silebit
Calliope, excultumque virum et pietatis amantem.
Quem nullae excitae nuper movere procellae
Priscorum a patrum ritu. Maturus et aevi
Novicius[5] paribus studiis pietateque nomen
Romanum colit et templis indicit honores.
Hoc et Ioannes, maiorum haud degener Haico,[6]
Observans sequitur vestigia nota suorum.

---

[1] Videtur esse Stephanus, dux in Zbaraż, palatinus witebscensis, rebus bellicis prudentiaque clarus.

[2] Nicolaus, Petri, castellani trocensis et capitanei samogitiensis, filius, qui a. 1554 dapifer, a. 1556 pincerna (podczaszy) lituanicus, a. 1569 palatinus Podlachiae fuit. (Boniecki, Poczet r. pg. 128).

[3] Edit. „toto".

[4] Adalbertus Iasioński erat tum archimagirus Lituaniae, anno vero post factus est capitaneus uspolensis atque penianensis. (Boniecki, Poczet... pg. 106.).

[5] Ioannes Andreae, ni fallor, Nowicki, praefectus vilnensis aa. 1552—1558. (Boniecki, Poczet... pg. 213.).

[6] Ioannes Nicolai Haico, tum magister stabuli grodnensis et aulicus regius. (Boniecki, Poczet.. pg. 69).

Omnis et intonso gaudens Samogitia crine,
Si qua alia est, latii est observantissima cultus
Natio, priscorumque sequens vestigia patrum.
Quas olim accepit pia, ritibus haeret in iisdem.
Omne Stanislaus Ianussevicius aevum
Hac degit tenus et sacris exegit in iisdem.
Non aliud, quicquid Lachesi de vellere nendum
Restat adhuc, noto quondam assuetoque relicto,
Ingressurus iter, non religionis avitae
Paenitet, haud quicquam, matris quod carpere Romae
Possit, habet; quin illi uni submittere tutum
Mente, animo et toto penitus se pectore ducit.
Marco, nepos cui dat cognomen,[1] linquere Romam
Haud fors, in sacris et avorum immobilis haeres.
Hac quoque te merito iactes pietate, Sebasti —
Ane, patris servans Nicolai, haud degener, annis
Ut quondam a teneris, pietatem et romula sacra.
Et Lechovicio sedet haec sententia, grande
Esse rato scelus insuetos asciscere ritus
Delubris Divum atque diu sacra culta relinqui.
Romanoque bonus veneratur more colitque
Paulus Ilesko Deum, sic iri credit ad astra.
Nomina dura legis nec fando mollia; durum
Est hominumque genus, gelidos aquilonis ad ortus
Prognatum; sed idem studiis communibus ardens
Romana mortem pro religione pacisci.
Non si mille mihi linguae sint oraque mille
Infracta et vox sit, duro ex adamante, virorum
Nomina, Sarmatia in magna qui sacra Quiritum
Atque fidem toto venerantur pectore, dicam.
Ocius enumerem cum venti eurusque notusque,
Quosque alios vasto claudit rex Aeolus antro,
Oceano incubuere, cient quot in aequore fluctus;
Aut aquilo quantum foliorum decutit olim

[1] Marcus Ławrynowicz Cunesko (Wunesko), civonus rotoviensis a. 1551 (Boniecki, Poczet., pg. 360).

Hercynia in silva, venit cum frigidus annus.
    Finge sed hos omnes et quos comprendere non est
Fas numero, spretis nostratibus illa secutos,
Vesanus quae Saxo docet quaeque inscia veri
Plebs probat et gentem, quod abominor, error hic omnem
Occupet: Augustus sat erit, rex inclitus, unus,
Augustus, quo nec melior nec iustior ullus
Sceptra tenet, divi patris vestigia servans.
Excitis sat erit tot tempestatibus unus
Sedandis, adsit tantum Deus aethere ab alto
Palantesque reducat oves. Non ultimo ab aevo,
Obscura et nostris ignota exempla petemus.
Nonne calydonios vidit modo Roma Britannos
In sectas abiisse novas, nova sacra secutos?
Quos nunc conversos ad pristina gaudet eosdem.
Hoc munus regi nec se debere Philippo
Dissimulat romanus apex; debere Philippo
Hispano, cuius pietate Britannia ritus
Victa novos liquit, Capitolia ad alta revertens.[1]
An minus Augustum hunc regem, Lipomane, putandum est
Posse, minusve animis agitare? Exempla suorum
Ante oculos habet, unde genus, stirps inclita genti
Prima suae. Hos silvis populos Iagello relictis
Igne sacro et diris colubris, quae numina fassi,
Ignari veri, stulti olim mente colebant,
Compulit ad Christi sanctos procedere fontes,
Inque sacros latices flaventem immergere crimen.
Scilicet haec repetens exempla domestica, quid non
Augustus magni augusto sub pectore verset?
Aspicit Henricum Gallorum sceptra tenentem,
Et quoque bis socerum regem[2] et, cui summa potestas,

[1] Annis enim 1553—1558 regnavit in Britannia Maria, Catharinae Aragoniae filia, quae novam sectam vi exstinguere Britannosque ecclesiae romanae reconciliare conabatur. Qua in re obsecuta est Maria magna ex parte studiis Philippi II, Hispaniarum regis, cui nupsit a. 1554.

[2] Ferdinandum I, qui tamen brevi post a. 1555, quo exeunte Carolus Hispaniarum regnum filio concessit, imperator Germaniae factus

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] —
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

17.

Ad
PROCERES POLONOS DE MATRIMONIO REGIO
CARMEN.[1]

Ergo duas rex Augustus sine coniuge brumas[2]
Transierit, regnoque alius non quaeritur heres
Coniugiis? orbamne annis tot euntibus aulam
Aspicimus[3] proceres? nec successoris amorem
Inicitis regisque animos accenditis igni,
Ad sanctas igni taedas thalamosque iugales?
Scilicet ad letum[4] brevis est via; tempora fallunt
Mortales, homini exspectata nec advenit aetas.
Quis non promittit centum sibi prodigus annos?
At canos pauci optatae videre senectae,
Ius habet in tempus, non certo astringitur aevo
Armata mors saeva manu, nec legibus ullis
Tempora dispensat vitae. Regit una libido
Dextram, quae semper mortalibus imminet aegris.
Non longaeva homines et viribus aegra senectus
Exstinguit: florens et habet sua fata iuventa.
Mater anus teneris clausit flens lumina natis

---

[1] Repetitum ad editionem cracoviensem a. 1553, cuius exemplari bibliothecae ossolineae usum sum.

[2] Nam Barbara de gente Radziwiłł decessit mense Maio a. 1551.

[3] superbius videtur esse dictum pro „aspicitis".

[4] edit.: „loetum".

[illegible] condidit urna,
[illegible] maestissima proli
[illegible] et partem addere vitae.
[illegible] res inter agendas;
[illegible] multa volentem,
[illegible] inopina tulit mors,
[illegible] diei.
[illegible] praesumpserat annos,
[illegible] inter coepta reliquit
[illegible] lumina nocti
[illegible] cives.
[illegible] cui maximus orbis
[illegible] Marte secutus,
[illegible] abunde[2],
[illegible] facta
[illegible] reliquit.
[illegible] amicos —
[illegible] iuventae
[illegible] cuicumque sedebant
[illegible] menti[4] —
[illegible] Marte subactis
[illegible]
[illegible] bellum[3],
[illegible]
[illegible] Philippo.
[illegible] natus
[illegible] voces
[illegible] bella[6]
[illegible]
[illegible] paternis
[illegible] rerum

[1] [illegible]
[2] [illegible]
[3] Suspicor [illegible] scripsisse.
[4] Vergilium sequitur.
[5] [illegible]
[6] Verg. Aen. VI, [illegible].

Occidit et patriam iusto sine rege reliquit
Morte sua, partasque suorum sanguine gentes.
Nec vero mars illum hausit, nec barbarus ensis
Abstulit invictam illam animam. Mors tristis ubique est,
Ut bello sic pace potens; nec noxia ferro
Est tantum armataque furens dat funera dextra:
Omne genus leto satis est, cum saeva venit mors.
Vita hominum variis obnoxia casibus, anceps
Incerto stat nixa gradu, nec dicere quisquam,
Quae maneant se fata, potest. Hunc hausit hiatu
Terra suo, fluctus illum mersere tumentes,
Exanimemque pater Naptunus in aequore vidit,
Eiecitque salo et late per litora fudit,
Funeris impatiens cassique cadaveris aevo.
Nex alii quondam fuit illaetabilis aër,
Infunditque malum sensim per membra venenum
Spiranti, tetra infelix dum vescitur aura.
Multos ignis edax rapidisque incendia flammis
Corripuere, interque atras mersere favillas.
Tullus,[1] romani princeps columenque senatus,
Fato alio dignus, cum totis aedibus arsit.
Nobiscum bellum tellus gerit, aequor et aer,
Ignisque et caelo quicquid se subicit alto.
Hostis ubique homini; nostrae imminet undique vitae
Pallida mors, iugulumque sua tenet effera dextra.
Qui senium atque annos optat producere longe,
Quid vitet fugiatque, idem, quae tuta sequatur,
Nesciat. Est adeo nostrae non certa salutis
Semita, et abstrusi sors cuique abscondita fati.
Tristia venatu lentae et mala taedia vitae
Dum vitare iuvat, seve exercere equitatu,
Bella animis caeso aut meditantem ex hoste triumphos:
Hic excussus equo mediis moribundus in arvis
Volvitur, ille feras agitans in montibus altis
Dilaniatur apro, aut libyco fit praeda leoni

[1] Tullum Hostilium, regem nuncupat. Liv. I, 31, 8.

[illegible]

[illegible] quid vix ipsi [illegible]

[illegible]

[illegible] IX. 12; Plin N. h. X, 3 et [illegible]

Haud meminisse iuvat dubii spectacula martis,
Gratis pro hospitiis Augusto quae edita nostro,
Alta borussiaci modo moenia consternarunt
Principis, et tristi turbarunt funere gentem.
Tormento pila iacta brevi dum pervolat auras,
Lento impulsa igni, concepto haud sulfure toto,
Incertum, cui dira necem noctemque supremam
Fata parent et pro laetis dent funera ludis
Tristia praecipitesque obitus. Namque agmine denso
Haud potuit glans per medias innoxia turmas
Decidere, ingenti rueret licet acta fragore.
Hic rex Augustus, regi dux proximus istic
Albertus stabant in equis; densae undique turmae
Implebant late campum, fata et sua quisque
Horrebat trepidans. Tonitru ceu quando corusco
Iuppiter ex alto terras tremefecit Olympo,
Irataque manu rubra libravit ab aethra
Fulmen: stat populus sine mente exterritus omnis
Exsanguisque animos quassat pavor; ab Iove sese
Quisque peti putat et praesentia fata timescit.
Ferrea glans ingens descendens pondere magno,
Fumifero commixta igni et caligine caeca,
It caelo ceu nube latens nec cernitur ulli.
Horresco memorans terrorque a carmine mentem
Avertit: praeceps rupto ruit aethere, iuxtaque
Augustum armigeri ferit caput, et nece pilum
Excussit manibus, quod hero miser ille ferebat
Nequicquam Augusto, fuditque per arva cerebrum [1].
Avertisse Deos Augusti a corpore casum
Crediderim, glandemve manu tenuisse cadentem
Letiferam, dum vectus equo procederet arvis.
Augusti hoc pietas et laedere nescia sceptra,
Hoc populi meruere preces, reducemque dedere
Unum inter reges pyliam superare senectam

[1] Armiger erat „Kniaź Wiśniowiecki". Rem, quae accidit anno ante (1552) ad Regiomontium in hospitio Alberti, Prussiae ducis, fuse narrat Gónicki (Dzieje w koronie, Sanok 1855, pg. 89 sq.)

Dignum, sarmaticisque manu plus stringere sceptris[1].
Ut clemens, iustusque! irasci ut nescius ulli! —
Lex nisi cum vindex ultrices sumere poenas
Laesa iubet, rigidove coercet carcere sontes.
Ergo, tot ancipites inter casusque vicesque
Haud dubias rerum, totque undique certa pericla,
Maturate viri, regem conubia ad alma
Hortari Augustum, vobis si cara[2] propago est
Inclitaque a magno gens Iagellone profecta.
Qua vobis nunquam stirpive superstite vestrae
Deerit honos, priscumque decus, bellique togaeque
Gloria, non ullo et nomen delebile saeclo.
Tuque adeo, qui prima Deo fers tura tonanti
Sauromatas inter, cui religionis avitae
Cura sedet, sacroque agitatur spiritus oestro,
Dzirgovic, Nicolae,[3] domus memorabile nomen,
Hortare Augustum ad thalamos, iustumque hymenaeum.
Coniugiis olim, teneat qui sceptra, propaget;
Iagellone satum superet genus; et sua semper
Sceptra volens felix huic porrigat omne per aevum
Sarmata: non alio quaerantur sanguine reges.
Vestras, pontifices, genus hoc non segniter olim
Auxit opes, hoc, Thybri, tuas: Lituania falsos
Iagellone deos auctore idolaque liquit,
Aspidaque et saevos spiris volventibus angues,
Silvasque ignesque et lucos, contraria fana:
Aeternumque aris induxit numen Iesu.
Proque alio exstincto meliores flaminis ignes
Aetherei, rerumque opifex delubra subivit,
Tergemino sacrata Deo, caelique potenti
Lucentisque aethrae domino, cui terra fretumque
Paret et inferni regnum illactabile Ditis,

[1] Quaenam sententia lateat his verbis, incertum est. Corruptum esse locum suspicatus coniciebam dubitanter: sarmaticisque maniplos stringere (coercere) sceptris. Conf. 16, v. 990.

[2] ed. „chara".

[3] Nicolaus Dzierzgowski, archiepiscopus Gnesnensis aa. 1546—1559.

Et iussus pandit saevus tria Cerberus ora,
Tisiphoneque suos solvit nectitque colubros,
Tartareaeque ministra domus, furibunda Megaera,
Et soror Alecto ponitque et suscitat iras.
Quid memorem, statuit Divis quas cernuus aras?
Quae delubra Deo cultu celebranda perenni?
Vatis Iessaei [1], venturi nuntia Christi,
Carmina, divino Iagello impulsus amore,
Gracche, tuas olim cantare iussit ad arces:
Tempore qui ex illo nostrum mos durat in aevum.
Et Iagelloni Cracovia debet eidem
Pulchrorum fructum studiorum, et nobilis oti,
Ore sonet latio seu graio docta iuventus,
Artificesve aptet nexus, et vincula solvat
Verborum, studio rerum dum certat amoeno,
Cunctorum sollers causas scrutata latentes, —
Sive iuvat mulcere aures, populumque tenere
Dicendo, proque arbitriis impellere vulgus.
Astra nec obscuris, qua se Cracovia iactet
Laude, licet, signis data cernere fata docentur,
Et qui quemque labor maneat, quae munera vitae
Natali praevisa die, quique urbis honores.[2]
Sive machaonias et ditis Apollinis artes
Scire placet, tetrosque expellere corpore morbos,
Perplexasve foro lites et iurgia saeva
Discutere ac finem longis imponere rixis,
Pacatasque urbes haud dispare lege tenere;
Sive hominum placeat mentes attollere caelo,
Imbutas pietate et religione Deorum, —
Vis humana potest quo nil contendere maius, —
Haec Iagelloni generosa Polonia debet,
Et rigido tellus septem-subiecta trioni

[1] Davidis regis. Institum peronne Iagellonis pecunia fundatum tangit R.

[2] Praeter consuetudinem hoc loco et v. 350 sqq. Royzius artem fata ex sideribus cognoscendi celebrat et probat, aliis locis eandem ut vanam fallacemque damnat. Sed etiam aliis cracoviensis universitatis artibus plus hoc loco laudis tribuisse quam deberi sensisse videtur Royzius.

Omnis et ad gelidam quisquis caput exserit arcton.
Haec stirpi debentur et omni ex ordine genti,
Natis natorum serisque nepotibus olim.
Haec quantum stabit vestro domus inclita regno:
Religio his tantum pietasque vigebit in oris,
Nec Christo invisos fundent altaria ritus.
Tuque tuos, romane pater, iactabis honores:
Nequicquam crudelis opes laetabitur hostis
Depopulasse tuas meritumque hausisse cruorem;
Caecaque vesani concedet opinio vulgi,
Et melior cunctis mens et par cura sedebit.
Ergo quid Augustum exhortari vocibus aequis
Pontifices cessatis? opum quos cura sacrarum
Una premit templique decus. Laetos hymenaeos
Concelebret, fundatque suo de sanguine gentem,
Prenset quae haec eadem sceptra et det iura Polonis.
Viveret o utinam, et vitales carperet auras
Antistes Samuel, nostro Maciovius [1] aevo
Inclitus atque olim saeclo memorabilis omni!
Ille, hominum tractare animos et flectere corda
Eloquio bonus et dictis accendere mentes,
Vestrum, pontifices, communem hunc ferre laborem
Unus erat sat, docta volens modo solveret ora.
Et vos, sarmaticae clarissima lumina gentis,
Tarnovi et Cmita [2], excelsi pars prima senatus,
Sit mihi fas ambos uno coniungere versu,
Quos patriae coniunxit amor. Vos publica quorum
Consiliis res nixa viget decora et sua prisca
Obtinet, insano bellorum intacta furore,
Augustum regem ad thalamos urgete iugales:
Laeta volens nectat conubia tertia; felix
Iungat amor, rex unde alius dein sceptra relicta
Lectus amore ferat populi, soliumque superbum

[1] Obiit a. 1550.

[2] Ioannes Tarnowski, castellanus cracov., magnus imperator exercituum Poloniae obi. a. 1561; Petrus Cmita, palatinus cracov. et magnus mareschalcus regni, obi. a. 1553 mense septembri.

Conscendat, regnique datas desumat habenas.
Instauret gentem nec non et nota suorum
Nomina, stat quorum gentis fortuna polonae
Auspiciis, pax sive viris pulcherrima cordi est,
Seu certare manu placet et decernere bello.
Heu, quoties sceptris et regno defuit heres,
Qui motus res sarmaticas, quae egere pericla!
Ut fractas odiis nimium fusasque suorum
Vidit prisca aetas et spe sine cedere retro!
Dissidiis sensit varios respublica casus
Debilitata suis, armis civilibus olim
Sarmatiam nullo grassantibus hoste per omnem.
Exstincto Lecho totaque propagine fato
Sublata, cum qui sceptris succederet, heres
Nullus erat primi Lechi de gente suprema:
Divisis regere imperiis et scindere regnum [1]
Sauromatis steterat patribus sententia cunctis —
Heu, male consultis: viguit quae rege sub uno
Lechia, bis senis patribus commissa labare
Coepit, et in praeceps concussa tumultibus ire.
Hinc hostis premit, inde hostis: fremit undique bellum,
Et regno excidium secto occasumque minatur.
Nec vicinus opes Lechi petit hostis; et ipsi
Terris submoti et vasto procul aequore Galli
Sarmatiam exciti venere, et tristibus armis
Vastabant urbes late belloque premebant.
Et nisi, — res hominum ut Deus est miseratus egenas,—
Arbitriis populi lectus melioribus acer
Gracchus [2] Sarmatiae mox corripuisset habenas,

[1] Editio interpungit colo post verba „nullus erat" et deinde post: „scindere regnum"; perperam, opinor.

[2] In duodecim ducum seu palatinorum regni, Gallorum irruptionis Gracchique seu Craci electionis descriptione sequi videtur Mathiae Miechovitae Chronica a. 1521 Cracoviae impressa aut fortasse Bielski librum, q. i. Kronika, Cracoviae a. 1550 editum. Ea, quae refert, consentiunt pleraque cum annalibus Boguchfalianis, sed neque eos, neque etiam Dlugossi, Vapovii, neque ipsius Cromeri historias, utpote nondum editas, inspexisse videtur.

Infestum et patriis pepulisset finibus hostem:
Lechi nomen opesque issent et regia pessum,
Regalisque toro sedisset barbarus hostis.
Hanc iterum rerum faciem et crudelia fata
Sauromatae videre atque ingemuere videntes,
Ultima Gracchorum cum diis placitura profanis
Vanda, suo laetum referens ex hoste triumphum,
Vim quondam thalamis sceleratam inferre parato,
Victima caeruleas praeceps ivisset in undas,
Et, quem servasset, verorum ignara [1] Deorum
Udis sacravit diis, virginitatis honorem,
Neptunoque patri. Nam Sarmata tempore et illo
Regales osus fasces augustaque sceptra,
Bis senis patribus rerum malesanus habenas
Tradidit, imperiumque dedit perdendaque cuncta.
Gentis ad excidium et peritura tyrannide regna
In tot regalis discerpta est purpura partes.
Vexavit populos patrum discordia demens,
Exitiale malum et saevi nutricula belli,
Cessatura, olim nisi misceat omnia, nunquam:
Quae centum malesuada annis possederat omnem
Sarmatiam, totasque implerat luctibus urbes,
Donec Lesconem belloque togaque potentem
Accivere patres, et regia stringere sceptra
Iusserunt tandem et fessis succurrere rebus,
Ac paene exstinctos populorum et gentis honores
In priscum revocare decus, nec regna supremo
Exscindi fato sinat et civilibus armis.
Quid sine rege valent gentes, stirps regia desit
Si quando, cui sceptra patris, ceu debita, laetus
Det populus, Lechi exhaustum genus udaque Vandae
Funera iampridem gentem docuere polonam.
Vosque adeo, proceres, tanti meminisse pericli
Usque decet. Regi exstincto natusve neposve
Succedat, fraterve relictas sumat habenas.

[1] Fortasse „gnara“ scripsit R.

Alterius nil stirpis opus, sed sanguine eodem
Lectus eat, qui laturus sceptra aurea dextra est.
Prisca Mieslai [1] succurrant tempora regis,
Cui parvus Casimirus erat puer, unica proles.
Quem quia non grati exosum fecere parentis
Facta, furens patrio populus spoliavit honore.
Turbata dehinc Sarmatia civilibus armis,
Cum patribus non mens, ratio non una fuisset:
Quis [2] non, o, precibus, quis non repoposcit eundem
Effusis populus lacrimis! Quae sceptra negarat,
Sponte ferens tradensque sua, procumbere supplex
Usque nec erubuit, madidosque ostendere vultus,
Cluniaco dum triste seni [3] funebreque bellum
Commemorat patriae eeuque urgens undique fatum,
Et regale genus, Casimirum, crimine nullo
Expulsum repetit regnis, adoperta cucullo
Tempora iam curtasque comas de more ferentem
Illorum, qui adytis se devovere Deorum,
Pauperiem et duros aevi tolerare labores
Contemptumque ausi, libertatemque iubentum
Subicere arbitriis, pronique capessere iussa.
Non iam fas prodire locis aut urbis adire
Conventus coetusve hominum, sed moenibus unis,
Quod superest, agitare aevum, vilique grabato
Pallentes durare artus moribundaque membra,
Dulcia coniugia et laetos nescire hymenaeos:
Ille pater nisi, Thybri, tuum qui praeses ad amnem
Sublimi in solio vasti sedet arbiter orbis,
Det veniam oranti, precibusque accommodet aures.
Quique aditus tandem, — nam frustra Sarmata patres
Cluniacos adiit, — dictis non asper amicis
Annuit, et posito iussit regale cucullo

[1] Sic. Est Miecislaus II, Boleslai Chrobry filius, qui regnavit ab a. 1025 usque ad a. 1034.

[2] „Quis" est ablativus. In edit. pr.: „queis".

[3] scil. abbati coenobii cluniaci.

Sceptrum ferre manu: et solio residere paterno[1].
Haec nisi romulei regem clementia patris
Indulsisset, opes vestrorum Lechiaque isset
Pessum omnis, vix et servasset regia nomen,
Tot discerpta odiis, bello hinc atque inde premente.
Rege quid orba suo valeat, quid denique regis
Praesidiis gens tuta sui defensaque sceptro,
Sauromatae o fortes, vos aevi exempla prioris
Tanta monent, sterilesque olim decedere reges
Regnorum excidium certum, interitumque fuisse.
Tristius haud unquam diri fulsere cometae,
Sanguineoque viam secuere per aethera crine,
Quam cum orbos quondam morituros sidere reges
Praedixere suo nulloque herede relicto!
Ergo agite Augustum, proceres, prece supplice regem
Orate, ad thalamos hymenaeique aurea vincla
Perpetui properet, det debita pignora regno,
Heredem multamque olim post funera gentem
Linquat avo similis, tremula cui regia dextra
Sceptra senex tradat. Serorumque ordo nepotum
Inde fluat perpes nec demoritura propago,
Augusto similis, pacem quae praeferat armis,
Antiquos fines regni et sua moenia servans.
Iustitiamque colat, pietatis amica beatae,
Praemia virtuti meritosque instauret honores.
Invisum feriat scelus et fuget urbe nocentes,
Insontum tutela sequi et data iura volentum.
Progeniem talem Augustus, post sera relinquens
Fata senex, annisque olim confectus et aevo
Decedens terris, magno se sistat Olympo.[2]

[1] Tradunt haec de Casimiro sti. Benedicti regulae Cluniaci initiato diaconatumque sortito posteriores Polonorum historici, refutat, ut ficta falsaque, Naruszewicz (Historya n. p. tom II). Royzius haec aut in Chronicis Mathiae Miechovitae Bielsciive legit, aut fortasse accepit a Cromero, in cuius Poloniae libro IV eadem fere de Casimiro Instauratore traduntur.

[2] Hoc loco adscriptum legitur in editione: „MDLIII mense martio“.

18.

Ad
IOANNEM FRANCISCUM CANOBIUM[1],
Pii papae IIII in Moschoviam nuntium[2].

Hos Pius ad Gallos, illos ad iberia[3] misit
Regna; hic Sauromatas, Teutonas ille petit;
Ad flavos alius legatus mittitur Anglos:
Et tibi, Canobi, non locus ullus erat,
Nuntius ad Moschum nisi mitterere ferocem?
Quem regit insanus pro ratione furor,
Quem non consilium, movet aut prudentia, quique
Prae se non homines non habet ille Deos.
Et, nos humana specie nisi fallat et ore,
Est, quam homini, propior scilicet ipse ferae.

---

[1] Giovanni Francesco Mazza de Canobio Moscoviam proficisci a Pio IV, pontifice maximo, iussus, ut Ivanum IV ad concilium tridentinum invitaret, a. 1561 Cracoviam et inde medio fere mense Iunio Vilnam, ubi tum rex Augustus erat, venit, petebatque a rege, ut se in continuando itinere iuvaret. Rex primum pericula itineris inter bellum utriusque civitatis exortum praetendebat, deinde ex consilio senatorum negavit posse se illi iter per Lituaniam dare. Ita infectis rebus Canobius Romam revertit. Unde a Royzio hoc carmen scriptum esse mense Maio aut Iunio a. 1561 apparet. Ceterum Canobius Bononiensis erat et Royzio fortasse iam in Italia cognitus (Conf. Pierling, Papes et tsars Paris 1890, pg. 71 sqq.).

[2] Textus horum carminum nititur utroque msto et Cornicensi (pg. 208 sqq.) et Ossolineo (pg. 85 sqq.).

[3] Abutitur hac forma pro „ibera“ antiquorum.

Obruta non nebulis ullis, non nubibus ullis.
Eia age, rumpe moras, Vilnaque egressus aperta,
— Per regem licet Augustum — succedito campis,
Lata borystheneas qua te via ducit ad oras.
Durum restat iter, — durum patientia vincat, —
Per populos inopes et gentes omnium egenas
Expertesque omnis cultus et moris honesti.
Quarum non Cereris lectas ignavia fruges
Novit, non suaves fructus, non dulcia Bacchi
Munera fert tellus, non delicias campanas.
Semper atrox ibi saevit hiems et frigore terras
Constringit iugi rigidisque aquilonibus urit.
Roboribus male compositis casa surgit agrestis
Hospitioque patet[1] fumoque nigrantia tecta.
Si corpus curare iuvat, nil suppetit hospes.
Atra ceres victum, durum dat terra cubile,
Pocula dant fontes fusaeve per ima paludes
Stagnantesve lacus. Raeda nisi dives onusta
Ingredieris iter, patiere famemque sitimque
Et frustra ad patrium convertes lumina caelum,
Mensarum memor, hesperius quas instruit hospes.
Sed nil te haec moveant. Per duros fama labores
Quaeritur; ex molli non surgit gloria pluma.
Quae memoro, passum hospitio te Moschus amico
Excipiet iussumque altis succedere tectis
Pronus honorabit, latia, suspensus, ab urbe
Quae mandata feras, caelestis ianitor aulae
Quid iubeat Pius, aetherei pius auctor honoris,
Moschorum genti, quam non oblitus adivit
Ac ultro per te Capitolia ad alta vocavit,
Ad sociamque fidem et verorum fana sacrorum.
Inde tuo functus, Canobi, munere Romam
Muneribus laetus repetes ingentibus urbem,
Assuetumque hiemis duros tolerare labores,

[1] Fortasse „patent“ scripsit Royzius.

Aspra nihil laedet redeuntem bruma geluque.
Concretos amnes plaustro pulsabis onusto,
Atque metu vacuus stantes calcare paludis
Non dubitabis aquas perque aspros currere fluctus;
Et ripas, quas navigio remisque petisti,
Inde pedem referens, tumidarum oblitus aquarum,
Vere licet medio tramittes remige nullo,
Accedens caelum lituani mitius orbis,
Lechique excultas gentes et amoenius arvum,
Austriacas arces ripasque binominis Istri.
Praesumens animo, superatis Alpibus, oram
Italiae optatam, sese procul ostendentem,
Ore salutabis laeto comitesque sequentur,
Italiam, Italiam laeto simul ore frementes.
Proque alta glacie, nivibusque tegentibus aequor
Camporum immensum, vastisque paludibus, arvis
Incultis, silvis pro speluncisque ferarum,
Proque aliis, fueris Moschi quae passus in arvis,
Terra tibi occurret florentibus itala campis,
Certa parens frugum [1] terrarumque omnium alumna,
Fortunata, suas vellet si agnoscere vires,
Et domitrix mundi quondam saturnia Roma,
Sacrorum custos nunc atque vicaria Divum,
Summus ubi praesul Pius omnisque arbiter orbis
Aurea sceptra tenet legemque dat omnibus aris.
Ille tuum reditum exspectans teque adfore credens
Multa animo volvet, sed iam te accedere discens
Atque altis Romae succedere moenibus urbis,
Ora serenabit, claro ceu phoebus olympo
Nube nitet pulsa radiosque ostendit apertos.
Oscula tu pedibus, Canobi, ferre sacratis
Festinans, fixo procumbes poplite summi
Praesulis ante torum, et sanctum venerabere numen.
Ore dein surgens referes responsa diserto,

---

[1] In memoriam revocat Vergili Georg. II, 173.

Quae Moschus, quae alii tibi respondere potentes,
Laetitiaque Pium replens, dominumque patremque
Sacrorum, late totus cui militat orbis,
Dignam concipies animo spem. Et praemia factis
Digna tuis votisque tuis non abnuet ille:
Sperare et meritos discedes iussus honores.



CONSOLATORIUM.

V.

CONSOLATORIUM.

19.

Ad

SIGISMUNDUM AUGUSTUM,

Sarmatiae regem,

CARMEN CONSOLATORIUM [1].

Parce sacras temerare genas: quid luctibus ora,
Rex Auguste, madent? cur turgida lumina cerno?
Regales moriens thalamos tua Barbara liquit:
Heu, nimium dilecta tibi superataque fatis,
Summum functa diem vitae, iam frigida toto
Corpore fusa iacet, longoque supina feretro
Visa ciet lacrimas et acerbo pectus amantis
Funere contristat [2]. Thalamos inimica quid, o mors,
Augusti ruis in nostri nec parcere discis,
Fata manu letumque ferens?
Illa, inclita gentis

---

[1] Repetitum ad editionem cracoviensem a. 1553. Epigrammata quattuor, ad calcem huius editionis excusa, proponuntur inter carmina minora.

[2] Barbara obi. a. 1551 a. d. VIII Id. Mai. duodetrigesimo aetatis anno.

Austriacae decus, illa et fama binominis Istri,
Elisabe, sacro quam Lechia tota cubili
Iunxerat armipotens, animisque volentibus omnes
Augusti in sponda regnique in parte locarunt:
Unde genus frustra parvosque videre nepotes
Sperasti, Sismunde pater, tu et Sarmata reges:
Illa feris cecidit fatis et prima cubile
Decedens, Auguste, tuum viduavit, et omnem
Sarmatiam late luctu complevit amaro [1],
Grande sui desiderium cum laude relinquens
Et terris olim nunquam delebile nomen
Sarmaticis, boreas rigidis dum flatibus auras
Asperat, et prono properans pater Istula cursu
In mare volvit aquas, inter notissimus amnes
Istula, caeruleō miscent qui nomina ponto.
Ostendere Dei populis tam nobile lumen
Egregiamque animam: fata immatura tulere.
Nunc tibi, quae dilecta toros ingressa relictos
Solamen viduo venit, tua magna voluptas,
Barbara, praecipiti cecidit, Radivilia, fato.
Fortunam hanc casusque tuos, rex inclite, luges,
Instabilesque toros atque [2] incertos hymenaeos
Bis viduus quereris, turbataque foedera lecti
Ereptosque tuos bis lamentaris amores.
Quis te solari plangentem funere vates
Audeat in medio? et primos compescere luctus
Carmine contendat? nec te tua vulnera flere,
Exstinctamque queri uxorem patiatur amatam?
At iam bis repetens cursum et vestigia nota,
Luna pererrato, Phoebi soror aurea, caelo
Effulsit terris vidui post funera lecti [3]
Et luctus, Auguste, tuos: nec sicca videre
Lumina, nec laetos nobis das cernere vultus.

---

[1] Obiit. a. 1545.

[2] Editio pr. exhibet „ac".

[3] Ita designat duos prope annos a morte Barbarae (VIII Id. Mai. 1551) praeterlapsos.

Redde tuis te Sauromatis, luctuque labantem
Solve animum: frontem et populis ostende serenam.
Hactenus indultum lacrimis et planctibus esto.
    Amissa, cuius virtuti debitus orbis
Imperiumque fuit terrarum et quicquid ubique est,
Elisabe, finem potuisti imponere quondam
Luctibus et maestas fesso premere ore querelas:
Et nunc nulla novi invenies solatia casus?
An flendo revocare sacros in corpora manes
Lamentisque putas? animamque excire sepulcro?
Scilicet occidimus semel, et semel atra videmus
Funera, saeva pedem tumulo post fata relicto
Mors efferre negat rursusque resurgere ad auras
Ante diem, soli Divum quae cognita patri, —
Cum genus humanum, terra quodcunque sub ima est,
Casurumque quod est olimque in funus iturum,
Lege Deum exsurgens in corpora viva revertet.
    Coniugis extremos ne obitus et funus amatae
Tristius aspiceres et[1] pectore maestior aegro
Atria compleres luctu, dulcissima coniux
Non subito cecidit casu aut praecepta repente est,
Per longam sed tracta necem morbique laborem
Occidit, et defleta diu, velut ante perisset,
Fatis rapta suis vitam cum coniuge liquit.
    Ablata absenti Elisabe quoque, tristia fata
Praesens ne aspiceres, quae vix audita tulisti,
Lamentis luctuque aeger. Te flere vetant Dii
Et iusto maerore levant. Haec munera Divum
Agnoscas, Auguste, et te solare dolentem.
    Nec tibi lugendum est, paucis quod scilicet annis
Bis viduus nigros sumpsisti, Auguste, cucullos.
Quin gaude, nec[1] crede sacros, sine numine certo
Divorum, vacuos sterili bis coniuge rapta
Stare toros. Tecum Elisabe pulcherrima brumas
Vidit nupta duas; spatiis tibi iungitur iisdem

[1] Mallem „neu".

Barbara: nec laeti eluxit spes ulla hymenaei.
Scilicet admisit quod tantum Sarmata crimen,
Ut sterili in thalamo totum te, Auguste, per aevum
Aspiciant? ullus nec magna parvulus aula
Lusitet Augustus, quem post tua funera regem
Accipiant olim, vel pro te sceptra tenere
Grandaevo cupiant, multis cum iam gravis annis,
Pacem sepositis Gradivi rebus amabis,
Extremosque pius vitae meditabere casus,
Nil terrenum animo, tantum caelestia versans?
Ergo tibi est fatis erepta quod utraque coniux,
Ullos Lucinae longum haud experta labores,
Prospexisse Deos, ne orbus moriare, putandum est,
Sarmatiamque tuam nato sine rege relinquas.
Quae in te reliquias ceu sospitis aspicit uno
Iagellonis, amatque aevum regnare per omne
Progeniem et gentem deductam sanguine ab illo.
Hoc votis Divos et plena poscit acerra,
Te fusis orans lacrimis et poplite flexo.
An precibus te nequicquam Divosque fatigant
Rem spectare suam et totius commoda gentis
Confossi[1], tulit a Lecho quae nomen honestum?
Namque in coniugiis, quae instant, thalamoque futuro,
Non tibi tam coniux, quam regno quaeritur heres,
Qui populos olim sumptis moderetur habenis.
Et tu stare diu vacuum patiere cubile?
Nec facili voces orantum admiseris aure?
Tertia quin potius renova conubia felix!
Uxorem tibi clarus eques lectusque senatus
Et Bona, Sforciadum magnum decus, inclita mater,
Gentibus ex cunctis delectam mente requirunt,
Augustos merito cui praebeat omnis honores
Sarmata defigatque volens sacrae oscula dextrae.
Interea reges, sceptrorum quicquid ubique est,
Unde dies venit et caput occulit auricomum sol,

[1] Fracti.

Intenti nutus, cui tu hunc concedis honorem,
Exspectant, Auguste, tuos, optesne sororem
An natam, quam coniugio dignere superbo,
Uxor quae dici possit tua, vertice sacrum
Et diadema ferens, sceptro spectabilis aureo,
Sarmatiam optati spe partus repleat omnem:
Felicis partus, ingens cui debitus olim
Terrarum tractus, septem-plaga nota trionis,
Serviat et cui Sauromatum gens inclita bello,
Docta graves torquere arcus et spicula dextra
Tendere, non choreis assueta et mollibus odis.
Quis socer Augusto tot erit de regibus unus,
Iusta manu qui sceptra tenent? Cui numina talem
Promisere virum? ter felix illa quaterque
Regi nupta viro fortunatissima et illa,
Regi, quo nec iustitia pietate nec alter
Maior nec toto vivit mansuetior orbe.
Irasci nescit, nisi quas lex fecerit iras,
Admissi vindex sceleris; sed parcere clemens
Multa viris suetus, non saevi more tyranni
Fert oculos; placida fulgent sacra lumina fronte.
Ille decor pulchrique aspectus amabilis oris
Leneque maiestas spirans, ceu spiritus alto
Demissus caelo, se effundens cuncta serenat.
Haud equidem reor Augusti sub pectore quicquam
Durius aut animis agitari saevius illis!
O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Sauromatas[1], uno Superi quae in rege dedere,
Cuius caelestes aequat clementia Divos!
Cui gener Augustus tot erit de regibus uni?
Cui vir magnanimo natae de rege puellae?
Regales quae visa toros conscendere digna,
Maerorem sacro penitus de pectore pellat,
Mox tyrio pullos et murice mutet amictus,
Lechiadumque animos et tristi pectora cura

[1] Verg. Georg. II 457 sq.

Pressa levet, fundatque novo nova gaudia regno
Laetitiam et genti reddat faciemque priorem.
Regia, rex Auguste, volens te postulat omnis
Vultque suum, quicquid regum de stirpe profectum est.
Credo equidem fore, qui nostris diversa secuti
Sacra Deosque, — tuis liceat modo se addere sceptris, —
Dimittant sancta ad Christi lavacra volentes
Cum populis, tibi quae felici iuncta hymenaeo
Perpetuum fatis melioribus exigat aevum[1].
Iagello, genus unde tibi, ne exempla petamus
Longius, ambivit sacros Hedvigis honores
Et regale decus: quae magno accensus amore
Dum captat, sacris Christi caput abluit undis,
Et falsos melior divos idolaque linquens
Fracta solo[2] et quondam cultorum fana deorum,
Patre Deo natum plena veneratus acerra est,
Crudeli Christum servantem funere mundum,
Impulit atque eadem populos ad sacra frequentes,
Poscentes ultro lymphis immergier iisdem,
Rore salutifero et crinem mersare fluentem.
Ergo age, tolle moras luctuque, Auguste, relicto,
Detergens largo rorantia lumina fletu,
Coniugium meditare novum, et nova gaudia volve.
Quam tu optes, cuncti exspectant; rex, annue tantum,
Sponsa tua est, quicquid regalis sanguinis usquam est.
Perpetuis igitur coeant conubia vinclis,
Sentiat amissos nil deinde Augustus amores.
Adveniat, talem cui fata dedere maritum,
Exsultans regno, et tectis succedat amicis,
Laetitiam populis et regi gaudia portans.
Tu vero nil, diva, aude, Cytherea, facesque
Et flammas inhibeto tuas: nil mater amorum
Regales habet in thalamos, volucerve Cupido.

---


[1] Iungenda esse videntur: „dimittant cum populis volentes sancta ad Chr. lavacra eam, quae....

[2] scil. solo tenus.

Fas populo plebique ignes immittere vestros,
Spiculaque exhausta iaculari saeva pharetra,
In vulgi deprompta necem; fas figere corda
Atque humiles penetrare casas et iungere taeda.
Regum sacra regit maius conubia numen:
Non vani levesque dei confictaque terris
Numina: siderei magnus regnator Olympi,
Ille sator rerum. divum Pater atque hominum Rex
Accendat iusto sacra pectora dexter amore
Augustique sinus, et tactos molliter urat,
Inclinetque animum sensusque inflectat amantis
In meliora Deus. Cernamus talia laeti
Coniugia, et tales celebremus mox hymenaeos,
Unde salus regno, populis pax, certaque proles
Augusto, iustus sceptri successor et heres.
Ille dies redeat, si quo felicior unquam
Lechiadum gens prisca fuit: se, Auguste, beatos,
Se fortunatos dicant te rege Poloni.
Exsultent te rege viri, pulcherrima cordi
Pax quibus est, pacisque artes studiumque quietis.
Linquere cuique suum, non quondam vivere rapto
Inque aliena manus et avaram intendere mentem.
Tu vero felix longumque superstes in aevum
Vive, Auguste, diu, atque olim pete sidera sero [1],
Iam senior, multa populos in pace relinquens [2].

[1] Lucan. Phars. v. 46.

[2] Hoc loco sequuntur in editione quattuor epigrammata De triplici vita caelibe, coniugali et fornicaria, quibus subscripta sunt ad calcem libri haec: MDLIII mense martio.



GRATULATORIUM.

VI.

GRATULATORIUM.

20.

Ad SAMUELEM,

episcopum plocensem,

cracoviensem vero nunc iure et merito designatum[1].

Aggredere[2] o magnum, te ad quem vocat omnis, honorem,
Sarmatia, illustrem et gemmis, Maciosche, tiaram
Tempora cinge super, baculoque armatus adunco
Cuspideque, ad caulas Christi et magalia longe
Errabunda[3] gregis vestigia dirige. Amicam
Hinc vocem pastoris oves et sibila norint,
Limosos vitare lacus et pabula discant
Tabo infecta gravi et vulgo mala nata venena.
Ad laetas revoca[4] saltus et pascua nota
Fontesque fluviosque et stagna undantia late.

---

[1] Repetitur hoc carmen ad editionem cracoviensem a. 1545, cuius unicum, quod sciam, exemplar, et ipsum media parte non integrum, asservatur Cracoviae in bibliotheca czartorysciana sub signo $\frac{19886}{48}$ gabl. Epigrammata, quae in hac editione praemittuntur et postponuntur ipsi carmini, inter minora R. carmina vol. II collocavi.

[2] Editio „agredere".

[3] Edit. „Errabundi" (?).

[4] sc. eas.

Custodes Spartae[1] catulos fortemque molossum
Adde. Vides malus ut circum insidietur ovili
Nocturnus fur et fauces lupus aridus imas,
Dente minax oculisque et rictu turbidus atro.
Felix, o iterum felix, ter Sarmata felix,
Gens nimium dilecta Deo, cui fata dedere
Inter habere suos[2], toti quem praeferat orbi,
Insignem pietate virum[3]. Decus aethere dignum
Non hoc sustinuit post Te, Petre Bariona, maius
Romanum solium, non par, non, torqueat aether
Astra licet viresque suas effundat Olympus.
In Samuele suo, potuit quaecunque, profudit
Omnipotens natura nihilque exhausta reliquit
Ipsa sibi egregium: viles effingere formas,
Viles dehinc animas et corpora turpia discat.
Felix, o felix nimium Cracovia, talem
Rectorem nacta. Hoc olim promittere caelum
Nec maius potuit nec tu sperare. Beatam
O te! Iustitiae magnum diceris asylum.
O tua se quantis attollet gloria rebus:
Diceris nova Roma novaeque vocabere Athenae!
Omnia florebunt et in hoc discrimine rerum,
Tot iactata malis studiis et paene subacta,
Religio assurget caelo et caput exseret alto.
Iusta fides pietasque suum, modo nomina vana,
Cultorem invenient; Astraeam, quae ultima liquit
Orbem exosa, tuus deducet ab aethere praesul.
Iustitiam colere ac populos in pace tenere
Huius erit studium, et tenuem ne iniuria plebem
Visve premat maior, ne quid sine legibus ausit
Inve aliena ruat vel saevo natus Achille.
Nil genus egregii aut tituli nomenve superbum,
Vix gestatum umeris nihil ingens proderit aurum,

---

[1] ed. „spartae".
[2] Conf. Horat. Carm. I, 14, 19: Inter fusa nitentes.
[3] Verg. Aen. I, 10.

Saeva nihil quondam monstrata in pollice tigris[1].
Quisque suum feret et paribus sub legibus omnes
Otia securae peragent pulcherrima vitae[2].
Hac ignara tenus studiorum turba sacrorum,
Volgus iners, frustra non affectaverit aras
Et multus Christi caulas complerit Amyntas[3],
Indoctus torquere pedum, qui Pana nec ipsum
Noverit aut salices inter dignoscat hibiscum,
Pascere oves rudis, at non tondere medullas
Et suxisse gregis cum lacte ac viscera viva:
Invisum caelo genus. Hinc non scurra nec imae
Venit ab infami nuper qui fornice cellae,
Aut quem commendet moechae vesica beatae[4],
Seu male casta, diu viduum non passa cubile:
Non hinc turpe genus sanctas speraverit aras.
Non illis studiis Samuel, non talibus ullis
Alta petens — aliis fuerint ea prima — tenetur.
Digni Osio[5] mores et fallere nescia virtus,
Digna Osio pietas, — Osio, quem sidera poscunt
Iam dudum civemque suum petit arduus aether:
Egregium Samuelem, haec, non diversa, movebunt,
Procedentque alio, quam quondam, cuncta tenore.
Praemia virtutis referet bonus et sua sontes
Tristia supplicia, et meritorum poena sequetur.
Non mala coniugio mulier sine lege soluto
In vetitos curret thalamos et crimina nota.
Servabit castum Tithoni Aurora cubile[6],
Et viduos caelebs custodiet ordo recessus,
Nec malesuada venus sacratas polluet aras.

---

[1] Sic in editione; anulum pretioso lapide ornatum designare videtur.

[2] Conf. Ovid. Metam. I, 100.

[3] Pastor ille Vergilianus, quem poeta canendi quidem peritum Panisque dei discipulum fingit, sed cetera stultum appellat. Ecl. II, 28 sqq.

[4] Iuvenalis sat. 1, 39 et 6, 64 in memoriam revocat.

[5] Stanislaus Hosius sive Osius, tum canonicus cracoviensis ac sandomiriensis, erat inter Macieiovii amicos.

[6] Senum uxores adulteras tangit.

Audendum discet sibi nil Iudaeus Apella[1],
Non ullum tentare nefas, non linquere Christum,
— Proh dolor! — et sacris sese incestare nefandis,
Sollicitare Deo sacrum genus. Ignibus unum
Omnibus et sicula dignum olim auferre[2] favilla,
Infandum scelus et nullis delebile saeclis!
Stulte, alio non huc, Saxo, tua belua Lernae
Mittenda est; colitur iustis hic legibus aether,
Una fides, Deus unus et unum cetera numen:
Hoc rex, hoc populus sequitur magnusque senatus[3]..
. . . .
. . . .

[1] Non ipsos Iudaeos sed eorum similes homines superstitiosos et leves designat. Cf. Horat. Sat. I, 5, 100.

[2] Ut metri legibus satisfaceret, infinitivum activum pro passivo perperam admisit. Ceterum interpungendi huius loci ratio mea est, quae enim in editione exstat, tolerari non potuit.

[3] Hoc versu desinit tertia editionis pagella, qua notatur proximi versus vox prima: senatus. Quot folia deperierint, incertum est. Sequens pagina ultimos iam versus epigrammatis annexi exhibet.



SATIRICA.

VII.

SATIRICA.

21.

BACCHEIDOS

Liber I[1].

Pocula Sauromatum dicam moremque bibendi
Servatum, gelido tellus qua posta sub axe est.
Huc ades, o Lenaee, tuo mea carmina comple
Numine susceptumque volens percurre laborem,
Et dignare tuos mecum cantare Polonos,
Pocula gaudentes inter mensasque beatas,
Laetum hominum genus et tua gentem ad gaudia natum.

---

[1] Scriptum est hoc carmen aut ipso anno 1543 aut paullo post, certe ante a. 1545, quo Elisabe, Sigismundi Augusti uxor, obiit diem supremum (Conf. v. 92 sqq.). Quod liber I carminis nuncupatur, poeta plures eius generis scripturus fuisse videtur, quamquam eis, quae exstant, perlectis, vix plura desideraveris. Asservatur hoc carmen in libro msto. cornicensi pg. 398—403 et in msto. s. XVI navrensi IV fol. pg. 75—78 (bibliothecae Michaelis Sczaniecki Navrae ad Chełmżam sitae). Mstus. corn. exhibet formam „Bacchaeidos"; delevi „a", derivatur enim hoc nomen ab adiectivo: Βακχεῖος. Codicis navr. apographum, a Ios. Korzeniowski confectum et liberaliter concessum in usum meum contuli. Ibi carmini inscribitur „Bacheides", carmenque falso tribuitur Andreae Cricio. Textus msti. navr. est mendosior cornicensi, quaedam tamen habet genuina.

Cum sua Sauromatae veniunt ad prandia laeti,
Cum primis epulis cerealia[1] pocula primum
Ponuntur mensa, cyathorum plurimus ordo,
Cuique suus contra, dextrasque[2] exspectat avaras,
Surgentemque sitim stomachumque calore cientem.
Pocula quisque manu prima inter fercula raptat,
Pocula quae primos restinguant prima calores,
Ardoremque sitis frenent venientis anhelum.
Invitare nefas quemquam, — invitare vicissim
Quamquam mos gentis priscus, — cum pocula sumunt
Prima: sitim tunc quisque[3] suam levet; altera sed cum
Tertiave accipiunt, quemvis ad pocula fas est
Poscere et ostenso bellum illi indicere vitro:
Bellum dulce, illis et non inamabile terris.
Qui invitat, — mos est multis servatus ab annis
Sarmatia in magna, — quem invitat, dulce salutat
Seque, suum officium si quando optaverit, offert.
Deinde bibit, cyatho et penitus se proluit alto;
Ostensumque[4] illi, quem laeta ad pocula poscit,
Protinus accipiunt famuli, quae plurima turba
Stat circum talesque volans deservit ad[5] usus, —
Et referunt, — mora nulla, — vacent ne gaudia, plenum.
Accipit hunc[6] dextra, modo qui invitarat, aperto
Et capite assurgens speranti praebet amico.
Ille autem laetus nudato vertice sumit
Porrectum cyathum, dicta et de more salute[7],
Cui placitum est alii, votis respondet amici,
Spumantem et pateram fundum desiccat ad imum
Impiger, ostenditque solum laquearibus altis.
Ni faciat tali specie, commotus amicus

---

[1] = splendida, magna (Plautus).
[2] cod. navr. „dextras".
[3] cod. navr. „quoque".
[4] sc. cyathum.
[5] cod. navr. „ab".
[6] cod. navr. „huic".
[7] cod. navr. falso „dicta et more salutat".

Quippe indignetur caelo et mare misceat imum.
Extremum cyathi non exsuxisse liquorem
Saepe inimicitias, odia et saepe aspera movit,
Nec semel effuso maduerunt sanguine mensae,
Altaque commisso resonarunt atria ferro.
Tertius hoc facit, hoc dehinc cetera turba secuta
In longum trahit atque modum vix invenit, usquam,
Dum nullum invitare nefas, potareque solum
Mos patriae vetat et laetis lex addita mensis.
Sic[1] multo laeti exhilarant convivia baccho.
    Interea accipiunt numerosa cibaria mensae;
Succedunt epulis epulae, semperque novarum
Apparent rerum facies; latet abdita mensa
Lancibus et cyathis, gemit et sub pondere tota.
Postquam epulis depulsa fames, omnisque bibendi
Cessit amor, cyathis toties aequalibus haustis,
Cum nullus ventri vacuus locus, omnia plena,
Et longa rerum serie, longo ordine fessa:
Quae stomachum cogant molli labentia tactu,
Fercula ponuntur, grato motura sapore
Nolentes, vimque invito factura palato.
    Hic hospes pateram ingentem signisque gravatam
Imperat afferri, lateque ad summa repleri,
Acceptaque toro surgit, dehinc talia fatur:
Eia, agite, o nostris dignati accumbere mensis
Laeti convivae, si cari gratia regis
Vos tangit, regis vobis si vita salusque
Haud ingrata, scypho vestrum[2], me quisque sequatur
Aequali, nostrae aequalis si vestra voluntas.
Haec fatus dextra graviter cratera revolvit
Ingentem, penitusque intentis omnibus haurit
Ad fundum, et ne quid fundo, cavet, erret in imo.
Gutta, nefas etenim, si fundo restet in imo.
Tanta est religio ob regis potare salutem.

---

[1] cod. navr. „sic", corn. „si".
[2] msti. „nostrum".

Deinde solo vertit vacuum cratera manuque
Vibrat; vibratus mantelia sicca relinquit.
Haec ubi facta, dari iubet ocius omnibus una
Pocula, quae sua quisque volens stans protinus haurit,
Haustaque ter dextra quassat mensisque volutat:
Uda et vix summa restant vestigia mappa[1]:
Argumentum ingens in regem quanta voluntas.
Contra, cum superest, animi reputatur amaror;
Nil bibere hostile et maiestas laesa putatur.
Post ne contemptam sese generosa queratur
Regia progenies, si quem regalia sceptra
Post suprema manent longaevi fata parentis,
A primis olim qualis delectus ab annis,
Quem genti augustis augenda ad regna calendis[2]
— Fata iuvent utinam,— haec laetissima saecla tulerunt,
Sismundo natus Sismundus, nominis alter
Huius sauromataeque idem spes altera gentis:
Illius ob vitam, ob crescentes illius annos
Indulgere iterum Baccho iubet optimus hospes.
Post sequitur regina suum mox Sforcia natum.
Hanc iuxta Elisabe[3], austriacis quae nuper ab oris
Sarmatiam ad magnam, regi socianda marito
Venit, sarmaticae ante alias carissima genti,
Digna viro, dilecta viro, spes ultima regni
Unde genus, iustique olim longo ordine reges
Procedent[4].
Cetera reginas sequitur dehinc regia proles.
Tu bellis, Isabella, subis iactata superbis
Pannoniae nuper regis iustissima coniux,
Nunc vidua infelix, tot adire coacta labores,
Infelix casus tot volvere iussa molestos[5].

---

[1] cod. navr. „summae — mappae".

[2] Alludit ad diem regis natalicium, qui erat calendis augustis, a quo Sigismundo alterum nomen Augusto inditum est.

[3] Conf. huius vol. carm. 5 et 6.

[4] Sic in mstis.

[5] Loquitur de bellis contra partes Isabellae Turcasque a Ferdi-

Fatis eripiant ut te infelicibus, omnes
Certatim bibere atque scyphos iuvat ire sub imos,
Mille licet mensa fumantes hauserit illa
Quisque cados, largo et totus natet undique baccho.
Nec te olim nimium, o nimium dilecta parenti,
Praetereunt, Heduigis [1], abes quamquam orbeque longe
Vivis teutonico, ante alias pulcherrima matres,
Summo iuncta viro, cuius suffragia caesar
Implorat quondam rerum sumpturus habenas.
Tres hinc augustae succedunt deinde puellae
Caesare quaeque suo dignae et Iove quaeque marito [2]
    Post ubi iam reges regumque superna propago
Quisque tulere suos, quos mensa indicit, honores,
Hospitis est redimenda salus, longumque bibendum
Illius ob vitam, et cellam exhaurire necesse est.
Nec minus interea, si quos sitis arida findit,
Exercent alios cyathis multoque lyaeo.
Quos, sitiant aut non, totas haurire lagoenas
Est opus, et largo late se immergere baccho,
Alteriusque sitim propria depellere dextra.
Non potare etenim sitienti crimen amico.
    O miseros, iterum miseros, o mentis egenos,
Quos aliena sitis numerosa ad pocula cogit;
O duras mensae leges moremque nocentem!
Di faciant, utinam faciant [3] volventibus annis,
Exuat hunc olim generosa Polonia morem,
Dum sese studiis exercent talibus omnes
Alternantque vices longum et sine fine bibendo.
    Obruitur cyathis alius, cui plurima contra
Pocula, quae multis cunctanti vocibus instant;
Dextra alius tenet ingentem cratera trementi,

nando, romano rege, inter aa. 1540 et 1545 gestis. Conf. Szujski, Dzieje Polski II, Lwów 1862, pg. 234 sq.

[1] Conf. huius volum. carm. 11. v. 72 adn.

[2] Conf. huius volum. carm. 11 vv. 14 sqq.

[3] Ms. corr. „facient". navr. „faciant".

Quem[1] nequit epotare, et quo se liberet astu,
Nesciat[2] infelix: tot contra lumina, contra
Tot vigiles oculi et non conscia parcere pubes.
Saepe aliis oculos alio volventibus amens
Clam dare tentavit famulo; saepe ille retexit
Fraudantis dextram, saepe ultro prodidit audax.
Mensa idem subter furtim, si abscondere possit,
Molitus, risum deprensus movit et ad se
Cratera irrisus traxit; violentius instant
Tunc omnes, bibat, et longum finire laborem
Cogitet. Ille amens, animi turbatus, ut ingens
Hoc onus a sese tandem propellat, iniquis
Haustibus accelerans, toto sese irrigat auro.
Haec dum diversa mensae fors parte geruntur,
Furtim alius sese tacitus subducit et aufert,
Nec sufferre potest[3] longae fastidia mensae
Poculaque invita toties venientia dextra.
Mictum alius fingit sese properare fugitque,
Dum sentit iamiam furientem summa Lyaeum
Et pudet in tanta mensae succumbere turba.
Mos totos potare dies, et tempora somni[4]
Iungere, nec cellis requiem dare semper apertis.
Humentem terris abiens sol reddidit umbram,
Cum ventum ad mensas post pocula mille secundas,
Epotos post mille cados, post paene relictas
Exhaustas cellas. Tot apertis undique vasis
Felix, quem mensae invictum videre secundae
Constantem pedibus volvendae et munere linguae,
Nec succumbentem baccho circumque ferentem
Incertos oculos artusque atque ora trementem.
Instaurari iterum mensas et vina reponi
Nec vinis parci regalibus imperat hospes.
Apparet mensis rarus conviva secundis;

---

[1] Msti „Quam".
[2] sic.
[3] Malim: „Nam sufferre nequit".
[4] Corn. „somnis", navr. „somni".

Pocula stant contra; vacuus locus; hospes abisse
Convivas maeret mensasque astare relictas.
Nec minus hos, inter quos stat victoria mensae
Gloriaque, immiti iuvat indulgere lyaeo.
Ergo velut mensa bibitum nihil esset in illa,
Impigri rursum accipiunt ingentia dextra
Pocula, distinctumque choris[1] cratera, movere
Quem nequeas utraque manu. Bibere usque sub imum
Ardua res: pauci, laetus quos Bacchus amavit,
Sauromatae potuere. Sui res ausa laboris
Praemia magna olim monacho tulit; hausit in altum
Sublatum cratera uno — res mira — tenore:
Dignus, cui mediis mola libera surgat in undis,
Centum quae una urbes, centumque alat una cucullos.
Ingenti ergo instant crateri[2]; hoc imperat hospes:
Convivae laeti parent et vina capessunt.
Quisque suum potare chorum conviva iubetur.
Hic fraudare nefas; cadit hospite iudice causa[3]
Fraudator, paulo cedit lis victa momento.
Non homines fas est, non appellare Iovemque.

---

[1] Corn. „choreis", navr. „choris", quod recepi in textum dubitanter. Singulae crateris partes, anulis distinctae, significari videntur. Conf. v. 182.

[2] uterque mstus. „cratere".

[3] „causa" est ablativus.



22.

IN LITUANICAM PEREGRINATIONEM[1].

Si quis jeździabit[2] lituana per oppida gościus,
Seu Vilnam perget, seu fors wyjeżdżaverit[3] inde,
Ille niechaj secum, rżanum[4] chlebum atque białum[5]
In curru portet; sine curru tendere błąd[6] jest.
Illud, iter, te ferre opus est, quodcunque potrzebat,
Atque salem, fatuas nisi vis jadare potrawas[7].
Niech wyborna tuum repleat cervisia bęben[8]
Seu quam dat Piątek, albo quam Sobota[9] mittit.
Miód quoque non desit młodus, starusve, żołądko

---

[1] Exstat hoc carmen in libro msto. cornicensi pg. 413 sq. et, singulis versibus decurtatum, in ultimo folio msti. varsaviensis XVI s. bibliothecae Crasinsciorum, quod continet A. Cricii carmina, unde transscriptum edidit Cas. Morawski in Dissertationibus et actis cl. philol. academiae litt. cracov. t. XII, pg. 402 sq.

[2] corn. jeździabit, crass. „jeździzavit".

[3] corn. „wyjeżdziaverit", crass. „wyjeździzaverit".

[4] corn. rrzanum, crass. „źzanum".

[5] corn. biallum.

[6] sic in ms. crasin. Cornicensis habet „blat".

[7] Versus 5 et 6 desideratur in crasin.

[8] corn. „beben", crass. „Benben". Est autem vas vitreum ad portandam cerevisiam aptum (gąsior).

[9] Piątek, oppidum nunc in districtu lencicienasi gub. calisiensis situm, cerevisia olim celebre. Conf. adnotationem Cas. Morawski in edit. Cricii carminum pg. 264, 3. Sobota, olim forum cerevisiae officinis clarum. Nunc est vicus, qui mutato nomine appellatur Sobotka iacetque in eodem lenciciensi districtu [Słownik geogr. s. d. P.). Conf. vol. II carminis ad Decumanum v. 30 (Ossol. pg. 138 = Corn. 255).

Utilior, gravis at głowie gratusque pijanis[1].
Et si vina placent, curru sunt vina vehenda;
Non etenim najdziesz drogam venale per omnem,
Vel ladajakum, quamvis sis ipse gotowus
Pro totidem kroplis totidem numerare szelągos[2].
Quod si szklanica[3] deest, kuflo dzbankowe[4] plugawo
Aut okopciała musisz[5] potare konewka,
Ex qua smerdowie[6] modo potavere mużyki.
Czapka tibi pro lichtarzo persaepe locanda est,
Aut opus est nożum tales defigere in usus.
In ściana mensave solent quoque ponere quidam
Ex rżano chlebo sztukam w pośrodku foratam[7].
Si deerit pościel, praebebit słoma grabatum;
Pro lecto tibi ława dabit distendere corpus.
Quod si frigus erit, czarna recubabis in izba,
Inque die cernes noctem undique et undique dymum[8].
Stertentique inter krowas tenerosque cielątkos
Non tibi zegar opus; parvi cum matre prosięta[9]
Excutient somnum, quamvis sis ipse kamienius.
Non tibi pluskwa ciałum noctem śmierdząca per omnem
Rodere cessabit .... *undique... angusta bieda*[10].

---

[1] Hic versus desideratur in msto. bibl. crassin.

[2] corn. „selangos", crass. „szelongos".

[3] corn. „sklinca", crass. „sklenica".

[4] corn. „zbankowe", quae forma ipsa antiquior est.

[5] corn. „mussis".

[6] mss. smierdowie, śmierdowie.

[7] Vv. 18—21 desiderantur in crass., vv. 22—30 publicavit iam Wiszniewski in Hist. litt. pol. vol. VI pg. 340 ex msto. corn.

[8] corn. „dimum".

[9] corn. „prosięti", crass. „prosienta".

[10] Hunc auctoris sive scribae manu nondum perfectum versum sequitur in msti. corniconsis extrema pagina alius carminis titulus hic: „In bibulos". In hoc titulo desinit ipse liber mstus. Verba inclinatis typis expressa in corn. altera manu adscripta sunt, desiderantur in crassin.

23.

DE ARTE ADULANDI[1].

Divitias et opes misero laudabis avaro.
„Quid splendor rerum et cultus! nihil aurea torques
Illusaeve auro vestes, nihil anulus ingens!
Vana haec; ferrata melius stet nummus in arca,
Auxilium qui olim, si quid fortuna minatur
Dura, ferat casumque potens soletur acerbum".
Copia verborum placido tibi semper ab ore
Dulce fluat; titulis onera, repetasque superbae
Si quid erit laudis; nulla haec impensa sequetur.
Quanti quisque facit se, tanti atque amplius illum
Feceris[2]; assurgant cristae cervicibus altis[3];
Alterum Atlanta putet se, aut si quid maius in orbe est.
    Exit mane domo: venientem dulce saluta,
Mille annos illi, mille illi saecla precare.
Vivat adhuc, saevos cum mundus abibit in ignes
Nullaque restabunt vastae vestigia molis[4].
Cetera deinde dies studiis te cernat in iisdem
Prudenti stultisque place, vive arte doloque,
Cede loco, officiis certa, quae nulla sequatur

---

[1] Exstat hoc carmen in solo libro msto. cornicensi pg. 405-406.

[2] Mss.: „fecerint".

[3] = Intumescat opinione praesumptae magnitudinis. Conf. Iuven. IV, 70.

[4] Senecae stoicas de interitu mundi opiniones in memoriam revocare videtur.

Impensa; arride; venientem nomine primus
Compella, salvere iube; sermonibus virum
Quemque petas, quibus ille magisque magisque tenetur.
Quae probat ille, proba; quae non, ratione refelle.
Fusius absentem lauda, praesentibus illis,
Qui referant: feret haec laus olim audita favorem.
Parcior in laudes fueris praesentis; amamus
Laudari absentes magis, ut magis aethere cassi[1].
Maxima laus illa est, nostras quae serior aures
Attingit, multis iactata anfractibus olim.
Cum tristi tristare, dolens solare dolentem,
Si queritur, querere; est hilaris, tu laetus ovansque.
Certandum officiis, quae nulla impensa sequatur.
Haec summa est: esto rebus praelargus in illis,
Quae nihilo constant, quae cetera[2], parcus omitte.
Stultum est piscari rebus spem, maxima parvis
Fas fuerit petere ut quondam piscator in Istro
Ingentem trahat ut piscem, parvum inserit hamo.
Pulchra, dabis si quando, dabis constantia parvo:
Forma addit pretium tempusque et verba ferentis.
Nulli unquam, nulli, nec amico mutua caro,
Aera dabis, nisi vis et amicum perdere et aera.
Mutua cum petit est frater; cum reddere tempus,
Hostis erit; longe venientem lumine torvo
Respicit, atque alio, sibi fias[3] ne obvius, ibit.
Ecce tui merces nummi! da verba, nega rem,
Sic tamen, hoc prudens nemini ut videare negare.
Rhetore opus, nostris hodie qui plurimus aulis.
Quaerendi, quis quemque queas removere, colores.
Turpe negare puta verbis, ut vulgus, apertis,
Mentem animumque tuum ut[4] comitetur et omnia vultus:
Nil dederis dantis similis similisque volentis.

[1] = vita functi?
[2] sic.
[3] Mss. „fiat".
[4] „ut" addidi ex coni.

Nolis: te vultus faciat et verba volentem[1];
Mens, quod fert, tegat intus. Tu imo in pectore tecum
Laetare haud secus, ac qui evasit retia cervus.
Magnum te cunctis verbo praestabis amicum,
Re tibi, quicquid agis; tua torque incommoda semper.
Omnis te socium, te dixerit omnis amicum,
Omnes tu, verum tibi tu sis solus amicus.
Aula omnis socium dicat te, te omnis amicum
Aula vocet, tu omnes[2], intus sed tu esto tibi, tu
Soli uni socius, soli uni verus amicus.
Haec nunc pauca foras; olim plena otia nactus
Caerula pulsabo maioribus aequora tonsis.

[1] Mss. „noli" — „dolentem".
[2] sc. voca amicos.



24.

DE OMNIPOTENTI NUMMO [1].

Nullum numen habet, cui nullus nummus in arca est;
Quisquis habet nummum, non leve numen habet.
Ille volens mutare potest quadrata rotundis,
Ille potest atras esse iubere nives,
Lucem obscurari tetramque albescere noctem,
Et tepidos medio vere rigere dies.
Ille velit — regi parent sic omnia nummo, —
Aequus erit campus, mons ubi nuper erat;
Rursus, ubi campis ingens fuit aequor apertis,
Mons erit haud levibus pervius alitibus.
Quid submota loquor, nostros fugientia sensus,
Nec memorare magis cotidiana iuvat?
Nummus prudentum linguas et pectora solvit,
Nummus, sit prava in lite, patronus erit.
Quo corrupta suum coniux malefida maritum
Defungi fato compulit ante diem.
Prodidit Adrasto quem pessima munere coniux [2],
Clamat id in mediis Amphiaraus aquis [3].
Nummo venit amor, nummo sua pignora mater
Prostituit, nummo prostat et alma fides.

[1] Exstat hoc carmen in utroque msto. et corniconsi (pg. 338—340) et ossolineo (pg. 260—262).

[2] Eriphyle, Adrasti soror, a Polynice monili dato corrupta.

[3] Ismeni fluminis.

Quae non audierat, quae quis non viderat, illa,
 Adsit si pretium, viderit, audierit.
Visa, audita potest dives sibi quaerere; nummi
 Sunt aures, oculi semper in arbitrio.
Non vidit, si opus est, caelo quae vidit aperto;
 Est qui lynx, si des munera, caecus erit.
Quaeque quis audierit, mercede audita negabit,
 Et si deposcat res tua, surdus erit.
Verba magistratus nummo sua vendit: et ille
 Vivit, qui corvis esca futurus erat.
Pupilli lugent et cassae coniuge matres
 Et per egestatem qui numerare nequit.
Divitiae vincunt; paupertas nuda recedit;
 Nummatis discat cedere, quisquis eget.
Quae expugnare nequis et frustra marte fatiges
 Moenia, erunt nummis mox patefacta tuis.
Hoc flet Tarpeius, pretio quem perdita pacto
 Filia femineis exuit arce dolis [1].
Testaturque Ephesus, Brenno quae prodita regi,
 Non cessura viris, munere capta fuit [2].
Pontificum victrix, victrixque pecunia regum est;
 Illorum, quo vult, pectus et ora trahit.
Nuper quae abnuerant et acerba voce negarant,
 Haec fieri, nummus mox ubi fulsit, amant.
Et promissa negant contra atque oblivia fingunt,
 Cum lucroque putant fallere dulce fidem,
Interea nummo cum [3] tanta tributa potestas,
 Ut nutu humanas res regat ille suo.
Ille palatinos auro est mercatus honores,
 Atque minax celso praesidet in solio.
Hic scandit summas, imis haud dignus, ad aras,
 Atque emptum multo possidet aere pedum [4].

---

[1] Conf. Liv. I, 11, 6 sqq.
[2] Conf. Plutarchi Parall. min. 15.
[3] Fortasse Royzius scripsit: In terra nummo iam tanta...
[4] Lituum episcopi, qui vulgo pastorale dicitur.

Designatque cruces dextra, cruce dignus, et arae
Defigit recidens oscula, dignus hara.
Quo non, numme potens, penetras? Dominaris ubique,
Cuncta tuo in terris subicis imperio.
Si tua quae terris, caelo foret aequa potestas,
Omnipotens nobis, numme, vocandus eras.



INVECTIVA.

VIII.

INVECTIVA.

25.

CARMEN TUMULTUARIUM

adversus astrologum quendam,

in vitam viri Dei, SAMUELIS,

Cracoviensium episcopi, mentitum [1].

In stemma gentilicium S. Macieiovii.

Si cornu petat et pedibus si spargat arenam,
Quem laesit, laesus sentiet astrologus [2].

[1] Editio huius carminis, cuius textum ad exemplar bibliothecae ossolineae hic repeto, caret loci et anni nota. Carmen editum esse circa a. 1547 inde colligas, quod Samuel Maciejowski, episcopus cracoviensis (a. 1545—1550) dicitur, uterque autem Sigismundus et pater et filius regni participes victoresque celebrantur v. 148, id quod non ante a. 1540, vix adeo ante a. 1546 fieri potuit. Ultimum huius editionis epigramma aptiori loco inter minora carmina reservavi.

[2] Hoc epigramma expressum est in editione sub imagine gentiliciorum Macieiovii armorum, quibus nomen est Ciołek a tauri figura in eisdem depicta.

Ad episcopum Samuelem.

Dira minabantur, Samuel, tibi sidera mortem:
Cracovia egressus non rediturus eras.
Sidera vicisti, rediisti: sidera praeter
Si dare nil possit funera, semper eris.

CARMEN.

Ecce redit Samuel, longum victurus in aevum,
Antistes Samuel. Quid tu, scelerate magister
Stellarum, mentitus ais? Quid sidera dicunt
Et, quae nequicquam volventia consulis, astra?
Quae male veridicus toties facis irrita, quondam
Fataque mentiri procerum regumque potentum
Bellaque pestesque et vastantes arva locustas.
Ecce redit Samuel, quaeque illum sarmata pubes
Est comitata, omnis, salvi rediere patresque
Laetantes, est et quicumque secutus euntem.
Cuncti adsunt, crinis nec vertice decidit unus.
Fata minabaris quid tu vanissime nuper
Caelorum doctor, scelerum magis improbe doctor?
Fata minabaris Samueli instare diemque
Extremum, extrema, heu, Lachesim iam carpere pensa,
Dissecuisse Hecatem fatalem vertice crinem![1]
Quid nos ante diem, fatum mentitus acerbum,
In luctum lacrimasque vocas? Quid, pessime, gentis
Sauromatum reples diris rumoribus urbes
Intendisque nigros ante horrida fata cucullos?
Quid ruit in mentem, quae te dementia versat,

[1] Serum quendam mythum de Hecate fatalem morituri crinem dissecante sequi videtur.

Ut caelum terris praedicere talia fingas?
Sarmata[1] Sarmaticae tam dira precabere genti?
Quis cum rege regat populos Samuele perempto?
Quis proceres, si quando olim mala miscet Erinys,
Quos partes rapit in varias discordia demens,
Discordes animis iungat, parti aequus utrique?
Pacis amans doctusque malas componere lites,
Implicitas lites et non cedentia iura,
Et mollire olim placidis odia aspera verbis?
Hunc raptum terris voluisti pessime vates?
Dic mihi, quid tandem, quid te — per sidera posco —
Offendit? quid non laudandum in praesule tanto est?
Si tibi, quem cupias, fingendus episcopus esset,
Non alius fingendus erat, nisi noxia cordi
Crimina sunt, placet et corvos praeferre columbis.
Maiestas veneranda viri speciesque decora,
Unde tibi quidvis possis promittere magnum;
Certa fides illi, pietas, prudentia rara,
Mens mitis, placidum ingenium, in bona prona voluntas;
Eloquio praestans et religione verendus,
Consilio, quo vincat avos veteresque Solonas
Et Lacedaemoniis figentes iura Lycurgos;
Antistes iustus: non illo iudice dives
Quam pauper potior, potior non ille vel ille,
Non, quam civis, eques splendore superbus avito;
Importuna nihil valet intercessio maior,
Nil precibus constans lacrimis nec flectitur ullis,
Nil apud hunc aurum porrectave munera possunt.
Iusta virum poscas: nunquam patiere repulsam.
Dextera iustitiae iustas tenet aequa bilances.
Vir bonus hic aequusque et non iniurius ulli,
Cui curae pietas, cui diis indicere honores
Priscorumque patrum iustos defendere ritus.

---

[1] Is erat fortasse Martinus Fox, medicinae doctor et academiae cracoviensis professor, qui in Sigismundi Augusti aula astrologi munere fungebatur.

Huic studium fulcire Deum labentia fana,
Lapsa instaurare et magna nova condere mole.
Huic inopes studium viduas miserosque tueri,
Huic studium populum mores vitamque docere,
Vitam, quam moriens nos vivere iussit Iesus.
Casta viri domus est inculpatumque cubile.
Irasci nescit. Seu dura solvere poena
Insontem, iusta seu sontem lege ferire
Conveniat, procul aut fanis arcere profanos,
Sermo fluit lenis: rem perficit aequus utramque.
Si ad vultum spectent et molle sonantia verba,
Evasisse rei poenas legemque putabunt:
Omnia, quicquid ait, placido sic ore profatur;
Lene fluit semper leni de pectore sermo
Erumpens. Quantum furiosa ferocia nescit,
Ille hilari vincit vultu verbisque benignis.
Hunc raptum terris voluisti, pessime vates,
Crudelis vates, crudelis et impie vates?
    Aut[1] voluisti amens? voluisti an scilicet illud,
Iniussu ne quando tuo discedat ab urbe
Optimus antistes? sine te non efferat aula
Ille pedem? tua, vis, servet decreta tuosque
Nutus, quos vanus mutis mentiris ab astris?
Scilicet hoc faciat servetque Polonia tota?
Pannosum nuper, saturum nec pultibus udis,
Audite, o proceres, ex astris fata loquentem!
Parete; illius vobis decreta secutis
Omnia tuta cadent, fortuna accedet et anni.
Illius nemo iniussu gressum efferat urbe,
Nemo domo, nemo hoc audens, nemo inchoet illud?
Sive novas scindat, sive induat ille lacernas,
Astra videnda prius? Nil non suadentibus astris
Tentandum est homini? Dictent nisi sidera, nemo
Carpat iter gressumve sua extra limina tendat?

---

[1] Sic pro „an".

Hoc meus astrologus iubet, hoc et sidera iurat
Dicere spargentemque polo sua lumina Phoebum!
 Invenere viam astrologi sibi subdere regum
Sceptra superborum, sua regibus astra loquentes:
Imperium in populos hac sunt ratione secuti,
In plebemque ignaram et religionis egenam.
Astrologi! vobis parent hic orbis et alter,
Plebesque patresque omnes et, qui regit omnia, caesar[1].
Imperium exercete, viri, exercete superbum
Imperium in rerum dominos et summa tenentes.
Praecipite ex astris, et toto spargite vulgo
Fata obitusque hominum mentitaque funera regum.
Astrologos o sacrilegos, o pessima rerum
Nomina, mentiri terris qui cogitis astra,
Digni praecipites volvi phlegethonta sub imum!
Et vos o stultos, qui Divis astra relictis
Observatis, apud quos plus Iove sidera possunt:
Digna superstitio poenis et gorgone saeva,
Quam malus antistes, quam servavere tyranni,
Quos nec religio Divum nec gratia tangit,
Olim quae nulli cessit bene, perdidit omnes
Oblitosque Deum sub tartara volvit averna!
 Discite, Sauromatae, stellas contemnere et astra
Iniectosque metus vanis a vatibus olim.
Cracovia antistes Samuel contra astra malosque
Astrologos aeger nuper discesserat urbe:
Nunc redit ecce valens firmato corpore; priscum
Robur adest, hilares oculi, decor oris et ille
Laetae frontis honos: non aegrotasse putetur.
Qui modo lectica clausus multisque revinctus
Pellibus, impatiens caelique et frigoris aspri,
Durum ingressus iter, languens sua moenia liquit:
Vectus equo redit immiti gressusque ferenti

[1] His enim temporibus tanta erat astrologiae auctoritas, ut vulgo ne doctissimi quidem viri eam aspernarentur praedictumque ab astrologis in annum 1524 commune diluvium summo cum metu omnes exspectarent.

Astra dehinc temnas; venerabile nomen Iesu
Pro vanis posthac sit tibi sideribus.
Hunc Samuel servat tuus, haec sua sidera dicit,
Inchoat ipsius nomine, quicquid agit.
Hunc imitare, tui mores cole praesulis; astris
Sic tibi prae vanis Christus Iesus eat.
Quicquid agis, semper Christi dic nomen Iesu,
Illius incipias nominė, quicquid agis.
Omnia succedent; neglecto quisquis Iesu
Sedulus observat sidera, stultus homo est.

25.

INVECTIO
IN PRAESULEM QUENDAM[1].

Dixisti ante pedum nuper, sacramque tiaram
Qualis, si te sors evehat, esse velis:
In plebem largus tenuem lateque profusus,
Summa sacerdotum ut cura futura tua
Templorumque, sacris cultus ne debitus aris
Sit neglectus, eat ne pietasve retro.
In desertores tu religionis acerbus,
Subsidium fidei grande futurus eras.
Extremo quos non tunc pollicitaris ab orbe!
Arcessendus erat theologus inde sacer,
Sanctaque qui doceat romanae oracula sedis,
Et qui clamosum non sinat esse forum.
„Theologus hinc, illincque boni consultus et aequi
Complebit mensas, turba diserta, meas“.
„Non mea“, dicebas, „aliud quam grande sonabit
Mensa σοφῶς[2], caelum dignaque verba Deo.
Multus ibi Moses, ibi caelo gratus Aaron,
Lecta[3] ibi caelicolae cetera turba Patris;
Pulchra Dei eloquia et regni promissa perennis.
Haec primas inter prima futura dapes,

[1] Ex msto. cornicensi pg. 74–79.

[2] mss. „sophos“. Est autem sollemnis vox sapientibus sententiis assentientium.

[3] Ex. v. 120 reposui; mss. dicta.

Supremas haec inter erunt; haec propter ab ore
Prompta hospes retrahet pocula saepe manu".
Audiit Omnipotens et votis annuit ultro:
Protinus en capiti iuncta tiara tuo est.
Extulit ut fortuna solo solioque locavit
Teque auxit multis largior imperiis, —
Cessit consilium vetus et promissa tulerunt
Irrita praecipites subter inane noti.
Mens alia est, quam nuper erat; diversa probantur
Consilia; haud eadem, quae modo dicta, placent.
Indulgere magis genio te et Sardanapalos
Vivere quam Paulos Hilariosve[1] iuvat.
Ingentem cratera manu plenosque trientes[2]
Sustentare leve est, biblia sacra grave.
Una voluptatis cura est: Venus, alea, venter:
Cura, has si demat quis tibi, nulla tua est.
Plebs neglecta iacet peritura fameque sitique,
Te et queritur faciles sic habuisse Deos.
Nulla sacerdotum, templorum nulla sacrorum
Cura tibi est, nullus religionis amor.
Cum pietate tibi nihil est, nil numina curas,
Nil homines; unum fasque nefasque putas.
Nemo sacros, reddunt tibi quos altaria, census
Attingat, decimas nemo negetve tuas,
Turbet sacra licet, Divosque exturbet olympo
Et neget in caelo si volet esse Deos.
Nil res illa tua refert, nil talia tangunt
Te; salvi census sint, decimaeque tuae.
Scilicet extremo accerses, — fas credere, — ab orbe
Qui populos doceant, erudiantque tuos?
Promissis quibus aethereum speramus olympum,
Iactatae et quae sit ancora fida ratis,
Quae caelo via stelligero, quae gloria Divum,

[1] Innotuerunt imprimis: Stus. Hilarius, episcopus arelatensis (429—449), Hilarius, pontifex romanus (461—468) et Hilarius, episcopus pictaviensis (350—366), severitate regiminis et morum integritate.

[2] Prop. III, 10, 29 Mart. VI, 86, 1 X, 49, 1 (triens).

Vanasque has, quis tam sollicitamur, opes.
Sic reor: occiduus poscenti mittet Iberus,
Qui canonas doceat scitaque sancta patrum,
Et verbo feriat[1] lites dirimatque potenti,
Lex ut[2] ubique sonet, pax ut ubique sonet.
Haec tibi vana, tuis nec convenientia curis,
Praesul, consiliis et minus apta tuis.
Tu potius scurras ultra Garamantas et Indos
Quaesieris largus ridiculasque feras.
Haec magis optabis, palmis et habere duabus,
Qui servat thalamos, Astyanacta, tuos.
Graios vina tibi quam libros mittere malis[3]:
Hi somnos adimunt, praesul, at[4] illa vocant.
Non sacra, non Divum cultus; tua gloria, praesul,
Est molles inter vivere delicias:
Fundere vina cadis mensasque onerari coronis,
Et, bibat aut abeat, sollicitare Iovem[5];
Pocula post mensasque leves ductare choreas,
Et quicquid Curios non sinit esse graves.
Ceu seges in campis media ut sint[6] pocula mensa,
Illud grande tuum cernere delicium[7],
Fumantemque dies totos noctesque culinam
Mille auctam, — res o luxuriosa, — coquis.
Ingentem si quis pateram celeri hauserit haustu,
Huic pulchrum ob facinus rura beata dabis.
Prandia longa paras, seras visura lucernas,
Poculaque invita multa trahenda manu.
Auroram cenae videre fugaciaque astra;

[1] Litem ferire idem valet ac iudicare ex iurisconsultorum more dicendi.

[2] mss. „et".

[3] Declarat hic locus et libros et vina graeca apud Polonos tum fuisse in usu. Conf. infra v. 97 sqq. et editionem Cas. Morawski Cricii carminum pg. 265 adn. 1.

[4] mss. „et".

[5] Hoc nomine viros summae gravitatis auctoritatisque designare videtur.

[6] mss. „sunt".

[7] mss. „delitium".

Discrimen nullum noxve diesve facit.
Inter convivas et plenis pocula mensis
Distentus baccho laetus ovansque iaces,
„Huc, Lenaee, veni!" clamans. Hoc plurimus hospes,
Auctorem sequitur, ebria turba, suum.
Alta ferit clamor laquearia, tecta resultant
Et reddunt voces atria pulsa suas.
Ignarus rerum ingentem putet esse tabernam,
Aut Baccho solvi debita vota patri.
O Petros, Paulos, caelestia numina, patres!
Talia vestrae olim monstra tulere dapes?
Gaudete in caelis et successoribus istis
Pro meritis caeli prima parate loca[1].
„Bacche veni!" ingeminat praesul meus; ite ministri,
Ferte citi calices, porgite[2] vina manu.
Gaudia distulerit nemo: tu caecuba funde
Raetica tu, rhodios proferat ille cados.
Defessos sol urget equos, ruit oceano nox:
Tu magis atque magis fundere vina iubes;
„Bacche" iterum ingeminas praesul, late atria Bacchum
Ampla fremunt, late Bacchus ubique sonat.
Sermo dehinc, posito paulum clamore, resurgit
De vinis, quae sint anteferenda quibus.
Graecane romanis, an, quae fert pannonis ora,
Illis, quae phoebus torruit occiduus.
Hic thasias laudat vites, mareotidas ille,
Et laudes sentit cella falerna suas.
Mille illic vini discrimina, mille sapores,
Multaque, quae magnus nesciit Hippocrates.
Epotare queant una quot pocula mensa,
Quisque refert: hic quot vitra quod ille bibat.
Pocula post centum invicto se stare cerebro
Iactat hic et pedibus sistere posse suis.
Nomina potorum veterum memorantur et aevi

[1] mss. „locum".
[2] ms. „pergite".

27.

DIRAE

IN PONTIFICIS MAXIMI

romanaeque illius maiestatis hostes[1].

Exstinctum qui vult papae venerabile nomen,
Obliviscatur nominis ille sui.
Nec patre quo genitus, nec qua sit matre creatus,
Dicere, nec qua sit natus in urbe, queat.
Humanae oblitus naturae, lucis amatae
Nesciat exortus, nesciat occubitus.
Ignoret, qui sit, terrarum oblitus et aethrae,
Ignoretque, tener sit puer anne senex.
Ignoret, nox anne dies, quasque incolat oras,
Incolat an terras, incolat anne salum.
Dormiat an vigilet, cernatne an caecus oberret,
Nec fari possit, nec sciat ille satis.
Non vigilet dulcive inclinet lumina somno,
Nec iaceat, nec stet, nec tamen ille cubet.

---

[1] Exstat hoc carmen manu scriptum in tribus codicibus: in cornicensi (pg. 265 sqq.), in ossolineo (pg. 149 sqq.) et in codice miscellaneo bibliothecae caesareae petropolitanae (charta 26). In illo codice petropolitano ita inscribitur: „Dirae pro Polyhymnia", deinde primo versu leguntur haec: „Exstinctum qui vult vestrum, Polyhymnia, nomen". Cetera consentiunt cum hoc textu, quem ad codices cornicensem et ossolineum exhibui, praeter v. 159. Sed codicis petropolitani memoriam sprevi, utpote iam hac re suspectam, quod illud „vestrum" primi versus ad singularem numerum „Polyhymnia" non quadrat. Genuinum textum manus cuiusdam fidei catholicae inimici mutasse videtur. Conf. v. 89 sqq.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] vivit,
[illegible]
[illegible]
[illegible] amet.
[illegible]
[illegible]
In [illegible] tenebras,
[illegible] amet.
[illegible]
A saevis [illegible]
[illegible]
Nesciat [illegible] palem.
Nullae urbes pateant; quascunque advenerit oras,
Ulla peregrino nec[1] sic aperta domus.
In campis degat violento obnoxius imbri,
Iras sensurus, Aeole saeve, tuas,
Cum furis[2] emissis caeco de carcere ventis,
Hinc terras miscens comminus inde polos.
Dulcia cum tangit labris, absinthia fiant,
Sumpta ceres lapides, haustaque vina cruor.
Extimeat semper, ne caelum corruat atque
Opprimat illius tota ruina caput.
Qua gressum feret, extimeat, ne terra dehiscat
Vivus et in stygias praecipitetur aquas[3].
Liberne an servus sit, caelebs anne maritus,
Sitque vir an potius femina, scire neget.
Lapsus mente putet caelo nihil esse sereno
Tetrius, atque magis nocte micare nihil.

[1] Sic mss., ut saepius „non" pro „ne".

[2] Mss. exhibent „furit".

[3] VV. 43—64 leguntur in ossolineo in foliolo seorsum agglutinato, locus tamen, ad quem pertinent, in textu post v. 42 designatus est; in cornicensi ordo versuum nulla re impeditus servatur.

Aure loqui credat se, credat et aure videre,
   Os, oculos frustra dixerit esse datos.
Esse datos neget ille pedes, quo incedere possit,
   Esse datasque neget, tangat ut ille, manus.
Membrorum officia ignorans se nesciat, atque [1]
   Quo moveatve manus, quo moveatve pedes.
Ingrediatur iter longum sitque indigus aeris,
   Inque gelu medio hunc trita lacerna tegat.
Frangatur latis rota campis, axeque fracto
   Haereat in medio naufraga [2] raeda luto.
Auriga aufugiat [3], moriatur equus, sit opaca
   Nox illi, rectam non [4] teneatque viam.
Denique sit aliquam misere delatus ad urbem [5]:
   Accedat, quod sit ianua clausa sibi.
Atque hospes dicens foeda de peste venire,
   Corripiens baculos, pellat ab urbe procul.
Postremo rediens scrobem delapsus in altam
   Frustra homines, ipsos invocet ille Deos.
In silices subito molles vertantur amictus,
   In ventos, quicquid dextera tangit, eat.
Exagitent illum luctus et crebra suorum
   Funera, pax illi nulla nec ulla quies.
Cum dormire iuvat, tonitru quatiatur olympus,
   Proque toro latebras territus ille petat.

---

[1] Ante hunc versum leguntur in solo ossolineo hi duo versus:
Membrorum officiis, dum sese ignorat, abusus
Nesciat infelix, quo ferat ille gradum.
Deinde sequitur adscriptum „vel". Haec omnia tamen lineis transversis deleta sunt ita, ut legi possint.

[2] Vix apte hoc adiectivum usurpatur.

[3] In ossol. exstat „fugiat" cum adscripto „au"; in cornicensi perperam „ac fugiat".

[4] Sic mss.

[5] In ossolineo verba „delatus ad urbem" alia manu adscripta sunt. Ceterum uterque liber exhibet „Denique sic". Mutavi, formamque „sit" pro longa admisi, neque enim aliter v. 60 „quod" explicari potuit. Audacius visum mihi scribere: „Denique sic .... ad urbem accedat, ut ...", quamquam sane ita aptiorem redditurus eram sententiam.

Lumina si quando somno inclinaverit, illum
Excutiant furiae tetraque visa toro.
Saepe optet ferro sceleratam abrumpere[1] vitam.
Atque malis finem sic reperire suis,
Effugiatque manus ferrum atque occasio longe,
Optatamque neget Parca severa necem.
Terra neget fruges, mare pisces, aethra volucres,
Perque neget flammas ignis et amnis aquas.
Omnibus aerumnae quae gentibus ante fuere,
In caput obversas sentiat ille suum.
Inter mortales infelicissimus omnes
Fortunam nolit illius esse suam.
Detestentur eum frater, soror, uxor, amici,
Nil magis invisum iuret uterque parens.
Quin vitae talem ob natum dum taedet utrumque,
Illa manu letum quaerat et ille manu,
Aut se praecipitet summi de vertice montis,
Aut rapidas alti iactet in amnis aquas.
Ad sacri tenuere, patres[2], qui fluminis undam,
A se vix teneant abstineantque manus,
Irati monstrum caelo generasse nefandum
Et Christi nomen ferre dedisse Dei.
Lacte suo, infandum, nutrix, quae eduxit alumnum,
In mortem ferro sanguinolenta ruat.
Infelix coniux, vinclum excussura iugale,
Ipsa sua iugulum comprimat usa manu.
Haec nati nataeque legant sibi funera, stringant[3]
Aut teneram laqueo patre vidente gulam.
Conubii et ne expers vitae data tempora perdat,
Illius thalamos dira Megaera petat.
Alecto invideat, saevis caput apta colubris,
Praereptumque sibi dicat inulta virum.
Clamet idem fera Tisiphone dicatque fremendo:

[1] Ossol. „obrumpere".
[2] Sponsores, qui eius baptismo interfuerunt (ojcowie chrzestni).
[3] Ossol.: „stringăt", Corn.: „stringat".

„Nostra[1] haec, non nostrae iura sororis erant“.
Imponat tantis finemque modumque querelis
Tergemino nigrae ianitor ore domus,
Ingentique canat tristis nova gaudia lecti
Latratu; hi vestri sint, hymenaee, chori.
Orpheus inde procul, procul inde canorus Arion
Atque amphioniae plectra diserta lyrae.
Pro quibus horrificus ferali carmine bubo,
Inflet stridentem nocte silente tubam.
Noctua luctifico respondeat abdita cantu,
Nycticorax voces edat et ipse suas.
Nocturnisque canes ululatibus aera pulsent,
Lugubri et quicquid gutture triste sonat.
Involet in mensas tristi scarabaeus odore:
Quas volvit pedibus, inferat ille dapes.
Se occultet sol, ne conubia talia cernat,
Proque illo reddant sulfura tetra diem.
Nulla quies thalamo: cimicum dens rodat eundem,
Illius pulicum non satis ira toro est.
Insomnem cogat totam traducere noctem
Plurimus infesto, quam valet, ore culex.
Tisiphoneque tori dextram Alectoque sinistram
Occupet; illius sic hymenaeus eat.
Insomnes Aurora, satus patre Phoebus[2] eodem,
Insomnes iubeat semper habere dies.
Lapsus mente lupum nunc se, nunc se esse leonem,
Dentatamve aliam se putet esse feram;
Nunc sibi ridiculo videatur simia rictu,
Aut si qua hac animans foedior esse potest.
Mox rudat, factum dum sese credit asellum,
Mox latret, sese dum putat esse canem.
Brutorum tamquam formas transisset in omnes,
Se neget esse virum, se putet esse feram.
Oblitusque sui manibus pedibusque per udam

[1] msti. „nostrae“.

[2] Solem (ἥλιον) designat, qui aeque ac Aurora, Hyperionis proles erat.


Instar quadrupedis ingrediatur humum.
Insultentque canes gradienti et amica luto sus[1],
Virque gregis mixtus congrediatur aper.
Cumque illi multa vexatum aetate cadendum
Atque adeunda nigri regia Ditis erit,
Non illi morbus, non illi febris anhela,
Lenta valetudo non ferat ulla necem:
Coniurent tristes osae caput eius Erinyes[2],
Eumenidum infelix concidat ille manu.
Mactatusque malo leto et cruciatibus, orcum,
Perpetui luctus conscia regna, petat.
Ille, sequens latices, sit Tantalus, indigus escae,
Ixionque suam cogat habere rotam.
Pro Tityoque, novem distento iugera, morsu
Illius assiduo viscera mandat avis.
Poena sit illius, quas portant Belides, undae,
Poenaque sit saxum, Sisyphe, ferre tuum.
Supplicium de alta pendentis rupe Promethei
Perferat, atque suo pectore pascat avem.
Denique sit tandem dirarum ut meta mearum,
Imponantque irae carmina nostra modum:
Exstinctum qui vult papae venerabile nomen,
Illum ut sera olim saecla fuisse negent.
Quas poenas Pluto manes edixit in omnes,
Vertat in illius multiplicetque caput.

---

[1] Horat. Epist. I, 2, 26.

[2] Per synizesin legendum, ut saepe in ultimo hexametri pede Conf. Euripid. Iph. Taur. 931, 970. Ceterum mss. habent „Erynnes".

MIXTA.



DANTISCANA.

Terra homini fida est; infidus pontus et undae:
Hoc, discit tumidis, qui negat, haustus aquis.
Defunctoque sibi carmen sciat esse paratum:
„Terra dedit tumulum, cui dedit unda necem".

II.

Terra iter anne unda facias, vis discere, quantum
Distat? Vita, hoc, quod distat ab interitu [1].

III.

Non intrabis aquas autumno flante; venire
Quo terra potes, huc velificare cave.

2.

Ad eundem praesulem de navigationis successu [2].

I.

Ecquid, Carncovi, est? tumidum ciet Aeolus amnem,
Navem ascensurus cum dare vela paras:
Te navem ingresso mulcet mox Aeolus undas,
Succeditque citis lenior aura notis.
Cum ventum ad metamque viae est navemque relinquis
Protinus excitis fluctuat amnis aquis.
Cui venti indulgent, placidus cui militat aether,
Hunc, nec fallor enim, numen habere puto.

---

creatus, deliberasse videtur, utrum terra faceret iter, propter grassantem pestem periculosum, an potius Vistula Gedanum se conferret. Iussit autem rex Carncovium praeesse quinqueviris addiditque ipsi Royzium, suum iurisconsultum ac consiliarium. Trium carminum, quae hic repetuntur, duo priora exstant in codice corn. pg. 157, in oss. pg. 23, ultimum in corn. pg. 164, in oss. pg. 32.

[1] Iunge: Distat hoc (= hac re), quod (= qua re) distat vita ab interitu. In libris interrogandi nota voci „discere" additur.

[2] Carncovius iam constituit Istula Gedanum navigare. Prospera tempestate naviganti Royzius itineris socius his duobus carminibus (Corn. 164 = Oss. 33) gratulatur.

II.

Nocte furit tota tempestas, mane quiescit:
Divisum imperium cum Iove, praesul, habes.

3.

NAVIGATIO

STANISLAI CARNCOVII,

Vladislaviae et Pomeraniae praesulis religiosissimi [1].

Cum tempestates autumnus in orbe cieret,
Istulaque insuetis intumuisset aquis:
Non magis absistit praesul Carncovius ire,
Quod fluvio properans instituisset, iter.
Flumen init, tumidis se credere fluctibus ausus,
Non cessaturis et dare vela notis.
Ingresso rapidi cessarunt praesule venti;
Praebuit et placidas Istula mitis aquas.
Oblitusque sui autumnus, qui frigore terras
Stringebat, veris redditus instar erat,
Nullis turbatus nimbis nullisque procellis,
Horridus aut ventis, Aeole saeve, tuis.
Navigat autumnoque antistes et amne secundo;
Silva dabat noctes, flumen et unda dies.
Oppida quippe lues villasque intrare vetabat,
Dira lues, multos quae dabat una neci.
Lucebat totas Phoebe nitidissima noctes,
Sole micante dies non mage clarus erat.
Noctem unam excipio, ventis quae flantibus almum
Involvit Phoebes nubibus atra caput,

[1] Navigationem hoc carmine descriptam, quam tangunt carmina, quae supra proposui, fecit Carncovius autumno a. 1568. Carmen hoc exstat in cod. corn. pg. 163 sq., in oss. pg. 31 sq.

IX.

MIXTA.



DANTISCANA[1].

I.

STANISLAO CARNCOVIO,

praesuli Wladislaviae[2], Istulam naviganti[3].

I

Quo tellus dat iter, ne te committito ponto,
Et te flumineae credere parce rati.

[1] Hoc titulo complexus sum carmina, quae referuntur ad res tumultusque Gedanensium aa. 1568—1570. Quae colligi uno capite placuit, non solum propterea, quod iam in libris manuscriptis (corn. 162-193 = oss. 29'—66) maximam partem unum corpus communi nomine notatum efficiunt, sed etiam ideo, quod pleraque a poeta una emissa esse in lucem certa exstant vestigia. Historiam tumultus gedanensis legationumque Gedanum eo tempore a Polonis missarum enarravi in polonae dissertationis, quam edidi De vita operibusque Royzii, partis primae cap. 3. Quam si quis inspiciat, facile perspiciet, quibus rationibus ductus et ordinem carminum iam uno capite in libris msstis. traditorum hac illac paullulum immutaverim, et quaedam aliis librorum mstorum. locis asservata huic capiti immiscuerim. Ceterum unde quaeque sumpta sint, idoneis locis adnoto.

[2] Erat episcopus vladislaviensis sive cuiaviensis aa. 1567—1581.

[3] Referuntur haec ad id a. 1568 tempus, quo Carncovius quinquevir ad res Gedanensium aliarumque Prussiae urbium componendas a rege

6.

In abbatem pelplinensem[1].

I.

Pro dulci fallax qui miscuit hospes amarum,
Pro luce horrendas ille ferat tenebras.

II.

Pro suavi ingratum qui haustum mihi praebuit hospes,
Naresque insueto movit odore meas:
Olim pro dulci Divorum nectare plenis
Faucibus infernos hauriat ille lacus.

7.

De cella monastica[2].

Ut patet ampla mihi data cella monastica! Si quis
Tendat utramque manum, tanget utrumque latus.
Lectulus et mensa est parvumque sedile. Supellex
Cui satis haec, nimis hunc quis neget esse sophum?

[1] Msti. (Corn. 156 = Oss. 21 sq.) exhibent „Peplinensem". Pelplini haud procul a Gedano erat celebris abbatia cisterciensium, ubi Royzium a. 1568 aut 1569 hospitio exceptum esse suspicor. Quod si ita fuit, facile etiam fieri potuit, ut ei, utpote Gedano germanoque nomini tum inimico, ab abbate pelplinensi per ludibrium amarum illud et graveolens poculum praeberetur.

[2] Corn. 156 sq. = Oss. 22. Royzius fortasse in ipso pelplinensi monasterio illa cella exceptus est.

8.

In Parcanias pagum[1].

Parcaniae, vobis mala quae imprecer, haereo, vati
Pro hospitio immundam quae tribuistis haram.
Non ignem aut ferrum; sunt haec hostilia: semper
Mille, colant quae vos, adfore quaeso sues.

9.

Ad Ioannem Kostkam, castellanum gedanensem[2].

Ni, promissa mihi nuper, mittatur avena,
Deficiet quadrupes me deficiente crumena.

10.

In caudas equorum Germanorum[3].

Monstrat equus caelum recta, velut indice, cauda,
Fidus hero, aversus spectat at ille solum.

[1] Corn. 156 = Oss. 22. Parchanię sive Parkanie est pagus episcoporum vladislaviensium, nunc in circulo inovroclaviensi situs. Royzius commoratus esse videtur in hoc pago tempore ipsius legationis gedanensis a. 1568 aut 1569. In libris inscribitur: „In Parcaniam pagum". Sed textus docet Parcanias pagum a Royzio dictas esse. Ceterum titulus hic, in ossolineo altera manu adscriptus, non ab ipso Royzio praescriptus esse videtur.

[2] Corn. 158 = Oss. 25. Ioannes Kostka, quinquevir rebus Gedanensium componendis, fuit castellanus gedanensis aa. 1556—1574 (Niesiecki, Herbarz ed. Bobrow. I, 286; V, 294 sqq.). Ceterum in ossolineo ad titulum haec insuper addita sunt: „pro undecim equis verbis petit undecim", sed posteriore manu deleta.

[3] Corn. 157 = Oss. 22. Confer infra carminis q. i. Legatio v. 39 sq. Dicit Germanorum (sc. Gedanensium) equos esse cauda erecta, capite demisso. Pro „aversus" exspectares potius „adversus".

II.

De cerevisia nigra gedanensi[1].

I.

Miror, cur atro gaudet Germania potu.
  Nil mirere: atra gaudet et illa fide.

II.

Miraris, potu Germanus gaudeat omnis
  Cur piceo? picea gaudet et ille fide.

III.

Tetra perhorresco, ceu Ditis, pocula; quaeso,
  A me, Carncovi, transeat iste calix.

IV.

Grata quibus nigrans cervisia pocula praebet,
  His pix aut carbo debuit esse cibus.

V.

Tetra perhorrescit qui non haec pocula, tetras
  Formidaturum hunc non puto Ditis aquas.

VI.

Qui Bacchi inventum haec teterrima pocula dixit,
  Ille dedit vanos et sine mente sonos.
Qui contra tetri dicunt haec pocula Ditis,
  Hos veros vates, hos cor habere putem.

[1] Corn. 155 sq. = Oss. 21. Confer infra carminis q. i. In Gedanenses tumultuantes v. 25 sqq. In convivio quodam, cui interfuerit Stan. Carncovius, ministratam esse illam gedanensem cerevisiam, docet epigramma III. Quae indicare videntur a. 1568 aut 1569.

12.

CARMEN

gadalophaei poetae[1]

de prussica quinque optimatum legatione Varschovia missorum deque dantiscano tumultu.

Accessit:

Querela manium undecim ex maris dantiscani custodibus, capite per iniuriam a gedanensi magistratu plexorum, ad Sigismundum Augustum Poloniae regem, principem optimum maximum. Eodem gadalophaeo poeta auctore[2].

a.

Carmine rex lecto, quod vates scripsit Iberus
De dantiscanae crimine perfidiae,
Ut laudet carmen, nisi damnet crimen et ultor
Vindicet, est omnis irritus iste labor.
Carmen ab occasu ad septem dedit ille triones,
Cui gadalophaeus proluit ora latex.

b.

Libellus lectori.

I.

Quos peto, — ne quis me in rubro miretur amictu, —
Persolvenda viris poena cruore venit.

---

[1] Scil. Royzii, utpote ad Gadalopham (Guadalope), Hispaniae fluvium, nati.

[2] Ex msto. corn. 162—170 = oss. 29—49, praemissis tamen eis, quae leguntur in corn. 163—165 = oss. 31—33. Hic duplex titulus inscriptus erat libello, qui carmina post priorem legationem a. 1568 ante comitia lublinensia a. 1569 conscripta continebat separatimque in publicum editus est. De hac legatione conf. dissertat. meae polonae De Royzii vita et scriptis partis primae cap. 3. Quae carmina, utpote falso in hunc libellum illata, quaque ratione ductus excluserim, ex adnotationibus apparet (conf. pg. 272—274).

II.

Quos peto, — ne quis me in pullo miretur amictu, —
Persolvenda illis funere poena venit.

III.

Pelle rubra, lector, ne me mireris amictum:
Quos peto, reddenda est sanguine poena viris.

IIII.

Illis, — ne in rubro me, rex, mireris amictu, —
Quos peto, reddenda est sanguine poena rubro.

V.

Hinc rubrum tegmen mihi, nam, quem carmine pulso,
Est opus, ille suo sanguine tingat humum.

VI.

Hinc tegmen rubrum fero, quod, quam carmine gentem
Insequor, illa opus est, sanguine tingat humum.

VII.

Ecquid me in nigro, lector, miraris amictu?
Quos peto, plus quam atram promeruere necem [1].

c.

Legatio.

De latere Augusti Dantisci ad moenia missi,
Regia legati qui data iussa ferant.

[1] Videtur poeta carmina sua De legatione prussica deque dantiscano tumultu in aliquot exemplaria descripsisse, alteramque eorum partem involucris rubris, alteram nigris indutam, pro colore idoneis hic propositis versiculis instructam, Carncovio fortasse auctore, ad senatores legatosque comitiorum lublinensium a. 1569 dimisisse; certe eius modi consilium haec epigrammata produnt.

Primus it antistes pietate insignis avita[1],
Carncovius, patriae splendor honorque suae.
Qui dignum, terras habitans, se reddit olympo
Et solium superos inter habere Deos.
Mansuetus, mitis merito cui stemma sit agnus,
Qui in caelum ablutis sanguine monstrat iter.
Huic castellani sociantur quattuor: ore
Ille Siracovius[2] promptus et ingenio;
Sczavinius Simon[3], musarum dulcis alumnus,
Alcides clavam, cui dat Apollo lyram;
Olesius[4] mox consequitur, quem Prussia gaudet
Inter praecipuos[5] enumerare suos;
Kostka[6] dein regi ante alios fidissimus omnes,
Tempore quos ullo Prussia terra tulit.
Devenere locos Gedani prope tecta superbi;
Iam successuri moenibus urbis erant.
Eloquar, an sileam? ingressu prohibentur et urbe,
Et plebs excita seditione fremit.
Arma rapit, furit, immineat ceu moenibus hostis
Proximaque ad portas hostica castra forent.
Pervigil arma tenet miles, custodia pernox
Asservat vicos, moenia, templa, domos.
Intendere graves operoso ex aere catenas;
His claudunt medias urbis ubique vias.

---

[1] Stanislaus Carncovius armorum Iunosza, tum episcopus cuiaviensis, postea archiepiscopus gnesnensis.

[2] Ioannes Ogończyk Sierakowski, castellanus calissiensis vixit ad a. 1569.

[3] armorum Prawdzic, castellanus inovroclaviensis 1569 — 1572 (Bielski).

[4] Georgius Oleski, armorum Grzymała, castellanus culmensis.

[5] Prima manus cod. ossolinei exhibet „primos", secunda manus atramento pallidiore vocem „primos" delevit et supra adscripsit: „praecipuos".

[6] Ioannes Kostka, armorum Dąbrowa, erat castellanus gedanensis aa. 1556—1574. Is ad discidia gedanensia tollenda plurimum contulit, ita ut ei in comitiis publicis gratiae pro ea re referrentur (Nies. V, 294 n.).

Excutitur, quem non germanicus ambit amictus,
Moenia si Gedani forte subire iuvat,
Et quem pileolum gracilentum aut uncus acinax
De priscis Lechi gentibus esse docet.
Laxa ferant, opus est, discinctaque pallia verrant,
Quae terram et talos pulverulenta terant.
Cuius non monstrat vestis germanica gentem,
Abstineat Gedani moenibus ille procul.
Qui caligas multo velo non farciat imos
Ad talos, illis ille Polonus erit.
Calceus incurvus vestisque astricta cavenda est,
Lechica suspectos stragula sola facit.
Quo portaris equo, monstret nisi sidera cauda,
Ne muros subeas: inde Polonus eris.
Iussus, si quas fers, scriptas monstrare tabellas,
Prorsus ad abstrusos excutiere sinus:
Formidat, quae sit legatio vera, senatus,
Plebs sciat inque malos torqueat arma patres.
Mittat militia armatos a rege iubetur
Edictis; non vult mittere militia.
Quin addit numeros numeris, arma adicit armis,
Complenturque magis moenia militibus.
Missaque, quae hos populi possint compescere motus,
Affigi rostris regia iussa vetat.
Legatos adeant si qui extra moenia, grandi
Poena plectendum creditur esse nefas.
Fraus legatorum fuit ipsum attingere limen
Suspectusque, ausus quilibet illud erat.
Haec rerum est facies dantiscanique furoris,
Sic almam in terris gens colit illa fidem.
Despecti, spreti legati moenia longe
Aspiciunt Gedani, ruraque vasta tenent,
Dant humiles villae hospitium fumosaque tecta,
Nullo et quas struxit rusticus aere casas.
Quo vitam tolerent sedentque sitimque famemque,
Dantisco ex agris urbe negante petunt.
Ille, hosti nuper qui lautia misit Erico,

Mutua qui et nummum milia multa dedit[1],
Aere parare suo, legati corpora curent
Unde, negat: regine hic adhibetur honos?
Quid faciant, cum gens duras admittere in aures
Exlex, quae data sunt, regia iussa negat?
Unde tulere pedem referunt, regemque revisunt,
Et contempta in se regia sceptra dolent.
Quae te, rex, quae Lechiadas sententia patres
Versat? quae tantum deleat ira nefas?
Omne licet ferrum poenasque admoveris omnes,
Punitum scelus hoc vix satis esse potest.

4.

In Gedanenses tumultuantes.

Quis furor, o cives? quae tanta licentia ferri?[2]
Dantiscumne suo hunc regi meditatur honorem?
Debita legatis haec est reverentia summis?
Moenia clausistis pavidi, clausistis et aures
Infidi; vobis hoc mens male conscia suasit.
Quis regis mandata sui et data iussa recuset
Audire et duras demens admittere in aures?
Incendere patres et mens malesuada senatus,
Ut fremat arma ferox fictis rumoribus, omnem

[1] Erico (dicti Henrico) minori, duci brunsvicensi, a. 1563. Ericus enim collecto in Germania exercitu [illegible] mercennariorum in Prussiam regiam irrupit et ad Gedanum accessit, regi auxilio contra Moschos se venire dictitans, rogans ut [illegible], unde exercitum sustentaret. Iussus autem ab Augusto rege ex finibus Poloniae decedere, cum contra se exercitus parari videret, statim se abiturum pollicitus est, si sibi pecunia, qua egeret, mutuo daretur. Tum Gedanenses, qui iam antea lautia ei miserant, Prussiae nomine [illegible] talerum mutua ei dedere. Nihilominus inde discedens Prussiam devastavit, quo facto Poloniae hostis a rege indicatus est. Conf. Gralath, Versuch e. Geschichte Danzigs II Königsb. [illegible], pg 133—[illegible]. Lengnich, Gesch. der preuss. Lande. Sigism. Aug. Danzig [illegible] pg [illegible].

[2] [illegible] primum primi libri versum Pharsaliae Lucani.

Dantisci late populum. Qui auctoribus illis
Fertur in arma minax emotaque mente iuventus
Exsultat cristis, longisque hastilibus horret,
Nescia, quos petat, it clamorem ad sidera tollens.
Complevere vias, tamquam Germania bellum,
Viribus aut alius moveat maioribus hostis,
Milite ceu fetae ad litus stent mille carinae,
Marte premant acies admotaque machina muro,
Inspectura domos, medias assurgat in auras.
Se clausis abdunt portis et moenia cingunt
Armatis, fulgent galeae, micat undique ferrum:
Tantus ubique pavor miserorum pectora versat.
Legati hospitii accessu prohibentur et urbis,
Insomnem ludo ducit custodia noctem;
Indulget baccho et crateras vertit ahenos,
Et repetens potu large se proluit atro.
Delicium gentis cervisia[1], nota colore
Nigrantis picis et tetrae fuliginis instar.
    Vertitur interea caelum et lux alma diei
Ostendit maria et terras mortalibus aegris,
Ad durosque vocat depulsa nocte labores.
Surgitur e stratis. Somno qui indulserat, armis
Induitur miles murosque et moenia servat,
Prospectans late, si quae vicina per arva
Apparent acies inimicaque pila, manipli;
Hinnitus et si paucorum audivit equorum,
Cogitat extemplo numerosas adfore turmas,
Infestas, urbi excidium quae triste minentur.
Arma amens stringit, formidoque pectora pulsat.
    His proceres regni et legatos regis amicis
Scilicet excepere modis? haec pectore versat
Perfida gens, iustis sese ausa opponere sceptris?
Exagitant gentem furiae, et dementia vexat
Vesani mentem populi, mitissima regis

[1] scil. „Nam delicium gentis cervisia est". Sed fortasse quaedam exciderunt aut traditus locus corruptus est.

Haud satis imperia Augusti moderata[1] ferentis.
Divitiae reddunt tumidos adduntque superbis
Indomitisque animos vertuntque a cardine sensus.
Imbuere anne iterum mariani militis[2] enses
Festinant? saevum dominatum duraque sceptra
Sortiri? Quod ne ferrent, Casimirus adivit[3]
Martis discrimen longique pericula belli.
Supplicibus tantum et non digna ferentibus olim,
Tum tandem ad priscae ditionis[4] iura reversis,
Indultum est[5]. Quem non lacrimae et lamenta moverent
Servitio oppressi populi et pallentis imago?
Seque suosque iugo qui excusso ferre negabant[6]
Posse grave imperium et duris parere lupatis
Invisi terris Solymorum militis? Agris
Qui hispanis late pulsus pulsusque britannis,
Perfidus ad septem sese tulit arva trionis,
Omnia permixturus et otia laeta per omnem
Sarmatiam bello late rupturus et armis,
Pulchrae osor pacis perturbatorque quietis.
    Servitio cuius quo exiret Prussia, bello
Implicuit sese longo Casimirus et acres
Desita iam dudum revocavit ad arma Polonos,
Sanguine qui pacem vobis peperere profuso.
Quorum ope parta quies, libertas reddita, latae
Edictis placidis nullaque tyrannide leges.
Tempore quae ex illo praesens retinentur in aevum
Immotae multa cum libertate, querelae

---

[1] iunge: „ferentis“ cum „haud satis modorata“ scil. „aegro ferentis mit. imperia, quasi immoderata“.

[2] „Marianus miles“ est miles crucigerorum; „imbuere enses“ idem valet atque experiri enses.

[3] ex posterioris aevi consuetudine pro „adiit“. Agitur de bello, a Casimiro IV aa. 1458—1466 cum cruciferorum ordine gesto.

[4] scil. polonae.

[5] iunge: tantum indultum est.

[6] „negabant“ ad sensum pro „negabat“ scil. populus, qui nuncupatur v. 54.

Nullus ut esse locus possit. Rex mollia clemens
Imperia exercet iussis Augustus amicis.
Non marianaeus vestris cervicibus ensis
Imminet, insontes leto qui dedat agatque,
Ut pecudes, quocunque iuvat; non foeda libido
Vestros incestat thalamos, conubia turbat,
A matrum gremio, dulcissima pignora, vestras
In stuprum natas rapit. Haec non rege polono
Sunt vobis metuenda. Licet servare cubile
Intactum castosque toros. Mariana libido
Prussiacis bello iussa est excedere terris.
In tuto vita est, quem non sua crimina damnant,
Custodita salus; nullos hic expavet enses.
Haec rex armipotens Casimirus, Prussia, vobis
Munera bellando bis senis amplius annis
Attulit. Et demens Dantiscum claudere portas
Legatis, quos de medio iubet ire senatu
Augustus princeps, audet? nec perfida cernit
Consilia infandumque ausum, quae barbara nusquam
Gens animo meditata suo est? Nam claudere regi est
Moenia, legatis si claudas regis et urbe
Haud dubites arcere armisque rebellibus instes.
O facinus multo ulciscendum sanguine, ferro,
Igni, suppliciis! Urbs, quae patiatur aratrum,
Digna, soloque nefas ob tantum excisa recumbat,
Ut servare fidem et regum venerabile nomen
Discat posteritas colere et rerum instar habere
Sanctarum, quas quondam animo est violare nefandum.

e.

In titulum

FIDELIBUS DILECTIS

Gedanensibus dari solitum.

Scribitur ante fides, sequitur dilectio. Cessit
Unde fides, inde et dilectio cedat oportet,
Succedat cui mox positis deletio castris.

f.

In Gedanenses.

Legatos regis qui non admisit inermes,
Sentiat armatas militis ille manus.

g.

Ad plebem gedanensem.

Arma manu, plebs, pone, metusque fac excidat omnis
Res regi cordi sunt, mihi crede, tuae.
Omnia tuta puta; legatio quinque virorum
Non tibi, sed paucis est metuenda patrum.

h.

De gedanensium motu.

Arcet ab ingressu Gedani cum plebe senatus
Regis legatos, aut[1] sine plebe patres.
Haud[2] sine plebe patres; nam plebs decepta senatus
Commentis vafri turpibus arma tenet.
At si plebs vani discet figmenta senatus,
Convertat ne in vos arma, cavete, patres.

i.

Ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM
Poloniae regem eadem de re.

Rumpe moras! ruptis fidei ne crimina vinclis
Impunita ferat perfida progenies.
Legatis quae clausa tuis sunt moenia, muro
Effracto pateant gressibus illa tuis.
Et castigatis infidis civibus, olim
Servare addiscat cetera turba fidem.

---

[1] prima manu: „haud", manus posterior corr. „aut".
[2] prima m.: „aut", manus post. corr. „haud".

k.

Ad Polonos eadem de re.

I.

Dantisci Augusto regnabit rege senatus?
Nobilis hoc sanguis ferre, Polone, potes?
Taedeat hoc passos caeli convexa tueri
Iustus, si sentis, induat arma dolor.
Ferte citi, ferte arma viri, vi excindite gentem;
Stare sub imperio non voluere: cadant.

II.

Iis, qui Dantisco indulgent, ne indulgeat is, cui
Augusti est cordi iusque decusque sui.
Legatis regis qui claudi moenia iussit,
Ille rotae in radios fune ligatus eat.
Et det carnifici iugulum pro crimine tanto,
Et sua membra truci dilaceranda manu.
Utque memor ventura olim sciat ista vetustas,
Carmen defixis hoc superadde rotis:
„Ausus legatis clausas opponere portas
Hoc fine, hoc fune, hoc funere dignus erat".

III.

Quae Dantiscani est mens tam furiata senatus?
Ad se legatos regis adire vetat,
Occludit portas durasque admittere in aures,
Legatis spretis regia iussa negat.
Pro obsequio attollit cristas proque auribus arma:
Umbones, galeas, spicula, tela parat.
In caelum erectis digitis plebs iussa duobus
Stare patrum placitis arbitriisque cavet.
Nocte vigil celsos servat custodia muros,
Omnia formidans, omnia nocte pavens.
Luce dehinc orta servat, quod cuique tuendum est,
Miles fertque suas in statione vices.

Aspectu prohibes legatos urbis, eosdem
   Ut prohibere aditu non putat esse satis.
Inde escas petere, aut quo se sitis arida sedet,
   Gens trux, immanis, gens truculenta vetat.
Haecne est illa fides, Augusto debita regi?
   Non Scytha, non faciat barbarus ista Getes.
Consilia in melius referas, me vate, senatus,
   Vel tibi, ut senatum postmodo paeniteat.

L.

De Gedanensium largitione ad Polonos.

I.

Dantur Dantisci de flavo dona metallo[1]
   Larga manus properat flectere corda patrum.
Quaeritur una salus danda. Mala munera vobis,
   Quam pestis, quam mors, sunt metuenda magis.
Flectere vult auro patres malefida propago:
   Auro tentetur, si quis avarus erit.
Si qui se flecti sinet, ille inglorius, ille
   Non patriae pater est, vitricus est patriae.
Vitricus est patriae? quid vitricus? hostis aperta
   Dignus cui stygie mox ima dehiscat humus.

II.

Syllaba Dantisci si extrema expungitur, eius,
   Quod restat, vis est regi inimica meo.

LI.

Ad Polonum de admisso Gedanensium vindicando.

Fiet ab angustone Augusto angustia regi
   Dantisci populo? tuque Polone feres?

[1] Msti. „vitello". Vitellus proprie luteum ovis significat; hic tamen sucina dona diminutiva voce a vitro ducta notari suspicarer, nisi infra vv. 4 sq. diserte aurum nuncuparetur.

Nec te maiestas sic regia laesa movebit
Armabitque tuas in fera bella manus?
Terra prius caelo se misceat, aethera ponto[1], —
Pontus aquas, tellus deneget hospitium,
Quam pulchrum Lechi genus hanc patiatur inultam,
Quae regni sceptro turpis inusta nota est.
Acre, scio, pugnat signato, pugnat et ore
Fallaci Gedani perfida progenies.
Excusat, redimit, quae admisit crimina; vincet,
Si tu observator oris et aeris eris.
Dum mare navigium negat et nimbosus Orion
Esse iubet tumidas per vada salsa vias,
Ambiet[2] affatu blando regemque patresque,
Haud Dantiscano dulcior ullus erit.
Ast ubi tristis hiems cadet et tractabile caelum
Pacatum nautis per mare reddet iter:
Quas nunc submittit cervices, eriget; agnus
Et qui est[3] nunc mitis, tum leo saevus erit.
Est mora mors bene rem et recte, mihi crede, gerendi;
Tolle omnes, prudens si sapis, ergo moras.
Et maiestatis sceleratum ulciscere crimen;
Augusti augustum sit, fac, ut imperium.

n.

In Gedanensium patronos.

Qui Dantiscanae causae studet improbus, urbem
Legatis clausam nec putat esse nefas,
Ille suis peregre veniens succedere tectis
Cum volet et notos fessus adire lares,
Portarum obiectu procul excludatur inopsque
Sub dio algidulum quaeritet hospitium.

---

[1] scil. misceat terra. Sed R. fortasse scripsit: „aethraque ponto“.

[2] msti. „ambiget“, quod sprevi; nam et ipsum est inusitatum hac notione, et a Royzio Vergilium secuto in verbis „affatu blando“ ambiendi verbum locutionis vergilianae mutatum esse vix est credibile.

[3] „est“ desideratur in l. Zorn.

Grande malum non externus quisquam inferat illi
Istud: ut a famula sentiat, opto, manu.

a.

Querela manium undecim ex maris dantiscani custodibus, capite per iniuriam a gedanensi magistratu plexorum, ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Poloniae Regem, Principem Optim. Maxim.[1]

Admissum leve crimen erat, non carcere dignum;
Exiguo redimi quod potuisset, erat.
Non tamen hoc magis abstinuit gens effera sese
Dantiscana suas continuitve manus.
Vincimur, rapimur, trahimur, non vincula, nervi
Sufficiunt, miseros dura catena premit.
Nec mora, raptatos rabies dantiscica leto
Nos, Auguste, tuos lege vetante dedit.
Undecimo insontum maculavit funere terram,
Mactati spreto te, tua turba, sumus.
Nec satiata fuit gens Gorgone saevior insons
Nostrum de scapulis desecuisse caput,
Ni mox, infandum, palis affigat acutis,
Ceu laesa a nobis regia sceptra forent.
Quoque magis, casus nostri quos urit acerbi
Supplicium, frangat discrucietque dolor,
Qua est via praepositis Dantisci ad moenia nostris[2],
Illis praecipue proposuere locis.
Scilicet et ne cassa omni visantur honore

[1] Hoc carmine revocat poeta in Augusti animum facinus a Gedanensibus ante legationem missam a. 1568 perpetratum, quod enarravi diss. meae polon. De vita et operibus Royzii partis primae capite 3.

[2] Praepositis classis regiae, qui, postquam Clefeldus, Gedani praefectus iudiciaria potestate in classem ei a rege permissa se abdicavit, ipsi iurisdictionem classiariam obtinuisse videntur. Capita occisorum proposita erant ad urbem in litore. Conf. meae dissert. polonae locum supra l.

Singula, dant sertum vertice ferre suum[1].
Nostro in supplicio sunt ausi illudere nostris
Iusque, quod in nos est, demere praepositis,
Quorum erat, haud dantiscani punire senatus,
Si quod delictum culpave nostra fuit.
Nec teneram aetatem gens est miserata duorum:
Nil horum humani saeva tyrannis habet.
Flore aevi primo nam colla dedere securi,
Quis potuit scuticae poena fuisse satis.
Crimina, quae dici vix possunt crimina, ferrum
Vindicat, auctores nec sinit esse diu.
Impunita manent Dantisci cetera, quae sunt
Ullo in barbarico vix tolerata solo.
„Dat veniam corvis, vexat censura columbas“:[2]
Dantisco oraclum vox Iuvenalis erat.
Crimen adulterii et temerati iniuria lecti
Consuetudo facit cottidiana[3] leve
Atque metu vacuum; tantum non praemia moechus
Accipit, ut possit esse negata[4] queri.
Polluere incesto se arasque excindere Divum
Aede expilata non grave crimen habent.
Arbitrioque suo templis imponere morem
Quisque sibi et legem ferre licere putat.
Non Babylon tot se in linguas diviserat olim,
Quot secta est sectis urbs ea monstrificis.
Unaque tam varios dum claudunt moenia ritus,
Hicque suis Divis tus dat et ille suis.
Nullus honor sacris; colit hic, quae despicit ille:
In cavea clausas dixeris esse feras.

[1] Singula sc. capita. Ceterum ratio grammatica exigit fere haec: „dant s. ferre cuique suum“.

[2] Iuven. sat. II, 63.

[3] Emendavi dubitanter. Oss. exhibet: Crimen adulterium et temerati iniuria lecti cet.“, corn.: „cr. adulterii..... Consuetudine fit c. leve“. Ceterum „cottidiana“ usurpatur eadem quantitate, qua apud Catull. 68, 139, nam vulgo primam brevem, secundam longam habet. „Iniuriā“ tribus syllabis pronuntiandum.

[4] scil. praemia.

[illegible]

[illegible]

[illegible] quorum [illegible] per [illegible] alimenta praebenda. Conf. infra [illegible]

Aere, suum cum vix aes numerare queat.
Non regem agnoscunt, non regia iussa capessunt,
Spretos legatos aspicis ecce tuos.
Legatis clausere forum, clausere macellum,
Clauserunt aditus, moenia, templa, domos.
Quae tibi clausa puta. Quid enim, rex inclite, refert,
Nuntius an princeps hoc patiatur idem?
Est instar regum et quaedam legatus imago,
Quo laeso, ut laeso principe, crimen erit.
Non inventa ullis gens est tam barbara terris,
Qua currum Titan fertque refertque suum,
Quae non legatis iustos et haberet honores,
Et grato exciperet comiter hospitio.
Qui bruma haec ineunte audent, quid vere reverso,
Rex Auguste, sibi non licuisse putent?
Cum placidus ventis stat pontus et aequora nautas
Fluctibus invitant in vada nota suis?
Quo Scyllam et libycas liceat contemnere Syrtes
Tempore et infidis credere vela notis?
Iram acuas, meritam poenam accelerare necesse est;
Seraque principibus praecipitanda mora est.
Assumunt animum sontes, audacia crescit,
Si princeps sceleris segnior ultor erit,
Et nova contemptis meditantur crimina sceptris,
Et mala praeteritis accumulare malis.
Inclamat noster fusus sine crimine sanguis:
„Ulciscare tuos, qui sine lege cadunt.
Aut nostri oblitus te ulciscere; ferre licebit
Si tua maiestas laesa tuumque decus
Sit sartum et tectum, male natus et ille senatus,
In quem deliquit [1], sentiat atque fleat.
Quid fleat? haud lacrimis, persolvat sanguine poenas,
Mordeat et caeso gutture fusus humum.
Vulturibus corvisque voranda cadavera prostent

[1] msti. exhibent „transfixit". Correxi. Fortasse scripsit R.: „ius, quod transfixit".

50.

Matres et pueri, aere qui lavantur
Non ullo[1]; astrologus negat. Fatemur
Aegrotare fidem, tuo dedisti
Quam regi modo, perfidusque frangis.
Hic si morbus inest tuis medullis,
Si praecordia, si sinus adurit,
Vivax si cor edit negatque somnos,
Aegrotas nimis et nimis. Quid, inquam,
Aegrotas? Superare te negabo,
Et dicam stygiae incolam paludis,
Terret Cerberus ore quem trifauci.

14.

In Gedanenses[2].

I.

Si maiestatis reus amplas incolit aedes,
  Estque illi carcer deliciosa domus,
In quos sunt nervi, manicae duraeque catenae?
  In quos sunt, quaeso, vincla reperta reos?

II.

Exsultant fures, acuunt sua tela latrones,
  Quique patri insidias, quique tetendit avo.
Obsidet ille vias, media grassatur in urbe
  Hic. Animo versent crimen ut omne suo,

---

[1] sc. infantes nondum quattuor annos nati.

[2] Queritur, ni fallor, his duobus carminibus Royzius, quod Gedanensium legati, iudicio comitiorum lublinensium a. 1569 condemnati et in carcerem coniecti mitius lentiusque tractentur, quam par sit pro scelere laesae maiestatis commisso. Itaque errore quodam in libris manuscriptis (Corn. 179 = oss. 50) haec carmina anteponuntur eis, quae „In Clefeldum" inscripta sunt (Corn. 180 = oss. 509), cum ex temporis ratione posteriora sint.

[illegible]

[illegible] — tanti.

[illegible] — abibit.

[illegible] — fas.

[illegible] herorum,
[illegible] habet? — habet.

[1] [illegible] ad verbum „ferre“.

[2] [illegible] Haec pertinent ad id tempus comitiorum [illegible] causa dicta condemnati [illegible] sunt. Divulgatum esse tum videtur, id quod [illegible] factum est, fore, ut legati vinculis soluti incolumes domum dimitterentur.

[3] Versibus hexametris adiungitur sine idonea causa pentameter. Hoc carmine singulis versibus adscribuntur responsa, altero vero singulis distichis.

Servare exutos vinclis et compede sontes,
Quamvis maiestas laesa sit, ille potest? — potest.
Liberat ergo reos poenis herus ille, talherus?
An ius in leges omne talherus habet? — habet.
Quae mare, quae tellus fert, quae fert lucidus aether,
Omnibus his, illo qui caret, ille caret? — caret.
Haec eadem dives, qui illo et nummosus abundat,
Sit licet in foedo fornice natus, habet? — habet.

III.

Dextera pasquillos scribit, quam stringere durae,
Si quid iura valent, debuerant manicae.
Legatosque petit scripto. Par parcere dextrae est,
Quos armis petiit, si petat et calamo.

16.

De divina in Dantiscanos
ob laesam maiestatem vindicta[1].

Regia Dantisco maiestas laesa pepercit,
Infandum aut non est hactenus ulta nefas.
Seu mora vindictae est, sive indulgentia poenae,
Hoc ultrix iusti non tulit ira Dei.
Ergo tota gravi complevit moenia tabo:
Iudicio haec Divum est poena secuta reos.
Perfida gens, regis quae edicto pendere legum
Debuerat poenas, pestilitate cadit.
Desertis cives passim tumulantur in agris,
Nulla cadaveribus tot Libitina sat est.
Hunc, licet indignis, tribuit Deus ultor honorem,
Supplicio regem dum praeit ipse suo.

---

[1] Corn. 181 sq. = oss. 53. Haec referri videntur ad a. 1869 exeuntem.

Nam, rota quos avidis aut furca aut uncus in escas
Servasset corvis, fossa recondit humus.

17.

De STANISLAO CARNCOVIO,

Vladislaviae et Pomeraniae episcopo, regio Gedani legato[1].

I.

Occupat expulsus templis praetoria praesul;
O quam illi potius linquere templa fuit!
Ingemuit his Gedanum verbis; haec maesta querela est;
Hos geminat questus ingeminatque suos.
Clausa malum hoc pariunt legatis moenia nuper,
Contempta et multis regia iussa modis.
Paucorum tandem dominandi insania fecit,
Dum sibi Dantisci vindicat urbis opes,
Illam quod pulsus delubris praesul in urbem
Ab rege imperium iam prope regis habet.

II.

In vestras animas ius, Dantiscane, negasti,
Pastorique tuo pontificique tuo,
Qui regis iussu in vestros legatus honores,
In vos, in vestras ius habet ultor opes.
Sic, quem pontificem sprevisti ob dogma Quiritum,
Hic tibi nunc legis lator et auctor erit.

[1] Cora. 183 sq. = ooa. 37 sq. Haec pertinent ad alteram legationem a. 1569 ex comitiis lublinensibus missam. Gedanum iacebat in dioecesi vladislaviensi, subiectum igitur erat sciitis Carncovii, sed eadem spernebat. Conf. inter alia epistulam Carncovi ad Clefeldium (Epistolae virorum illustrium annexae editioni D'ugossi Lipsiae 1712, N. 73).

III.

Spretus erat tibi, qui mitis modo venit ut agnus,
Et, quamvis esset, non tibi praesul erat.
Nunc alter graius venit Draco condere leges,
Te et magnis regis subicere arbitriis.
Agni qui ora pati nequisti mite balantis,
Pro hoc exserta trucis ora Draconis habes.

IIII.

Pontificem nuper Gedanum, quem ferre nequivit,
Qui nunc praetorem, dic mihi, ferre potest?

V.

Ora sui qui pontificis non audiit aede
In sacra, in sacro hic audit ut illa foro!

VI.[1]

Pontificem in sacra quem non tulit aede, profanis
Hunc in iudiciis Gedanensis honorat; eundem
Spretum in divinis tractantem humana veretur.
Consilia hoc tumidae peperere improvida genti.

VII[2].

Venisti sudo caelo, Gedanoque relicto
Volborium intrasti sole micante tuum.
Te post ingresso largus demittitur imber,
Aridaque optatis arva rigavit aquis.
Christus, Carncovi, cuius tibi gloria curae est,
Has caeli alternas imperat ire vices.

[1] Huic epigrammati praescribuntur in libris mstis. haec: „Quattuor versus longi". Omisi utpote supervacanea.

[2] Hoc carmine ipsum Carncovium alloquitur.

18.

Gratulatur domum regi
a Gedanensibus concessam[1].

Martia nona dies centum plus attulit annis:
Fert, aetas hominis quod negat, illa dies.
Augustum Augusto, quod tollat ad aethera, tectum
Matlaviae[2] ad ripas nobile dat Gedanum.
Burgrabius, proconsul adest lectusque senatus;
Assensuque frequens comprobat ordo suo.
Suscipiunt regni proceres. Carncovius, est cui
Post Divos, regis proxima cura sui,
Praesul, quo melior sacras haud attigit aras,
Seu vitae exemplo, seu pietate velis.
Inde Siracovius pietate vir inclitus omni,
Antiquos inter vivere dignus avos.
Non hic Kostka deest, animo sublimis et acer,
Ingenti in regem praeditus ille fide.
Hic Firleius adest, virtute insignis et ausis,
Laus Dambroviciae fama decusque suae.
Hic quoque Wyssocius[3], pars non postrema senatus,
Cultor iustitiae et religionis, erat.
Utque peroravit placido Carncovius ore,
Regali apprensa, quae stat ad astra, domo,
Teutonica haec repetit lingua Gescavius abbas,
In cuius labris Suada diserta sedet:
„Augusto augustas patrum ordo hic suscipit aedes,
Augusti augustum crescat ut imperium“.

---

[1] Corn. 182 sq. = oss. 53 sq. Titulus hic posteriore manu adscriptus est in ms. oss. Condiciones pacis acceperunt Gedanenses a Carncovio regiae legationis praefecto a. 1570.

[2] Hunc fluvium cum Vistula aquas suas miscentem Germani nunc Mottlau, Poloni etiam Moltawam dicunt.

[3] Firleius, castellanus cracoviensis et Wyssocius successerunt in locum Olesii et Sczavinii, qui priori legationi interfuerunt.

19.

CARMEN
ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM,
regem[1].

Accipe Dantisco scriptas te principe leges,
Rex Auguste, tuoque volens has numine firma.
Ipsae ingens maris imperium portusque receptum,
Sceptra quibus regum quondam spoliata priorum
Exciderant[2], tibi restituunt regnoque polono;
Dantiscumque ipsam, quae fidens moenibus altis
Divitiisque iugumque tuum et tua mollia demens
Imperia haud patiens sumptis excusserat armis
Urbeque legatis clausa, tua sacra ferebant
Qui nuper mandata, gravi discussa senatus
Iudicio, haud temere subitove emissa calore.
Sanguine quos fuso et multorum caede licebat
Et decuit punire, manuque excindere sontes:
Hos tu, rex clemens, cuius clementia caelum
Caelituumque domos superat, meliora secutus
Consilia, haud properans nec saeva percitus ira,
Legatis iterum missis, prudentia quorum
Nota tibi pridem sed nunc illustrior, ipsam
Urbem etiam, quae pro domina se insana gerebat,
Sceptra retraxisti supter tua iusta, tuumque
Regale imperium, et fundasti legibus aequis.
    Illa superba diu cristasque attollere caelo

---

[1] Corn. 183 sq. = oss. 54 sq. Hoc carmen refertur ad a. 1570, quo condiciones pacis, altera legatione Lublino a rege missa, a Gedanensibus acceptae in comitiis varsaviensibus comprobatae sunt, novaque legatio ad ea exsequenda tertium Gedanum est missa. Conf. Górnicki, Dzieje w Kor. Sanok 1855, pg. 132 sq.

[2] Subiectum est „sceptra". Sceptra r. pr. spoliata exciderant imperiis (quibus) maris portusque. „Quibus". ablat. pendet aeque a verbo spoliandi atque a verbo excidendi.

Sueta, volens demissa animique oblita tumentis
Sceptris laeta tuis urbs sese tradidit ultro,
Paucorumque aspro dominatu libera facta
Tota tua est, hominisque simillima, scilicet arto
Ereptus qui servitio duraque catena,
Tempore quam longo maerens in carcere gessit,
Exsultat prisca pro libertate recepta,
Tectumque augustum, centum supraque negatum
Annis, festinans quod mox ad sidera tollat,
Spectandum procul et centum sublime columnis,
Dat tibi Matlaviae ad ripas properantis in altum.
Illa tibi sedes, caput urbis, curia regum
Celsa polonorum, quo tu lectusque senatus
Ordoque conveniat multis stipatus equestris,
Unde petant responsa dare et sibi iura volentes
Supplicibus cives votis, oracula tamquam
Missa polo, quae olim morem terraeque marique
Imponant late poenasque in crimina figant.
Hoc te rege decus quaesisse Polonia gaudet;
Gaudeat et longum ut possit gaudere, procura.
Res ea te nomenque tuum super aethera tollet;
Regalesque tuos aeternos reddet honores.

PROSOPOPOEIA DANTISCI,

ad

IOANNEM PROITUM, GEORGIUM CLEFELDIUM, CONSTANTINUM FERBERUM, ALBERTUM GISIUM,

optimates scilicet suos, loquentis [1].

Quos ego Dantiscum tandem, mitissima passos
Exilia, haud meritas poenas et debita factis
Supplicia, incolumes ad moenia nostra reversos

[1] Corn. 186—193 = oss. 59—66. Scriptum est hoc carmen a. 1570, quo optimates Gedanensium vinculis liberati domum sunt dimissi.

Aspicio? Mihi quod cunctis sperare negatum est
Sideribus, vates nec dicere quivit Apollo!
Vos alui ad magnosque eduxi mater honores,
Evexique volens et, quos obscura nec ullis
Insignes rebus modo fama recondidit, auxi
Divitiis opibusque et celsa in sede locavi.
Immemores, — quid non ingrata oblivia possunt? —
Tantis pro rebus, magnum ut discrimen adirem,
Fecistis, famae fidei dulcisque salutis, —
Horresco referens, — nostras occludere portas
Regis legatis Augusti illustribus ausi,
Augusti regis, quo sospite Prussia sospes
Semper erit! vos quae, o stulti, dementia cepit?
Haec super armastis vicos, fora, templa domosque;
Mittere militia iussi atque emittere portis
Armatos: numeris numeros vestra addere contra
Sustinuit regis spretis audacia iussis.
Qualis erat Troiae facies, cum Graecia bellum
Dardanium ob Paride· et scelus exitiale Lacaenae
Moverat excidium terraque marique minata,
Talis nostra fuit: ferrum undique et undique ferrum
Stridebat fulgens et luce micabat ahena.
Pax nusquam nusquamque fides. Haec gratia regem
Augustum mansit, servatoremque Polonum?
Sanguine qui dextraque sua, pia Prussia, quondam,
Ne marianaeo serviret pressa furori,
Perfecit duroque iugo, quod ferre nequibat,
Eripuit victor libertatique vetustae
Restituit, quae non nisi regibus ante polonis
Subiectae[1] obtigerat, longumque annosa per aevum,
Pulchra pace vigens, portis durarat apertis.
Hac scelere excideram prope vestro et tristibus ausis
Digna pati, clemens nisi rex servasset, aratrum,
Extremum occasum vastasque videre ruinas,
Suppliciis vestris foedata madensque cruore.

---

[1] ms. „subiecta".

Dii meliora tamen — dulcisque polonicus, unde
Nostra salus semper multa cum pace pependit,
Indulsit nobis sanguis, casuraque iustas
Moenia per poenas subiectis sustulit ulnis.
Nec satis haec habuit sancti clementia regis
Augusti mihi casurae praestare, sed aegram
Quassatamque diu fundavit legibus aequis.
Legatis quae cura fuit, prudentia quorum est,
Quanta Solonis erat quondam seu quanta Lycurgi,
Aut fuit alterius [1], prisco qui claruit aevo.
Iura Stanislaus nostris Carncovius aris
Antistes datus et qua se Cuiavia fundit,
Sancta dabat sollers, iusti observator et aequi,
Flore aevi primo qui, Papinianus [2] ut alter,
Musarum altrici clara ex Antenoris urbe [3]
Cum summa in patriam studiorum laude revertit.
Proximus huic prompto et docto Siracovius ore,
In cuius labris sedem sibi Suada locavit,
Ille palatinus, quo se Lancicia iactat.
Kostka dein noster, regi fidissimus unus,
Si [4] fuit in Prussis, quo nemo sagacior alter
Incolit has terras, est aut constantior alter.
Mox Firleius erat, placidae quem gratia linguae,
Recti amor et veri, ingeniumque extollit amoenum,
Instructum scitis priscorumque arte sophorum.
Supremusque loco, sed non pietate supremus,
Wyssocius [5] dictis sese adiungebat amicis.
Augusto nobis leges hi rege tulerunt,
Rege deinde ipso totoque probante senatu, —

---

[1] Mendum alicubi delitescere videtur.

[2] Aemilius Papinianus, qui fuit Septimio Severo imperante, adnumeratur clarissimis Romanorum iureconsultis.

[3] sc. Patavio.

[4] Fortasse „qui" legendum est. Ceterum msti. lectio hanc sententiam involvere videtur: „si quis fuit in Prussis regi fidissimus, is unus K. erat".

[5] ms. Vissocius.

Vestra quibus frangam nostrae insidiata quieti.
Discidia, arbitriis ne vis submittere nostros
Audeat ulla suis cives, durisque fatiget
Servitiis, nil vos, nihil iste nec ille, nec ullus
Moenibus in nostris, rex et lex omnia possint.
Nobis more novo vivendum; vestra facessat
Illa olim nulli nostrum toleranda tyrannis.
Quae me, quaeque meos his, heu, prope perdidit annis,
Et dignos vos vix non funere mersit acerbo,
Infandum meritos cruciatum et tristia fata,
Exemplo essetis quo cunctis civibus aevo
Venturo, discant ut morem regibus olim
Principibusque suis gerere atque capessere iussa:
Iussa, datas leges omnesque aequantia iura,
Non aliter, quam quae sunt Divum oracla, tenere,
Esseque suasores populo auctoresque tetrarchis
Et dominis parere suis, submittereque ultro
Iusto colla iugo, fascesque et sceptra vereri,
Non aut pacatas fictis rumoribus urbes
In reges animare suos, excireve plebem
Incautam, praeceps et vulgus ad arma vocare
Nescio qua ignota pro libertate suorum,
Dum servire volunt populum sibi et omnia nutu
Ire suo malunt, quam iustum agnoscere regem.
Quo me vestra malo miseram vesania nuper
Afflixit, fundo et vix non evertit ab imo.
Damnis edocti vestris nostroque periclo,
Consilia in melius prudentes vestra referte,
In regem atque in me peccatum agnoscite vestrum.
Mulceat haud vestras sceleratus Achatius aures
Cureus [1], insanum caput illud menteque cassum,
Est qui mendaci vos ausus dicere versu,
Vanus homo, patres patriae. Fateamur oportet,
Perdere si patriam conari et vertere ab imo

[1] Achatius Cureus, Marienburgi natus, secretarius dantiscanus, qui carmina Roysii ad priorem legationem pertinentia edito libello vellicavit.

Hoc est esse patrem patriae, vos esse. Quod ille
Sacrilego est ausus nostra intra moenia versu
Scribere nec sceleris poenas dat vindice ferro
Aut flammis, quas promeruit, nisi culeus eius
Debetur sceleri, patriae qui dicere patres
Hostes est ausus patriae, quibus una pepercit
Augusti irasci clementia nescia regis.
Crimina perdiderant nam iam vos vestra nefasque
Infandum, quae iudicio regisque patrumque
Fata minabantur vobis suprema necemque
Infamem et nullis delebile dedecus annis.
Pareat adulator vestras mendacibus aures
Delenire[1] modis, malesanus Achatius; illum
Praestiterat mutum pecus esse elinguque, tales
Faucibus emissas quam vulgo fundere voces;
Quodque magis pudeat, male sarto claudere versu,
Ne ignorent homines pecudes enixa loquentes
Humana facie Mariae, quae nomina servant,
Moenia, Prussiacis ostentum nobile terris.
Nos Balaamaeam domino miramur asellam
Sacrorum, ut tradunt[2], vatum monumenta locutam?
Scribit apud Prussos versum pecus; edit et audet
Venturum, quasi victurum, transmittere in aevum.
Quod pecus hoc? stolidum caput illud Achatius? infans,
Dicere si tentet, meditetur carmina quamvis.
Cantantem audieris, pecuaria rudere credas.
Curcus a curis illi cognomen inhaesit,
Aut stultis pecudi a curis, ut carmina monstrant,
Quae curet nemo, cui sunt in pectore curae,
At sensus vulgaris inest mentisve pusillum.
Nec minus hoc se praeclarum putat esse poetam,
Cui nec Sulmo parem genuit, nec Mantua dives.

---

[1] ms. deliniro.

[2] Balaamum vatem a Moabitis accersitum, ut Israelitas detestaretur, ab asella, qua veheretur, divinitus voce praedita, edoctum esse, ut eis futura fausta vaticinaretur, libri veteris testamenti tradunt.

Unde caput fatuum, vestras dum carmine laudes
Persequitur, — reperire nequit quas, lumina cui sunt
Lyncea vel medio titan cum volvitur axe, —
In gadalophaeum ruit insanitque poetam [1],
— Mentis inops, sese vobis dum venditat excors,
Et parasitando esuriens vult pascere ventrem, —
Vos falso velut accuset. Sunt omnia, dixit
Quae gadalophaei notissima musa poetae
In vos, vera; neget nemo; quaeque ipsa, fatebor,
Ibitis infitias nec vos, si vera profari
Non pudeat; nec rex nescit magnusque senatus.
Et quis non hominum scit, quae sciat ultima Thulae? [2]
Portarum obiectos postes et moenia clausa
Legatis quis nostra neget? dextrasque rebelles
Emicuisse graves armis, me milite vestris
Infesto [3] imperiis, hostilique undique ferro,
Et quae animus meminisse horret luctuque refugit,
Cetera perfidiae et vestri argumenta furoris?
Sic: dignos, magno quos prosequeremur honore,
Quos rex, quos proceres, quos omnis regia misit,
Unde salus nobis est et decus omne petendum,
Moenibus exclusisse viros, quod fortiter ausus
Est gadalophaeus versu damnare poeta,
Augusto regi, ut semper, regnoque fidelis,
Quem laudent cuncti indignantem tristibus ausis:
Cureus insanis non parsit Achatius amens
Indignisque modis opico proscindere versu,
Nostro odio dignus vestroque et vindice poena.
    Quid facis, ah demens, scriptis pro talibus aura
Indignus caeloque frui? si mica cerebri
Est tibi, frange miser calamos et carmina dele,
Curee. Te mutum, quam tales edere versus,

[1] Nostrum Royzium.

[2] Verg. Georg. I, 30. Cureus videtur exprobasse Royzio, quod fictas calumnias in Gedanensium optimates protulisset, ut eos proditionis coram rege senatuque argueret.

[3] ms. „infestam" „Imperiis" vestris est ablat. causae.

Praestitit esse. Tui prae odio te praeque pudore —
Quid cessas? — mox in tetras age conde tenebras,
Atque hominum furare oculis, ne crastina cernat
Lux te absorbendum iamiam telluris hiatu,
Et vivum stygiae mergendum in stagna paludis.
Saevus ubi horrendo te Cerberus hauriat ore
Moxque vomat, furiae excipiant et tristis erinys [1].
Luctificam Alecto a dextra a laevaque Megaeram,
Nocte satas, atri statuat dominator averni,
Aeterno de te quae sumant tempore poenas,
Aeternas, olim nullum quas terminet aevum.
Ante oculos stet Tisiphone dirosque colubros
Intentet, duroque furens accincta flagello
Nullam nocte tibi, nullam det luce quietem, —
Si est lux, nulla rubens ubi fundit lumina titan
Perpetuaeque habitant tenebrae noxque una perennis,
Ni quam edit lucem tetro ardens sulfur odore,
Quas solas flammas in poenam tartara norunt.
Obvius Ixion veniet tibi perfidus ultro,
Qua volvare, rota cedens; tibi Tantalus undas
Intactas labris et poma fugacia tradet,
Concedentque tibi, quas gestes, Belides urnas.
Caucaseaque alter pendebis rupe Prometheus;
Sons eris, aeternum rodat cui viscera vultur.
Aeacus has poenas iustas satis esse negabit
Crimine pro tanto; poenas meditetur, Achati
Curee, maiores opus est, auditaque nunquam
Supplicia, et stygii Minos trux arbiter orci
Crudeles acuat studiis ardentibus iras;
Gnosius accendat socium Rhadamanthus utrumque,
Et quibus in sontes steterat cruciatibus omnes
Saevire, inferni quotquot tenet aula tyranni:
Eumenides vertant in te et feralis erinys.

[1] Non satis accurate utitur his nominibus, siquidem furia haud differt ab eriny.

Parta quies illis sit, tu plectaris, Achati
Curee; sint poena immunes, plectaris ut unus,
Sontes; quotquot habet nigrantis regia Ditis,
Hae tibi erunt poenae, tibique hic cruciatus, Achati
Curce, supplicia haec, regni dum rector opaci
Dis erit, inque illa latrabit Cerberus aula
Vectabitque senex exsangues Porthmeus umbras.



CORPUS

ANTIQUISSIMORUM

POETARUM POLONIAE LATINORUM

USQUE AD

IOANNEM COCHANOVIUM.



Volumen quintum,
Petri Royzii Maurei carmina continens.



CRACOVIAE.
SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS.
APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE POLONICAE.
1900.

PETRI ROYZII MAUREI

ALCAGNICENSIS

CARMINA.

PARS II

CARMINA MINORA CONTINENS.

EX LIBRIS ET TYPIS EXCUSIS ET MANU SCRIPTIS EDIDIT,
COMMENTARIIS INDICEQUE RERUM MEMORABILIUM INSTRUXIT

DR. BRONISLAVUS KRUCZKIEWICZ.



CRACOVIAE.
TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE
provisore Josepho Filipowski.
1900.

ALMAE STUDIORUM POLONIAE MATRI

UNIVERSITATI LITTERARUM JAGELLONICAE

A. MDCCCC

QUINGENTESIMUM DIEM NATALEM CELEBRANTI

PETRI ROYZII MAUREI

XVI SAECULO PER NOVEM ANNOS IN EADEM IUS PROFESSI

CARMINA A SE EDITA ATQUE ILLUSTRATA

PIO ANIMO DEDICAT

EIUSDEM UNIVERSITATIS QUONDAM ALUMNUS.



Parte II continentur haec minora:



I.

CERTIS HOMINUM RERUMVE NOMINIBUS INSCRIPTA.

A.

AD POLONOS SPECTANTIA.

a.

AD POLONIAE REGES EORUMQUE FAMILIAM.

a.

AD POLONIAE REGES EORUMQUE FAMILIAM.

1.

Ad SIGISMUNDUM, Sarmatiae regem[1].

I.[2]

Bello oriens, bello late turbatur et orbis
Occiduus, medio et quae calet ora die[3].
Martem quisque cit[4], omnis habet sua proelia mundus,
Urbs urbem bello, regnaque regna petunt.
Arma movet domui domus, infert arma viro vir,
Arma infert templis religiosa manus.
Pace unus pulchra fruitur septentrio. Quare
Regna, Sigismunde, haec, non quoque et illa tenes?

II.[5]

Caelo digne senex, patriae pater, inclita bello
Dextera, militiae, rex, decus atque togae,

---

[1] Obiit. a. 1548.
[2] Ex ms. corn. pg. 101.
[3] Haec spectare videntur tempora aa. 1543—1545.
[4] In mss. videtur scriptum esse mendose „ait".
[5] Ex msto. corn. 56 sq. Scriptum esse videtur hoc carmen post a. 1545, certe ante a. 1548.

Bella quis enumeret? quis mille recenseat olim
Dura, a te forti proelia victa manu?
Pacati laudem regni pacisque beatae,
Iustitiae laudem dicere longa mora est.
Gloria magna tua est; tua seu quis spectet ad arma,
Sive togam spectet, gloria tua magna est.
Plurima clara togae et belli monumenta relinquis,
Qualia non aetas proferat ulla prior.
Nil sed ut Augustum praeter, Sismunde[1], dedisses,
Haec Sismunde, satis gloria magna tua est.
Auxisti regnum spe rex, regemque dedisti,
Qui regna augustis augeat imperiis.
Augeat o populis populos! regna addere regnis
Augusti hoc felix nominis omen eat.
Te superet, patiere pater, vel, quod facit ipse,
Filius absimilis nesciat esse patris.

2.

* EPIGRAMMATA
ad mortem SIGISMUNDI I spectantia[2].

I.

*** Sub imagine aquilae defuncti regis.**

Regem hominum amisi infelix regina volucrum,
Perpetuo planctu qui mihi flendus erat.
Hei mihi sed non est clangor lugentibus aptus,
Flebilibus non vox convenit ista modis.

---

[1] Ms. „Sigismunde".

[2] Ex editione: Historia funebris in obitu divi Sigismundi, Cracoviae 1548. Primum epigramma in fronte libri huius, cetera ad calcem collocata sunt. Praemissum stellulae signum indicat titulos a me argumentis carminum convenienter compositos.

Mutemus: Regem ut dominum maestissima plangam,
En sceptrum; luctus da mihi, cycne, tuos.

II.

* De rege mortuo.

Pace Sigismundus rex belloque inclitus olim,
Quo nihil in terris sanctius, occubuit.
Sarmatia, Augustus, Bona lugent; luctus ubique est
Haec regem, patrem hic, orba flet illa virum.
Orba virum Bona flet, patrem tu, Auguste, sed ipse
Et patrem populus, quod quoque ploret, ait.
Namque, ut regnavit, populum moderatus ut ille est,
Non tam rex populi, quam fuit ille pater.

III.

Rex ego Sauromatum morior longo obsitus aevo,
Occubuisse licet creditus ante diem.
Rexi olim, retuli, colui rex, hostis, amicus
Lege, manu, factis, regna, tropaea, fidem [1].
Me exstincto cives lugent, tristantur amici;
Hostes, quid? lacrimas non tenuere suas!
Nam quamvis grave sit vinci, at victore benigno
Amisso causam, cur fleat, hostis habet.

IV.

Ulta Sigismundum mors abstulit. Ille quid ausus?
Osor erat belli, pacis amicus erat.

V.

Quia die Christi resurrectionis sacro obiit.

Sauromatum regem rediens styge Christus ab ima,
Ultima cum sancto luxerat hora seni,
Corripuit dextra morientem atque intulit astris:
Noluit infernas cerneret ille domos.

---

[1] Iunge: Rexi olim rex lege regna, retuli hostis manu tropaea, colui amicus factis fidem.

VI.

Mole Sigismundus situs est rex ille sub ista,
Ille suis carus, carior ille Deo.
Exsurgens erebo tulit illum Christus ad astra;
Non alio, voluit, iret ut ille duce.

VII.

Infernas moriens Christus descendit ad umbras;
Te morientem astris intulit Omnipotens.
Spectemus summos si obitus fatumque, videri
Quam Christus Patri carior esse potes[1].

VIII.

Vivo Sigismundus; ne me fle Sarmata. Vixi
Ante tibi, nunc post funera vivo mihi,
Vivo Deo. Post fata pii, si viximus unquam,
Vivimus; illa prior mortua vita fuit.

IX.

Ad serenissimam Bonam consolatorium.

Fles regem regina, virum fles optima coniux;
Regis mors lacrimis, mors quoque digna viri est.
Rex iustus, vir carus erat: re flendus utraque.
Rex iustus populo, vir tibi carus obit.
Sed quia pars melior celsi tenet ardua caeli,
Spiritus et Divum gaudia laetus habet,
Cum populo regina simul cape gaudia laeta:
Quem luges, caeli gaudia laetus agit.

X.

Pone modum lacrimis Bona; fletu absiste: beatas,
Quem luges, sedes astraque celsa tenet.
Gaudia terrarum qui si moritura reliquit,
Gaudia caelorum non peritura capit.

---

[1] Modum iustum excedit poeta.

Gaudebas homines inter quem vivere, quid nunc
Inter caelestes fles habitare Deos?

XI.

Ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM,
Sarmatiarum regem, Cracoviam ingressum,
salutatio.

Salve Auguste valeque diu regnumque guberna,
Et Iagellonis esse memento nepos;
Esse Sigismundi magni successor et illud,
Quod magis est, tanti filius esse patris.
Nec matris genus indecorum, seu Sforciadum gens,
Seu tibi spectandus sanguis iberus [1] erit.
Hinc reges rex, inde duces dux cernis avitos,
Quaeque imiteris, habes fortia facta virum.
Haec dum sceptra tenes, populo et das iura memento:
Sic patrem aequabis, sic superabis avos [2].

3.

De SIGISMUNDO I, rege, et BONA, regina Poloniae [3].

Maiestate gravis stat rex ubi, turbinis instar
Regina huc illuc instabilis volitat:
Hoc regnum non poenituit me forte rogatum
Schacorum [4] regno dicere persimile.

---

[1] Conf. vol. I pg. 46 adn. 1.

[2] Post haec ultima pagina editionis subscripta exstant haec: Cracoviae apud viduam Floriani Unglerii anno post Christum natum MDXLVIII Cal. Aug.

[3] Corn. 206 = oss. 83. Carmen scriptum est ante a. 1548.

[4] sic ms.

4.

Ad Sarmatam de reginis BONA et BARBARA[1].

Barbara non placuit, placuit minus ante Latina;
Nescio quid mirae, Sarmata, mentis habes?

5.

Reginae BONAE[2].

I.

Sarmatiam lectis ornasti moribus, atque
Exculta adventu est patria nostra tuo.

II.

de serpente, insigni illius

Humano generi me hostem natura creavit:
At servatorem me iubet esse Bona.

---

[1] Corn. 228 = oss. 107. Scriptum esse videtur inter aa. 1548 et 1551.

[2] Corn. 22.

6.

In reginae BONAE praedam[1].

Compulit in casses Carolus[2], cepitque Philippus[3]:
Sic Bona principibus praeda duobus eram.

7.

Ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM.

I.[4]

Ultima Sauromatum spes, rex Auguste, tuorum,
Ultima, nam proavus prima Iagello fuit,
In te omnis mundus convertit lumina, gentes
Hostiles inter regna quod unus habes.
Iamque illis prima late metuare iuventa,
Fervet ut audaci pectore Martis amor,
Immites, dum bella pater vetat, hasta bisontes
Cum tua, fulmineos dextera pulsat apros.
Persequeris saevos densis in montibus uros,
Non timidae damae, praeda sed ursa tua est.

---

[1] Corn. 369 = oss. 307.

[2] Tangit Carolum V, Germaniae Hispaniaramque imperatorem (1519—1556), quod Bonam, suam cognatam, a. 1555 ad relinquendam Poloniam Italiamque repetendam compulerit.

[3] Philippus II, Hispaniarum rex, cui Bona, ut procurationem regni neapolitani assequeretur, magnam pecuniam mutuo dederat. Bona decessit a. 1557; carmen hoc igitur scriptum est post a. 1557, aut certe post a. 1556. Ad conatus Sigismundi Augusti regis pecuniae illius mutuo datae reique familiaris a Bona relictae recuperandae referuntur multae epistulae asservatae in libro „Biblioteka ordyn. Krasińskich", Varsaviae aa. 1869 et 1870 edito.

[4] Corn. 57 sq. In titulo huius carminis additur ad nomen Sig. Augusti in msto. appositio „filium", quae iudicat vivo adhuc Sigismundo I carmen esse scriptum.

Hos Auguste animos ut et inclita pectora cernit,
   Ingemit et „vinci coepimus" hostis ait.

II.[1]

Bella, iustitia, pietate, Auguste, rebelles,
   Sceptra, Deum, frangas, dirige, concilia[2].
Haec praestans reddes tibi, rex Auguste, revinctos
   Imperiis homines, religione Deum.

III.[3]

Quem queat a Lecho tecum conferre vetustas,
   Non habet: o, nobis vive valeque diu.
Fas vivo te triste nihil sperare Polonis:
   O utinam tua post fata liceret idem!

IV.

Ad Sigismundum Augustum, regem viduum[4]

Occidit Elisabe, tua, rex, sanctissima coniux,
   Altera pars animae, rex Auguste[5], tuae.
Fle rex, nam quicquid terrae est, licet usque requiras,
   Altera, quam ducas, non erit Elisabe.
„At iuveni regi quaerenda est altera coniux".
   Proxima, quod restat, fac, sit ut Elisabe[6].
Quod si, quod [illegible] est, [illegible] inferiora sequi vis,
   Cogeris viduo continuare toros,
Coniugiumque vetus deserti turturis instar
   Flebilibus maerens plangere carminibus.

---

[1] Carm. [illegible]

[2] Intellige: „Bellis rebelles frangas, iustitia sceptra dirige, pietate Deum concilia".

[3] Carm. [illegible]

[4] Scriptum est hoc carmen [illegible] inter a. 1545, quo Elisabe decesserat, et a. 1547, quo Sigismundus Augustus Barbaram uxorem duxit, cum etiam tum [illegible] rumores de regis amore in Barbaram [illegible]; versus [illegible] tangere videtur.

[5] [illegible]

[6] ms. „[illegible]".

V.[1]

Rex Auguste, legas veterum monumenta virorum,
Suadeo. Quae, fasces ut moderere, docent.
Praemia quae iustis, quae poenas sontibus addunt,
Et summum tribuunt legibus imperium.
Et quod primorum regi non dixerit ullus,
Dum timet offensi principis ora sui,
Hoc tibi securus pleno canet ore libellus,
Et, quae non alius hisceret, illa leges.

VI.[2]

Arma tibi dent, rex, alii, thoracas et arcus;
Illa ducum tibi sint munera, nostra liber.
Qui docet, ut firmes urbes atque oppida, possint
Temnereque hostiles ut tua castra manus;
Quoque loces acies, quo ponas ordine turmas,
Seu Scytha, Turca hostis, seu tibi Moschus erit.
Hunc lege, quo lecto stabili sic Sauromatum rem,
Terrori ut possis hostibus esse tuis.

VII.[3]

Barbara nupta tuo quae prima, Auguste, parenti est,
Stemma tulisse trucem visitur ante lupum.
Serpentem Bona fert, divi patris altera coniux;
Illa feram gessit, gestat et ista feram.
Elisabem modo magnanimum gessisse leonem
Vidimus, est populis quae cito rapta tuis.
Barbara, quae thalamis successit cara relictis,
Cornua de diro dempta bisonte gerit.

---

[1] Cor. 263 = oss. 147.

[2] Cum hoc carmine R. regi librum cuiusdam antiqui auctoris de re militari misisse videtur. Veri simile est scriptum esse carmen brevi post a. 1548.

[3] Cor. 323 = oss. 236.

Te patremque, o rex, mitem miramur utrumque,
Cum saevis aliquid semper habere feris [1].

VIII.

Regii responsi sententia [2].

„Non est haereseos causam cognoscere nostrum“
Rex ait, „a nostro haec res aliena foro est“.
Iudicium esse suum infitians de hoc crimine, prorsus
Esse magistratus annuit alterius.
Ne sit nullius crimenque impune patretur,
Quo nullum in terris tetrius esse potest,
Annuit. At cuius? cuius fuit ante trecentos
Annos, cuius erat tempore patris, avi
Et proavi et regum prisca illa aetate priorum,
Christi ex quo numen sarmatis ora colit?
Regia iudicium de rebus sceptra profanis,
De sacra antistes religione ferat.

IX.

Scitum regis responsum Moscho datum [3].

„Mosche, tuos reddi profugos vis? annuo“, dixit
Rex, „contra reddas tu quoque, Mosche, meos.
Pactio stet. Viden, ut profugos reddendus es inter“,
Rex ait, „o Glinsci pessima progenies?“

---

[1] Bona decessit a. 1557, Elisabe mense iunio 1545, Barbara mense maio a. 1551 eaque regio diademate ornata est a. 1550. Carmen scriptum esse videtur a. 1550 aut 1551 ante mortem Barbarae.

[2] Corn. 240 = oss. 121. Scriptum est hoc carmen brevi post comitia piotrkoviensia a. 1552.

[3] Cor. 277 = oss. 165. Spectant haec ad Ivanum IV Terribilem, Moschorum imperatorem (1533—1584), cuius mater erat filia fratris Michaelis Gliński, qui a. 1507 a rege Polonorum defecit et ad Moschos una cum fratre perfugit. Responsum illud a. 1549 ab Augusto rege datum esse videtur.

X.[1]

Hoc habitu[2] redeas Livonum victor ab agro;
Gens, Auguste, tuas sentiat illa manus.
Hoc habitu Moschos, hoc Turcas finibus arce,
Aut bello victos, quod magis opto, doma.

XI.[3]

Heus clipeos, hastas, cape, rex Auguste, valentis,
Nam vinces Turcos milite, crede, tuo.
Pugnabunt, soliti audaci ut sunt, marte Poloni,
Hostem hominum fundent scilicet atque Dei.

XII[4].

Intra, Auguste, tuam fatis felicibus arcem,
Adventu recrea regna polona tuo.
Rex, habitata tibi est Lituania quattuor annis,
Abs te tantundem, ferre Polonus amat.
Ferre Polonus amat: tunc inficiere Polono
Rex? acies hostis sic cadat ante tuas.

XIII.[5]

Ad regem.

Bellum Moschus amat; bellum, rex, esto: tuorum,
Fac, Lituanorum sentiat ille manus
Iustitiamque tuam, duce qua et te rege superbus
Fusus strage, tuos concidet ante pedes.

---

[1] Cor. 325 = oss. 240. Carmen respicere videtur bellum a. 1556 gestum.

[2] armis tectus, ni fallor. Fortasse hoc epigramma destinatum erat, ut imagini cuidam regis subscriberetur.

[3] Cor. 369 = oss. 307. Carmen respicere videtur condicionem rerum a. 1562 sq. aut potius a. 1571, quo Commendonius cardinalis a pontifice max. missus Polonos ad bellum Turcis inferendum hortabatur.

[4] Corn. 369 = oss. 307. Carmen scriptum esse videtur ante comitia piotrcoviensia a. 1562.

[5] Corn. 263 = oss. 147. Scriptum esse videtur hoc carmen a. 1563 post Polockum captam Conf. Szujski, Dzieje P. II (1862) pg. 300.

Quae te, non dubites[1], Auguste, tulere Kalendae[2],
Augendum ad regnum te, mihi crede, vocant.

XIV.[3]

Offerimus tibi, rex, meditanti proelia, carmen.
Quidni? et tela tenens carmina Pallas amat.

XV.[4]

Quisque suis trahimur studiis: exercet arator
Rus, mercator opes, proelia miles amat.
Rem tibi cum Moscho discens, Auguste, Polonus
Esse, sua properat strenuus ire manu
Arma ferens animosque et pectora nescia vinci,
Quo Scytha, quo Moschus, Turcaque victus erit.

XVI.[5]

In expeditione contra Moschum.

Imperium in turmas, ut rex Auguste, polonas
Das Lasco[6], in Moschos accipis imperium.

XVII.

Ad regem
ingressurum convivium IOANNIS CHODKIEVICII[7].

Ingredere hanc, Auguste, domum, quae nescia fraudis
Usque suos coluit et colit usque duces.

---

[1] sic ms.

[2] Natus est Sigismundus Augustus Kalendis Augustis a. 1520.

[3] Corn. 321 = oss. 232. Quodnam carmen tum scripserit Royzius nescimus.

[4] Ibidem.

[5] Corn. 353.

[6] Alberto. Respicere hoc carmen videtur a. 1563 post captam Połock urbem.

[7] Corn. 263 = oss. 147. In ossol. prima manu solum verba „Ad eundem" praescripta erant; in corn. praeter ea leguntur haec: „ingressuro convivium Ioan. Chotkievicii" eaque posteriore manu etiam in ossol. adscripta sunt. Correxi „ingressuro". Ioannes Chodkiewicz fuit ab a. 1565

XVIII.[1]

Milite si cervo cum dux leo contigit olim,
Victrices semper rettulit ille manus:
Est, tibi, cui miles leo, quid sperare licebit,
Milite qui et forti es fortior ipse tuo?

XIX.

Milite si lecto ut cinctum te vidit amicus,
Hoc decus haud potuit pectore ferre tuum:
Hoste quid hic faciet referentem signa subacto
Cum cernet? Laetum conciet[2] anne manu?

XX.

Multa potest lingua rex, cum pugnatur in hostem,
Et iubet armatos bella ciere duces.
Multa potest digitis, edictis castra severis
Cum regit atque suis iura dat agminibus.
Omnia fronte potest; nam, victus cesserat absens
Unde modo, hinc praesens post modo victor abit.

XXI.

Multa timet Moschus, quovis, rex, milite pugnes,
Seu[3] Lituanus erit, sive Polonus erit.
At, quid plus timeat, tibi, rex Auguste, referri
Vis? referam: frontem plus timet ille tuam.

XXII.[4]

Lux, Auguste, tua est, nox est, Auguste, latronum;
Sic, rex, Vilna suum dividit imperium.

---

mareschalcus m. d. Lituaniae, ab a. 1569 castellanus vilnensis; obiit a. 1579.

[1] Quattuor, quae sequuntur, carmina, exstant in corn. pg. 320 sq. et in oss. pg. 231. Tangere videntur expeditionem initio a. 1568 ab ipso rege contra Moschum susceptam.

[2] fortasse „concrepet" scripsit R.

[3] Ms. „sive".

[4] Corn. 289 = oss. 183.

XXIII.[1]

Rex, tua tota dies Vilnae est, nox tota latronum;
Hos tolle aut periit dimidium imperii.

XXIV.[2]

In SIGISMUNDI AUGUSTI regis effigiem.

Hanc Venus atque Thetis pictam ut videre tabellam,
Illa suum Aenean, haec putat Aeaciden.
Iamque deae caro iniecturae bracchia collo,
Deceptae intentas abstinuere manus.
Fassaeque errorem, ad sese ut rediere videntque
Spirantem invicti principis effigiem,
„Deceptis“, orant, „o rex pie, parce deabus;
Maior es Aenea, maior es Aeacide“.

XXV[3].

Gens vis iungatur genti lituana polonae:
Hinc, fac, contemptum dempseris, inde odium.

XXVI.

Perficies, ut sit Lituania iuncta Polonis,
Hinc si contemptum dempseris, inde odium.

XXVII.

Pro salute regis bibendum.

Optimus ut regum, regumque ut maximus unus,
Augustus vivat, regia tota bibat.
Et qui non biberit, sitiat, dum vivet, egensque,
Comprimat unde sitim, destituatur aqua.

---

[1] Ibidem.
[2] Corn. 323 = oss. 236.
[3] Tria, quae sequuntur, carmina, exhibent corn. 270, oss. 155.

XXVIII.[1]

De regia podagra ad medicos.

Hanc diram, medici, procul ire iubete podagram,
 Quae nostrum adgressa est perniciosa Iovem.
Nam quid agit demens? ecquid cum rege podagrae est?
 Regem, qui caput est, credit habere pedes?[2]

8.

Ad regem de duce Romano[3].

I.

Venit in elysios de victa ut nuntius Ula
 A duce Romano, Romulus: „Ula mea est",
Dixit, at erubuit, Lituanum ut scivit, aitque:
 „Romanosne suos et Lituanus habet?"

II.

Te Lituanorum magno duce parvus et Ulam
 Dux arcem oppugnat fortis, et aequat humo[4].

---

[1] Corn. 314 = oss. 223.

[2] „Pedes" est subiectum, „regem" obiectum structurae.

[3] Ex mstis. corn. 292 sqq. = oss. 187 sqq. Dux Romanus Fedorowicz Sanguszko, ortus ex gente, quae ab ipsis magnis Lituaniae ducibus originem deducit, erat capitaneus żytomiriensis ac winnicensis, inde ab a. 1562 campiductor Lituaniae, ab a. 1566 palatinus bracławiensis. Inclaruit rei militaris peritia et eximia fortitudine. Plures insignes victorias de Moschis et Tataris rettulit, quarum clarissimam noster poeta his epigrammatibus celebrat. Ułam enim, Moschorum arcem, quam paullo ante Ioannes Chodkiewicz, capitaneus samogitiensis et praefectus Livoniae, maioribus copiis frustra expugnare conatus erat, a. 1568 expugnavit et delevit, signaque capta atque nobiles Moschos captivos ad comitia lublinensia a. 1569 in triumpho regi adduxit.

[4] Arcem aequatam solo sed deinde restitutam esse ostendit carmen XIV; a. 1580 firmari eam iussit Stephanus Batory, rex.

2

IX.

Quae fuit ante gravis lituanaeque aemula terrae,
Gratulor Augusto, est nulla quod Ula, meo.

X.

Exiguo exegit Romanus milite Moschum,
Ex Ula excussit milite quam exiguo!
Si potes exiguo, rex, milite vincere Moschum
Romano duce, quid te duce non facies?
Iustitiae confide tuae: tibi, iusta gerenti
Bella, cadet Moschus oreque linget humum.

XI.

Inde procul spectans ardentem Moschus ut Ulam
Vidit et in medios moenia versa rogos,
„Stare diu res nulla potest“ ait; „omnia constant
Marte; cadunt manibus, quae posuere manus.
Qui modo Mars pro me steterat, nunc militat hosti;
Immittitque faces, Ulaque nostra ruit“.

XII.

Aedificat Moschus turres et nubibus aequat;
Augustus contra diruit, aequat humo.
Augustus Moscho quid praestet, forte requiras?
Quod victor victo. Testis an Ula parum est?

XIII.

Parce dehinc arces aliena ponere terra,
Mosche: suo cedunt[1] aedificata solo.
Hoc ratio, hoc veterum leges cavere Quiritum.
Nescisti? Augustus te docet ista meus,
Ipsius in terra positam dum disicit Ulam.
Struxisti clam tu, diruit ille palam.

[1] scil. prospere.

XIV.

Ula fuit, fuit Ula; iacet nunc Ula; resurget,
Ut Moschum nova mox arceat Ula procul.
Fundamenta loca, rex, erige molibus Ulam:
Hoc cupit, hoc optat, hoc Lituanus amat.
Hoc opus et facto est, ne si mox construat hostis,
Immineat sceptris Ula renata tuis.

XV.

Ex ululis ululat quae plus, ululatibus Ulam
Impleat[1], aut Moschus plus ululis ululet.

XVI.

Aedificata metum Lituanis intulit Ula,
Laetitia hos eadem nunc labefacta replet.
Illuxit nunquam Lituanis gratior ignis,
Quam modo, quo crepitans Ula cremata rogo est.
Quam si continuo tu, rex Auguste, reponas,
Maiore implebis tunc, puto, laetitia.

XVII.

Ula renascatur, phoenicisque instar in auras
Ex cinere ipsa suo proferat Ula caput.
Fac Lituanorum tutela sit Ula tuorum,
Stetque minax Moschis, ut stetit ante tuis.
Inde manu promptus Moschum Lituanus in hostem
Se ferat; hostiles comprimat inde minas.
Inde fatigatus bello, procul inde fugatus,
Moschus mentis inops in sua tecta ruat.
Inde fuga victus quaerat cursuque salutem,
Et proprios fessus discat amare lares.

---

[1] Construe: „Ex ululis (sowa) ea, quae plus ululat, ululatibus Ulam impleat". Malim: Ex ululis, ululat quo plus quae, ululatibus Ulam impleat.

XVIII [1].

Quam tormentorum vi frustra saepe petivit,
Hac illac circum stans Lituanus eques,
Concidit, ut primum longa obsidione soluta est,
Estque aequata imo turris ulaea solo.
Aspice, rex, humana valet [2] quid quidque Dei vis,
Et Deus ut tum te, tum tua iustus amet!
Oppugnata tuis arx quae modo restitit armis,
Iustitiae cessit nunc labefacta tuae.

9.

* Royzius de privatis rebus suis apud regem conqueritur.

De crastino regio [3].

I.

Cras dicat Latium, dicat Germania morgen,
Dicat ne Augustus rex modo jutro meus.

II.

Cras loqueris semper, cum quid te poscimus; aures
Iam fessas aulae cras satis istud habet.
Quod tibi multiplicat nobisque negotia, missum
Fac cras, incipias dicere, rex, hodie.

---

[1] Hoc carmen in ossolineo in chartula separata reliquis adglutinata descriptum est.

[2] Fortasse „valeat" scripsit Royzius; quamquam in huius modi constructionibus utitur et indicativo.

[3] His, quae sequuntur, octo carminibus poeta Sigismundi Augusti responsum, qui ei petenti cras se, quod petiisset, praestiturum dicere solebat, perstringit. Exstant haec carmina in corn. pg. 269—270, in oss. 154—155.

III.

Cras [illegible] semper [illegible] erat: cras [illegible], [illegible]
 [illegible] cras, Petre, [illegible] cras.
Lux [illegible] haec [illegible] venit lux altera [illegible]:
 Cras, Auguste, tuum non tamen istud adest.
Altera lux abiit, mox tertia, plurima deinceps,
 Cras, Auguste, tuum non tamen istud adest:
Ut tardum est! [illegible] venit [illegible] vectum
 Cras Auguste tuum? dic — vel habet podagram?

IV.

Vult hodie pistor, lanius praesentia poscit
 Aera, nec in toto est vel mora parva foro.
Tu, rex, cras, inquis, numerare, o Petre, iubebo,
 Nec cras hoc multa iam mihi luce venit.
Ne mihi cras repetas invisum saepius istud,
 Dic, rex, simplicius: i, moriare fame.

V.

Si cras advenit repetitum saepius istud,
 Rex Auguste, tuum, iam numerare iube.
Si nec venturum est, quid me, rex, teque fatigas?
 Cras ergo fac missum, quaeso, silere iube.

VI.

Ad sacrum tua vox sit „cras“, Auguste, tribunal;
 Est ius dicturus qui bene, tempus amat.
At tuba cum sonuit, ceu pestem crastina vita;
 Bella ferunt nullas praecipitanda moras.

VII.

Cras, Auguste, tuum, si pars est temporis huius,
 Unde facit mensem multiplicata dies?
Unde annum, menses anuique optabile[1] saeclum?

[1] ms. „annique“.

Adveniat, sperem, cras aliquando tuum:
At didici, incertum[1] semper pendere, nec eius
Esse anno in toto fas reperire diem.
Ergo diu cras exspecto, dum segnius istud,
Totque exspectatum nectit habetque moras.
Illud ne, quam mors, veniat mihi serius olim,
Spe vacuus, vacuo folle reverto domum.

VIII.

Omnibus Augusti cras formidabile regis
Est[2] quo venturum, dicat Apollo, die.
Quod vel consultis mihi si praedixerit astris,
Ille mihi magno vel Iove maior erit.

*** De archipresbyteria ecclesiae Vilnensis Sti. Joannis obtinenda[3].**

IX.

Sanctus Joannes olim deserta colebat
Horridus et nudos nudus obibat agros;
Post pia posteritas maiorum aetate tuorum
Vilnae illum excepit moenibus atque domo.
Constituitque aram et, qui adoleret tura, ministrum.
Quo longa quondam est usus honore die.
Nunc errat peregre defuncto, Auguste, ministro,
Bisque duobus obit mensibus exsul agros,
Et queritur sibi, sueta daret qui tura, negari
Sacraque tam longa ferre nequire mora.
Fundere ut absistat tristes maesto ore querelas,
Et fausto repetat mox sua templa pede,
Illum, rex, accerse, dato, qui tura ministret:
Sic solium Moschus procidat ante tuum.

[1] scil. „illud cras“.

[2] = sit.

[3] Duo, quae sequuntur, carmina huius argumenti exstant corn. 214 = oss. 91. Scripta sunt ante a. 1566 vel 1567, quo Royzius id munus assecutus est.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[1] [illegible] a. 15[illegible] [illegible] Conf. [illegible]

[2] [illegible] hospitio Koyzias etiam aliis [illegible], [illegible] scripto, conqueritur. Aulico regio [illegible], praesertim cum rege iter facienti, debebantur [illegible] pagus prope [illegible]kam in gubernia grodnensi situs.

[3] [illegible] referri videtur ad Grodnam, urbem [illegible] Grodnae a. 1568 habita), nam in libris [illegible] carmina, quibus poeta Grodnae deesse [illegible]

XIII.

Non habet hospitium Hispanus. Sit. Non habet aurum.
Ne sit id, ut non sit [1], rex Auguste, iube.

* De pensione non soluta.

XIV. [2]

Persica mala malos in Perside reddere succos
Praesentemque ferunt ferre comesa necem.
Indubiam praebent eadem translata salutem,
Seu ferat Aegyptus, seu plaga nostra ferat.
Talia sunt, Auguste, tuae dant quae aera salinae,
Si Casimiri ferrea iura valent.
Cracoviam quoniam praebent transmissa salutem,
Quae fuerant nuper noxia Vieliciae.

XV. [3]

Aes mihi poscenti dixisti, Auguste: „videbo“;
Dixisses potius: „numerare“, Auguste, „iubebo“.
Namque iubere decet regem, est cuiusque videre,
Cui geminos oculos natura in fronte locavit.

---

[1] Ne sit id i. e. ne sit eius modi condicio, ut non sit scil. aurum. In cornic. desideratur „id“.

[2] Cor. 289 = oss. 183. Iam proximo, quod antecessit, carmine Roysius pensionem sibi non solvi queri videtur. Hoc carmine persuasum habet, opinor, propterea id fieri, quod pecunia ipsi numeranda Vielicia Cracoviam nondum transmissa sit. Nam lege Casimiri Magni statutum esse, ne cui professori magistratuive regio pensio ex salinis debita Vieliciae, sed Cracoviae ex pecunia Vielicia missa solveretur. Conf. decreti Sigism. Augusti regis apographum in bibl. Ossolin. s. n. 180 ch. 106 sq. asservatum. Fabulam de malis persicis tangunt Verg. Georg. l. III v. 126 sqq. et Plinius Nat. h. XV, 13, 13. Ms. „Vielitiae“.

[3] Carmina quae sequuntur XV—XVIII, exceptis XXIV et XXVII, exstant in l. corn. pg. 284—286, in oss. pg. 175 sqq.; illa duo in corn. pg. 287, in oss. pg. 180. Ordinem eorum ad temporis rationes constituere conatus sum. Referuntur autem ad ultimos quinque annos vitae poetae 1567—1571. Conf. carm. XXVI et XXXIII.

[illegible]
[illegible]

XVI.

[illegible]
[illegible]

XVII.

[illegible]
[illegible]

XVIII.

[illegible] rex, [illegible] ne f[illegible] [illegible]
[illegible] salarii[1].

XIX.

[illegible] et [illegible] f[illegible] et prandia [illegible]
[illegible] ne peream, rex, mihi redde salem.

XX.

Tolle moras, mihi, rex, orantes forte poetae
Fronte, iubes, duram percutiamus humum.

XXI.

Sume manu calamum, et firma diploma. Feroces
Hostes infirmet sic manus ista tuos.

XXII.

Dictus ab augendo, rex, es si, Auguste, quod ergo
Ante dabas, auge, sin minus, haud minuas.

[1] Cur contra antiquorum morem mutata quantitate sālārium pro sălārio (conf. c. XXIII vv. 1 et 3) hoc carmine usurpet, non assequor. Fortasse salarii corruptam notionem hac ratione tangit. Conf. c. XXIII et XXVII, 2 nec non dissertationis meae polonae de Royzio pg. 105 sq., 118 sq. (= 66 sq., 78 sq.).

XXIII.

Rex Auguste, sali nisi nostra salaria reddis,
Putrescent, nomenque illorum resque peribit.
Nam sale si prives, haud esse salaria possunt,
Et sale sublato, doctor fatuabitur omnis.
At regem fatuo doctore haud convenit uti,
Praesertim Augustum, quo non augustior alter
Sceptra tenet, populisque pius dat iura vocatis.

XXIV.

Horrea miles: ego sacra: thesaurarius aurum:
Compilat: servo: rex Auguste, negat [1].
Compesci primus nequit; ergo det ultimus aurum.
Hoc nisi fit, pie rex, disperiit medius.

XXV.

Rex, aro, semen agris mando, meto, colligo; miles
Diripit: haec nobis dat lituanus ager.
Servio, rex Auguste, tibi; sacrisque negata est
Edictis merces, perque negata, tuis.
Unde iubes procul a patria, rex, vivere Petrum?
Ex petrisne? petras esse iubeto dapes.

XXVI.

Esse borussiacos passum me, Auguste, labores,
Dum dantiscanam curro recurro viam [1],
Iam iuvat atque aditis operam navasse periclis,
Cum tua, cum regni iussa capesso tui.
Quando iubes, quaestor, multos non pensa per annos,
Aera meo pendat debita servitio?
Regi hominum tibi rex hominum, pater ille Deum, det
Victrices aquilas usque referre domum,
Hostibus et victis et regni finibus auctis
Subiciat sceptris plurima sceptra tuis.

[1] Ludit partes enuntiatorum in duos versus distrahendo.
[2] Aa. 1568—1570.

XXVII.

Tertius est annus coeptus, mihi pensio postquam,
Rex, ex thesauro est nulla soluta tuo.
Haereticus decimas exlex negat, horrea miles
Involat et nostros depopulatur agros.
Vix census partem nostri numerare coloni
Nobis, dum tibi dant iussa tributa, queunt.
Inclite rex, non est — iubeas succurrere, — vivat
Unde tuus doctor, unde poeta tuus.

XXVIII.

Aeris inops te, rex Auguste, Royzius orat,
Iurisconsultus atque poeta tuus:
Aera iube facilis numeret sibi debita quaestor;
Aes prope poscenti tertius annus abit.
Aes cui non est, cur est, est qui sic, quasi non est?
Me meus hoc princeps liberet interitu.

XXIX.

Tertius exivit, quartus iam volvitur annus,
Ex quo abs te mihi, rex, pensio nulla venit.
Ferre queam, censum iustum reddentibus aris,
At iusti census portio parva redit.
Nam partim nostros indicta tributa fatigant
Agricolas, partim militis unca manus,
Exiguam ut census vix possint solvere partem,
Unde sitim dominus pulset, et unde famem.
Aera det ergo, iube, quaestor, ne questibus auras
Atque aures cogar, rex, onerare tuas[1].

XXX.

Rex here, nil aeris dat quaestor; tertius annus
Exiit. Aeris herus non ero? servus ero?

[1] In libro ossolin. legitur ante hunc versum versus hic: „Rex here cogar ob haec aera replere tuas“, sed ipse ducta linea deletus infraque adscriptis verbis „Aut ita potius“.

Hoc Auguste, veta; Augusti est augere. Negabit
Nomine in augusto quis minuisse nefas?
Si minuisse nefas, quid totum, Auguste, negare?
Quilibet hoc plus quam dixerit esse nefas.
Fas sit ut ergo, iube, rex, aes numerare, negato
Ne quaestor questus augeat ore meos.

XXXI.

Aes ex quo non est largita Polonia nobis,
Stare quater rigidas bruma coegit aquas,
Astrictasque gelu terras nive vestiit alta,
Incertusque viae quisque tetendit iter.
Nulla fluenta gradum properantis, nulla morantur
Stagna; via est pedibus, qua modo puppis iit.
Undique stridet hiems, boreas furit undique saevus
Duraque cum tenui paupere bella gerit.
Illi, cui non est aes, est vix vita superstes;
Aera fugare queant frigus et aera famem.
Rex, ni, Auguste, iubes, det thesaurarius aurum,
Auro pallebunt mi magis ora fame.

XXXII.

Hospitium non est[1], non aes post quattuor annos
Abs te; paupertas maior an esse potest?

XXXIII.

Exivit quartus, quintus iam vertitur annus,
Ex quo, rex, abs te pensio nulla venit.
Mercedem in caelum, ut dicunt, clamare retentam,
Si verum est, aures moverit illa tuas.
Illa tuas aures moveat, tuque ipse moveto
Linguam, et, quod reliquum est, aes numerare iube.

[1] Ni fallor Varsaviae in comitiis a. 1570. Conf. tria carmina ad Io. Firleium (Corn. 347 = oss. 273).

10.

REGINAE HELISABAE[1] EPITAPHIA.

I.

Austria me genuit, vicina Polonia regi
Laeta suo iunxit, Vilna sed, heu, rapuit.
Cara fui populo patribusque ac regibus una,
Hinc omnis mea flet funera Sarmatia.

II.

Inclita Sauromatum tumulo regina sub isto
Helisabe fatum conditur ante suum.
Si virtus vitam et meritum produceret annos,
Quam raptam flemus, viveret Helisabe.

III.

Helisabe iacet hic de anima ne quaere, putasne
Iustam animam iusto non placuisse Deo?

Epitaphium Angelae[2].

Angela, delicium dominae, cui carius ullum
Non fuit ante caput, — tam simplex, noxia nulli,
Tam iucunda fuit, — iacet hoc tumulata sepulcro;
Quam vivam magno regina optaverit emptum;
Garrula: sic dictis potuit depellere curas
Et maestum dominae revocare ad gaudia pectus.

---

[1] Obiit. a. 1545. Erat filia Ferdinandi regis et Annae, Ladislai Iagellonidae filiae, uxor Sigismundi Augusti. Exstant haec tria epitaphia in msto. corn. pg. 45 sq.

[2] Elisabes, Ferdinandi regis filiae coniugisque Sigismundi Augusti videtur fuisse cubicularia (conf. vv. 4, 18 sq., 28 sq. et Hosii Epistulas). Quod si ita est, obiit Angela paulo post a. 1543, certe ante a. 1545 eoque tempore hoc carmen conscriptum est.

Solis ad occasum primo solvebat ab ortu
Ora, nec in tota tulit ulla silentia luce,
Ridiculis dominae replens sermonibus aures,
Una loquens, alia ex aliis incongrua nectens.
Quae tristi possit[1] grandes excire cachinnos.
Hoc sole exoriente agitans, hoc sole cadente,
Respectuque loci nullo nec temporis ullo,
Seu domina accumbit mensis, seu pensa puellas
Dividit illustres inter, media ipsa nec exsors
Muneris aut fidibus modulans, lenta otia fallit,
Sive libros versat, rerum monumenta sacrarum[2].
Ausa etiam ad patrem quicquam patruumvè potentem
Scribenti dictare aliquid, quasi coepta iuvare
Ipsa suis posset dictis et claudere versum.
Quivit ut illa loqui semper nunquamque tacere!
Sueta preces epulas inter pia fundere Divis,
Intempestivum quae nunquam orare putavit:
Nunc moritura Deo, venientis praescia leti
Iamiamque instantis, palmas ad sidera tendens,
Reddidit aegra animam, factoque hoc fine quievit,
Grande sui desiderium famulisque relinquens
Et dominae, huc patria quam nuper sede relicta
Ultima Sarmatiae glacialia ad arva secuta est.
Ergo memor carmen defunctae hoc scribere iussit.

---

[1] Fortasse „possent“ scripsit R. ita, ut hoc enuntiatum proximo subordinaretur.

[2] Potui hunc versum ante v. 14 locare, sed illa singula verba enuntiatorumque membra discerpendi distorquendique ratio audax etiam alibi apud Royzium deprehenditur.

11.

BARBARAE REGINAE EPITAPHIA[1].

I.

Barbara, quae condor tumulo, regina, sub isto,
Augusti coniux altera regis eram.
Immatura cado, decima trieteride[2] coepta
Regales fatis linquere iussa toros.
Vixi grata minus populo, sed noxia nulli;
Augusto laus est me placuisse meo.

II.

Barbara, Sauromatum cubat hic regina, potenti
De Radivilorum nobilis orta domo.
Dat mortem, quae sceptra dedit, Cracovia; regis
Quae dederat thalamum, Vilna dedit tumulum.

III.

Augusto placui; sacrum tetigisse cubile
Digna fui regi Barbara visa meo.
Rex placeat populo, regi regina placere
Debet; quod superest, crede superfluere.

IIII.

Barbara, Sauromatum regina, hoc clausa sepulcro est,
De Radivilorum femina nata domo.
Augusto nupsit regi, dulcissima coniux,
Cui fuit in terris carius ante nihil.

---

[1] Scripta post annum mortis Barbarae 1551. Exstant in corn. 226 sq. = oss. 106 sq.

[2] Corn. „triteride“. Conf. pg. 35 adn. 1.

Occubuit iuvenis; quae si longaeva fuisset
Defunctam Augustus ipse negaret anum.

V.

Quinta polo bigis Phoebe sese intulit altis
Impositum capiti post diadema meo.
Cum cado victa malis regni inter gaudia coepta,
Me, cito sic rapior, fama fuisse neget

VI.

Aegra decus regni suscepi, mortua linquo,
Interea haud una visa valere die.
Quae sic sceptra capit, quae sic tenet et fruitur sic,
Hanc vidisse magis, non habuisse puta.

VII.

Post mihi susceptos regales nuper honores
Signiferi medium sol peragebat iter[1],
Cum rapior regnique obiens decora alta relinquo.
Vertice vix steterat tota corona meo[2].

VIII.

Post quintum sumpto occubuit diademate mensem
De Radivilorum Barbara nata domo.
Fortunam lusisse putes non sceptra dedisse;
Quid refert, non dent, an cito Dii rapiant?

---

[1] Id est: Sol peragebat medii anni iter, adpropinquabant enim sex menses.

[2] id est: vix par eram coronae sustinendae. Ceterum illud „tota" vix genuinum est. Suspicor Royzium scripsisse: Vertice, vix steterat, mota corona meo est. Oritur etiam suspicio poetam alludere ad coronae septentrionalis sidus, quod in nostro orbe mense martio oriatur, occidat novembri, mense igitur maio vix teneat summam stationem hemicycli. Atqui tum potius „suo", non „meo" exspectaveris.

IX.

Augusti coniux hic Barbara conditur; hoc est:
Dimidium Augusti conditur hoc tumulo [1].

12.

REGINAE UNGARIAE [2].

I.

Ut casus fert adversos invictaque perstat!
Fortuna dignam se meliore docet.

II.

Iunoni par es; par si fortuna fuisset,
Nil, quod suspiciat, Sarmata maius habet.

[1] In mstis. adscripta sunt hoc loco a Royzio haec prosa oratione:
Obiit duodetrigesimum aetatis suae annum ingressa; mensibus post regalem honorem susceptum quinque, diebus duobus; anno post Christum natum primo et quinquagesimo supra millesimum et quingentesimum, VIII. Idus Maias, sole ad vesperam inclinante.

[2] scil. Izabellae, Sigismundi I filiae, Ioannis Zapolyae, Hungariae regis uxori. Scriptum est carmen c. a. 1552—1557, quo tempore Izabella cum filio Sigismundo Hungaria excedere coacta in Polonia degebat (Orzechowski Annal. V med.). Haec duo epigrammata exhibet solus liber cornicensis pg. 22.

b.

AD POLONOS SENATORES PROCERESQUE[1].

1.

Ad TOMITII manes planctus[2].

Quis te, Tomiti patriis Deus abstulit oris?
  Eheu, Tomiti, mors tua crimen habet.
Templa situ consumpta iacent, spoliata magistro;
  Eheu, Tomiti, mors tua crimen habet.
Flet pauper, dives maeret, res publica fracta est;
  Eheu, Tomiti, mors tua crimen habet.
Religio tepefacta suos non invenit ignes;
  Eheu, Tomiti, mors tua crimen habet.
Triste canunt Musae, procul exulat actus Apollo;
  Eheu, Tomiti, mors tua crimen habet.

---

[1] Carmina hoc titulo comprehensa ita disposui, ut partim temporum, quibus singuli viri floruerunt, partim communis gentilium nominis rationem observarem.

[2] Asservatur haec elegia in solo libro cornicensi pg. 407. Petrus, Tomicki, episcopus cracoviensis et vicecancellarius regni, vir in omnibus publicae privataeque vitae conditionibus excellentissimus, cuius memoria etiam post mortem diu apud Polonos viguit, obiit a. 1535. Fieri potuit, ut ipsius Hosii de Tomicio narrationibus Roysius ad hanc elegiam brevi post adventum in Poloniam conscribendam commoveretur.

Pupilli lugent, viduae miserabile plangunt:
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.
[illegible] [illegible], [illegible] sine fine puellae:
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.
Laetitiae [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible].
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.
[illegible] virgo [illegible] sine vestibus [illegible]:
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.
[illegible] [illegible] te [illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible].
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] sine [illegible] [illegible]:
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.
[illegible] honor [illegible] [illegible] pulcherrima [illegible]:
Eheu, Domine, mors tua crimen habet.

2

In CHRISTOPHORI SCHULTZ [illegible].

[illegible] [illegible], [illegible] heros
[illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]: [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] a [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] a [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] ad a [illegible], [illegible] a [illegible] in [illegible] [illegible] [illegible] „[illegible] [illegible]“. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

3.

De GAMRATO praesule.

I.[1]

Cum praesul Gamratus adest, laeta omnia fiunt;
  Cracovia urbs omnis ridet et omnis ager.
Ergo adsit, nunquam absit, praesentia cuius
  Unius ex maestis omnia laeta fiunt.

II.[2]

Cum, Gamrate, vales medicis da, dum dolet, aufer;
  Sic fac, si tibi vis prospiciant medici.

III.[3]

Aegrotas Gamrate: tuo te trade Sabino[4];
  Vivere sic, longum sic superesse potes.
Hic nisi te eripiat, graios ne quaere Galenos:
  Te, Gamrate, potes dicere, fata vocant.

In eiusdem stemma.

IV.[5]

Tres sedes monstrant tria saxa: Cracovia prima est,
  Altera Gnezna, has post tertia Roma manet.

---

[1] Corn. pg. 47. Scriptum est hoc carmen ante a. 1545, quo Gamratus decessit et, id quod vero proximum esse videtur, circa a. 1542. Petrus Gamratus, armorum Sulima, tria saxa continentium, erat episcopus cracoviensis aa. 1538—1545, archiepiscopus gnesnensis aa. 1540—1545.

[2] Corn. 21.

[3] Corn. 82.

[4] Bartholomaeus Sabinus (Sabinka, Kamieński), medicinae doctor, physicus regius, archidiaconus lublin., canonicus vilnen. et sandomirien., praepositus ad scti. Floriani cracov., obi. a. 1556. Conf. Oettinger, Rys dawnych dziej. wydz. lekar. uniw. Jagielloń. Kraków, 1878, pg. 164. Hosii Epistolae ed. Hipler et Zakrzewski, Cracoviae 1886—1888.

[5] Corn. 129.

V. [1]

Tres inferre petras caelo cum te videt alto
Alter, Petre, Petrus, protinus extimuit,
Ne, quae eius petra super una ecclesia nutat,
Pondereque ingenti iam prope victa ruit,
Firmior ut staret, iubeat regnator Olympi
His imponatur, inde revulsa, tribus.

Ad EIUSDEM manes.

VI. [2]

Ne tuus aethereo raptum te inferret Olympo
Ales et auferret te, Petre magne, tuis,
Illius addiderant pedibus tria saxa Poloni:
Fortior at vicit, te et super astra tulit.

VII. [3]

Quae laeto accepit toties te ecclesia vultu
Intrantem, placido continuitque sinu:
Importatum humeris, centum, Gamrate, virorum
Te post fata eadem noluit accipere.
Quae monstra haec? aut quod mutati crimen amoris?
Te voluit vivum, noluit exanimum.

---

[1] Corn. pg. 108.

[2] Ex libro Cracoviae a. 1545 typis impresso q. i. Carmen funebre in obitu Gamrati. Exstat in prima editionis pagina sub imagine armorum Sulima, cui adscriptum est illud Ovidii Amor. I, 15, 39 sq.

[3] Corn. 73, ubi huic carmini haec superscripta exstant: „Ad manes antistitis Gamrati in ecclesiam suam sepulturae causa magna importati vi". Quae, utpote vix a Royzio scripta, omisi. Ceterum Gamratus Cracoviae in singulari arcis regiae sacello tumulatus est. De re hoc carmine memorata nihil aliunde cognitum accepi.

De EODEM

ex carbunculo in tergo mortuo[1].

VIII.

Promisit plures olim tibi Iuppiter annos,
  Quod, Gamrate, frequens dixerat astrologus.
Cur ergo ante diem leto rapit, inquis, acerbo?
  Te sine non potuit Iuppiter esse diu.

IX.

Principium generis fuerat Gamratus et idem
  Finis; iure igitur alpha vocetur et ω.

X.

Mortalisne esses, morbo mors tentat ut acri,
  Abstulit, ablatum postea paenituit.

XI.

Ad Masoviam.

Gamratum tibi non sentis, Masovia, raptum:
  „Sentio“, ais, „ploro“. Non satis est, morere.

Epitaphia eiusdem.

XII.

Certarunt Roma et caelum, utri debitus esset
  Gamratus. Caelum vicit et eripuit.

XIII.

Occidit ut Petrus Gamratus et astra petivit,
  Obvia fit Iuno, dum putat esse Iovem.
Maiestate viri decepta et corpore tanto,
  Hunc, qui non fuerat, credidit esse Iovem.

---

[1] Carmina VIII—XIII repetuntur ex editione cracoviensi a. 1545 (Carmen funebre in obitu Gamrati), cuius extremas paginas explent.

Deinde pedum ut videt et stringentem tempora mitram,
„Cedo", inquit, „maius hic Iove numen habet" [1].

4.

Ad episcopum DZIADUTIUM [2].

Invidit tibi, Dziaduti, fortuna locumque,
Heu, quo dignus eras, noluit esse tuum;
Dignus eras longeque inter dignissimus omnes,
Quos rapidis praeceps Istula potat [3] aquis.
Fecerit illa [4] alta et terris confuderit astra,
Unus tu multis anteferendus eras.
Quo te cunque loco fortuna reliquerit, ullum
Non tamen in nomen ius habet illa tuum.
Clarus eris quocunque loco, seu sederis illo
Sive illo potius sederis in solio.
Quod solio huic cedas, magis hoc tua gloria claret,
Cum cedat solio, qui sedet, ille tibi.

---

[1] Hoc praecipue carmen potius cavillationem tectam mortui, quam laudem, continere videtur.

[2] Corn. 50. Ioannes Jelita Dziaduski, qui mense Augusto a. 1545 episcopus chelmensis factus brevi post eodem anno episcopus premisliensis creatus est. Scriptum esse videtur carmen hoc ipso anno 1545.

[3] „quos potat" idem valet atque „quibus potum praebet" ex posterioris aevi scriptorum consuetudine.

[4] scil. fortuna.

5.

Ad SEVERINUM BONERUM.[1]

Prisca Severino concedant saecla Bonero,
Mirenturque suum tempora nostra virum.
Mirotur Teuton, miretur Sarmata, et omnis
Quae[2] sub septeno terra trione iacet.
Esuriet lauti celebratus Apollo[3] Luculli,
Collatus mensis, magne Bonere, tuis.
Divitiis forsan contendet Crassus, at usu
Inferior Crassus dives et omnis erit.
Divitiis superare potest hic ille, sed usu
Infra te, qui sunt, quique fuere, putem.
Hostiles quae ferre minas et proelia possint,
Nobilis et castris[4] sarmatis ora tuis.

---

[1] Corn. 372 = oss. 312 sq. Severinus Boner erat circa a. 1540 castellanus biecensis, an. 1546—1549 castellanus sandocensis.

[2] ms. „qui". Fortasse „cui" scripsit R.

[3] id est „poeta" vel „vir doctus".

[4] Tangere videtur arcem Odrzykoń, a Bonero refectam.

6.

Ad STANISLAUM OSTROROGUM[1].

I.[2]

Gratulor egregiam tandem, Ostroroge, puellam
Laschaseam thalami iura tenere tui.
Optaras quod, habes, quod habes, voluere parentes
Et voluit, quod habes, quodque habet illa, Deus.

II.[3]

Ostroroge, genus gentis sublime polonae,
Cui dant egregios stemmata prisca duces:
Quod mores hominum terrasque urbesque requiras,
Sint alia alterius, istud Ulixis[4] habes.

---

[1] Is videtur esse Stanislaus, circa aa. 1570—1579 castellanus międzyrzecensis, qui aurei velleris decus, Sigismundo I a Carolo V impertitum, post mortem regis caesari reportavit, nisi quod idem Sophiam, Ioannis Tęczyński, palatini sandomiriensis filiam in matrimonium duxisse traditur a Niesiecki (Herb. VII, 198 sq). Sed ipsa illa Tencinia, Stan. Ostrorogi uxor, Io. Lasci, heresiarchae, sororis filia fuit; R. igitur ex materno genere laschaseam eam appellasse videtur. Utrumque carmen et I et II circa a. 1550 scriptum esse videtur.

[2] Corn. 17.

[3] Corn. 84.

[4] Ms. „Ulissis".

7.

PAULI,

ducis olschanensis, episcopi vilnensis,

EPITAPHIA[1].

I.

Paulus ego, praesul duxque olschanessius idem,
Mortuus hac, struxi quam mihi, mole tegor.
Quod mortale fuit, sacrae tulit angulus aedis,
Caelum animam; nomen vivit in orbe meum.
Si, ut membris, famae voluissem ponere sedem,
Non aether satis est, non mihi terra satis.

II.

Praesul erat, ducibus Paulus dux natus ab illis,
Quos olschanensis protulit alta domus.
Pontificem flet Vilna, ducemque olschania tellus;
Ista suas lacrimas fundit et illa suas.
Parcite ploratu, melior pars illius exstat:
Spiritus in caelo, nomen in ore virum[2].

III.

Hic dux Olschani situs est et episcopus idem
Vilna tuus, viguit quo duce religio.
Exemplum fuit ille suis vitaeque magister;
Certa suae vivens regula gentis erat.
Nunc obiit; flent Olschani, flet Vilna. Quid? illum,
Qui novit nec flet, se negat esse bonum.

---

[1] Haec epitaphia exstant in corn. pg. 225 sq., in oss. pg. 104 sq. Paulus Algimunt, dux olszanensis, armorum Centaurus, ultima gentis stirps, erat primum episcopus lucensis (Łuck), deinde vilnensis ab a. 1536 usque ad a. 1555 (Gams, Series episcop.; Baliński, Historya m. Wilna I pg. 224). Mstorum. „epitaphium" mutavi in „epitaphia".

[2] Ennius apud Ciceronem Tusc. disp. I, 15, 34.

IIII.

Olschani Paulus dux, Vilnae praesul, obivit;[1]
Flent omnes et tu, tertie[2] Paule, fleas.
Nam romana fides isto si perstat in orbe,
Atque sacris templis haeresis omnis abest,
Omnis, Paule, isti debetur gratia Paulo,
Quo stetit et viguit praesule religio.

V.

Hac dux Olschani et praesul Vilnae occubat urna,
Cuius, dum stabit Vilna, manebit honor.
Ut vixit patrioque suos moderatus amore est,
Scribere longa mora est, nec capit iste lapis.

VI.

Hic Paulus situs est, antistes duxque. Requiras
Ex populo, si vis discere, qualis erat[3].

VII.

Hic praesul Vilnae, Olschani dux; ei[4] mihi! sculptor
Cetera prae lacrimis addere non potuit.

VIII.

Dux Paulus, Vilnae praesul, cubo mole sub ista.
Cetera quis nescit?

---

[1] pro „obiit", ut saepe.

[2] Paulus III praefuit ecclesiae rom. aa. 1534—1549, mortuo vero Paulo, duce olschan., iam Paulus IV (1555 - 1559) gubernacula ecclesiae tenebat. Itaque haec epitaphia vivo adhuc Paulo, duce olschan., circa a. 1548 a Royzio composita esse videntur, praesertim cum id, quod scribit IV, 3 sq., post a. 1555 Radivilo Nigro a. 1553 in Calvini partes transgresso, vix scribi potuerit.

[3] = fuerit.

[4] Ossol. „hei", cornic.: „heu".

8.

* Ad SAMUELEM MACEOVIUM pertinentia.

a.

De SAMUELE MACEOVIO,
episcopo plocensi et cracoviensi designato[1].

I.

. . . .

O propera, et qui nos sperando conficit omnes,
Transeat a nobis iste, Calixte[2], calix.

II.

Ad eundem, nominato pridie eius diei episcopo,
vacante adhuc archiepiscopatu[3].

Debueras adferre pedum, Calixte. Moratum
Praevertit te rex, et prior ecce dedit.
Cum venies, Calixte, eadem nam munera vilent[4],
Fer, Calixte crucem:[5] sic mage gratus eris.

---

[1] Haec minora carmina repetuntur ex libro typis expresso q. i. Ad sacrosanctum Samuelem, episcopum plocensem, cracoviensem vero nunc iure ac merito designatum. Cracoviae 1545.

[2] Procul dubio nuntius pontificis maximi hoc tempore in Poloniam missus. In consistorio romano Maciejowski Samuel demum die XIX februarii a. 1546 episcopus cracoviensis est declaratus. (Scriptores rerum Polon. t. XV Crac. 1894 pg. 8 sq.). Prima pars huius carminis una cum altera parte poematis (conf. vol. I pg. 227—230), cui est adscriptum, fortasse cum aliis insuper minoribus carminibus, in exemplari bibliothecae czartor. desideratur.

[3] Hoc epigramma a. 1546 scriptum est (conf. supra adnot. 2), quamquam editio, qua emissum est, anni 1545 notam prae se fert.

[4] Forma praesentis ad similitudinem perfecti vilui contra latinae linguae consuetudinem usurpata.

[5] Archiepiscopis enim gnesnensibus, utpote natis sedis apostolicae legatis, publice crux praeferebatur.

III.

Ad eundem,

episcopum ploczensem, designatum cracoviensem.

Quae tua nuper erat, te Plocia deflet ademptum,
  Gaudet, quae facta est nunc tua, Cracovia.
Altera flet maesta, exsultat laeta altera; tu inter
  Laetitiam et fletus quid, Maciesche, facis?

IV.

Qui te intusque forisque videt, Maciesche, notatque,
  Magnum iurabit vivere Tomicium[1].

V.

Fortunae consilium.

Cracoviae ablato Petro fortuna favere
  Ut voluit, voluit reddere Tomicium.
Fata vetant. Faciam nihil, inquit, numina refert:
  Pro magno Samuel, sis mihi Tomicio.

VI.

Tomicio similis magno successit alumnus,
  Natum iterum ut possis dicere Tomicium.

VII.

Ad Cracoviam.

Flevisti nuper sparsis et crinibus ibas,
  Cracovia, ac casu es paene sepulta tuo.
Nunc gaudes felixque novo laetare magistro;
  Quae sunt, cuncta suas discis habere vices.

---

[1] Edit. Tomitium hic et infra. Conf. supra pg. 37 adn. 2.

VIII.

Ad Masoviam.

Patronum[1] flesti amissum, Masovia, nuper,
Ablatum ploras nunc decus omne tuum[2].
Translato magni Samuele ad moenia Gracchi
Laetae augent planctum gaudia Cracoviae.
Dum lacrimis lacrimas, dum planctus planctibus addis,
Aucta novis undis Istula pontus erit.

Ploscia ad Istulam.

IX.

„Istula, da lacrimas, tua te rogo“, Ploscia dixit;
„Ploscia te rogat urbs: Istula, da lacrimas“.
Istula, „non satis est lacrimarum, o Ploscia“, dixit,
„O mea, non habeo, Ploscia, parce mihi.
Nam dum bis largo fundo mea flumina planctu,
Istula nunc, siccus post modo campus ero“.

X.

Nuper plorabas, et nunc, Masovia, ploras,
Atque novis semper fletibus ora rigas.
Patronus tuus ante tibi Gamratus obivit,
Et, quod tristius est, nunc Macioschus abit.
Flevisti satis, infelix, iam parce moveri,
Ad casus alios linque tibi lacrimas.

XI.

Dum luges plangisque dies, Masovia, totos
Patronum nunc, nunc pontificem, misera,
Nunc Samuele tuo, Petro nunc orba, tuorum
In quis spes omnis vita salusque fuit:
Dic mihi, post oculis lacrimarum flumina fusa
Arvaque tot lacrimis exsaturata tuis,

[1] Gamratum, utpote Masoviensem.
[2] Sam. Maciejowski, qui episcopus plocensis fuit; Płock enim est Masoviae urbs sedesque episcoporum masoviensium.

Adversi acciderit si quid, Masovia, posthac,
Ut lugere queas, unde petes lacrimas?

b.

VALE DICIT EIDEM[1].

Discedo, Samuel; Samuel, vale, inclite praesul
Sarmatiae, Samuel, gloria magna tuae!
Te quantum Samuel venerer, non dixero praesens
Praesenti: addideris hoc mihi, quaeso, dato[2].
Personata homines hominum praesentia fallit:
Te qui non amat, hic, quod veneretur, ait.
Absens non idem. Quas ficto struximus ore,
Alpum traiectus solvit amicitias.
Illa mihi quae olim mentiri absentia nescit,
Illa mihi testis sit studiisque meis.
Quantum cultum absens absenti ostendero, tanto
A me credideris te, Maciosche, coli.

c.

* ALIA DE EODEM[3].

I.

Pallenti, morbo afflicto, Maceovi, trimestri
Pallens misisti munus, et erubui.
Erubui, pallorque meo longe ore recessit
Nostraque nativus vestiit ora color.
Mirata est natura, suo quod munere nunquam
Tentatum est, munus hoc potuisse tuum.

---

[1] Circa a. 1547. Conf. meae dissert. polon. de Royzio pg. 70 sq. (= 30 sq.). Exstat carmen in libro corn. pg. 51.

[2] Scripsi „addideris“ ex coniectura; ms. „dederis“. „Dato“ est dativ. generis neutri.

[3] Corn. 16 sq. Circa a. 1548 Royzium aegrotantem a Maceovio pecunia (auro) missa donatum esse enarravi dissert. polon. de Royzio pg. 73 sq. (= 33 sq).

Illa albis tollit nigrantia, candida nigris,
Ceteraque oppositis cedere victa facit.
Iisdem eadem nescit natura evincere; nescit,
Iisdem eadem tolli qua ratione queant.
Iisdem eadem sed tu cedant, pulcherrimus auctor,
Ignota rerum vi et ratione facis.
Natura ergo tuo victam se munere dicat,
Se et maius numen munus habere tuum.

II.[1]

Pontificum Samuel decus, et decus aethere dignum,
Verae, quam colimus, religionis apex,
Pectus mite, pium pectus mansuetaque virtus,
Virtus sidereos digna tenere choros,
Iustitiae custos et honestae regula vitae:
Non quod tu, quod vult lexque Deusque, facis.
Sed quid ego sollers, quid ego per singula curro
Et laudes tento dinumerare tuas?
Possumus hoc in te laudare et possumus illud:
Laus tua non uno est constituenda loco.
Unus erit modus hic: Qui de te plurima dicit,
Dicat plura licet, dicere plura potest.

III[2].

Languenti munus misisti, munus egenti;
Languor egestasque est munere pulsa tuo.
Laeta salus rediit vitae et prope adempta facultas,
Concepta est[3] toto pectore laetitia.
Quae medici nostri et quae non potuere labores
Tollere, nunc[4] munus abstulit illa tuum.
Munere pro tali, quae caelo numina iustos
Respectant, pro me praemia digna ferant.

---

[1] Corn. 44 sq.

[2] Corn. 46 sub titulo: „Ad Samuelem, episcopum".

[3] Ms. „est et".

[4] Ms. „Et quae non".

Te nos interea nomenque decusque canemus
Usque tuum, et nobis numinis instar eris.

d.

* DE EODEM MORTUO[1].

I

Praesul ego, famam cuius vix continet orbis,
Exiguo Samuel condor in hoc tumulo.

II.

Tristia cum didicit Samuelis funera Petrus,
Fertur ad aethereas ingemuisse fores,
Despiciensque urbem caelo Samuele perempto:
O mea Roma, inquit, nostra ubi Sarmatia?[2]

---

[1] Haec duo carmina una cum Langianis repetuntur ex libro Nenia in funere Maceovii Cracoviae a. 1550 typis expresso, quem claudunt. Mortuus est Maciejowski a. 1550.

[2] Ad calcem editionis leguntur adnexa haec Ioan. Langi, quae hoc loco repetere ex re mihi visum est:

In SAMUELIS MACEOVII, episcopi cracoviensis,
obitum
epigramma IOANNIS LANGI iurisconsulti.

Τῆς πατρίδος μέν τοι ὀλοὴ πατέρ' ὤλεσε μοῖρα
Σιγμούνδον πρώην, τὸν βασιλῆα κλυτόν
Νῦν δ' ἔθανεν πατρίδος τε πατὴρ κ'αὐτοῦ βασιλῆος,
Ἀρχιερεὺς Σαμουὴλ πατρίκιός τε μέγας·
Τῷ τε λόγῳ Σαμουὴλ πρήξει τε, φερώνυμος ἀνήρ·
Ὀρφανὴ εἶ, πατρεή, ὀρφανὸς εἶ, βασιλεῦ.
Ἀλλὰ σὺ οἰκτείρας τὴν ὀρφανότητ' ἐλεεινήν
Τὴν πατρεὴν σῶσον καὶ βασιλῆα θεός*.

IDEM LATINE VERSUM.

Te patriae patrem nuper, Sigmunde, rapaci,
Inclite rex, dextra fata tulere mala,

---

* In editione videtur excusum esse potius „θεέ". Et sane ad sinceritatem iustamque elegantiam etiam alia desunt huic graeco epigrammati, alioquin candidi in defunctum Polonosque studii pleno.

Nunc cecidit Samuel, antistes patriciusque,
Qui regisque fuit, qui patriaeque pater,
Nomine non tantum Samuel, sed rebus et ipsis:
Sic orbus rex est orbaque nunc patria.
Tu pupillorum sortem miseratus acerbam,
Cum patria regem protege, Christe, pium.

ALIUD.

Occidit ante suam Samuel Maceovius horam,
— Praesule quo felix terra polona fuit, —
Cum patriae fidus regisque fidelis amicus,
Tum praeco sancti doctus Evangelii.
Quae velut hic homini dotes cita fata tulere,
Sic vitae in caelis praemia digna ferent.
Votis, Christe Deus, te quaesumus, annue nostris,
Si nece confisus concidit ille tua.

ALIUD.

Sarmatici postquam columenque decusque senatus,
Antistes Samuel, occidit ante diem,
Quae florere prius est visa Polonia, squalet,
Nec mihi iam tantum, Croca beata, places.
Quascumque in partes verto mea lumina, multum
Sentio luminibus semper abesse meis.
Unum mens sed enim Samuelem nostra requirit,
Cui, metuo, an cernas, terra polona, parem.
Vix alii afflabit tantum — sim falsus — honoris
Cana fides, Charites Pieridesque deae.
Maestior arctois Langus* visetur in oris,
Perfugium quando perdidit ille suum.
At tu perpetuum, Samuel carissime, salve
Perpetuumque mihi, dulcis amice, vale.

EPITAPHIUM EIUSDEM.

Helcanide** non inferior Samuele putandus
Hic situs est Samuel, sarmatis ora, tuus.
Namque tuis erat hic pietate fideque monarchis,
Quod fuit hebraeis regibus ille prius.

---

* De Lango conf. Ianociana LXI. Ceterum haec verba indicant Langi esse haec poemata.

** Elkana sive Helkana erat pater Samuelis, iudicis, qui dicitur, Hebraeorum.

e.

SUB STEMMATE EIUSDEM[1].

I.

Fortunata, tuis[2] nil deest, Cracovia; iustus
Procurat dominus, sidere Taurus[3], agros.

II.

Pascua non repeto impastus, non flumina nota;
Gloria quippe mei me Samuelis alit.

III.[4]

Nemo meum, stabulis quem fovi, laedat Iesum:
Cornua, qui laedet, sentiet ille mea.

IV.

Cornibus insontes defendo; cornibus iisdem
Tu, male, ni caveas, sons feriere meis.

V.

Taurum olim Omnipotens, hiemem propellat ut acrem,
Donavit nato frigore sub medio[5].
Frigore sub medio[6] tibi dat, Cracovia, Taurum
Omnipotens, ne te tristis adurat hiems.
Defendet, fidei ne te mala frigora laedant,
Et ne pars rigeat corporis ulla tui.

---

[1] Quinque prima epigrammata, quae sequuntur, repetivi ex libris mstis (corn. 147 sq. = oss. 9 sq.).

[2] scil. civibus.

[3] videtur „sidere" eadem ratione usurpasse, qua „nomine, cognomine insigni". Sed fortasse textus epigrammatis corruptus est.

[4] Exstat hoc epigramma etiam in libro Rubricella cracoviensis quottidiana ad annum 1564 in titulo sub stemmatis imagine.

[5] mediae noctis frigora designat.

[6] frigora mediae regionis septentrionalis tangit.

Quam sis cara Deo, Cracovia, cernimus: illi,
Quae nati fuerat, haec quoque cura tui est.

VI.[1]

Suspensum collo nullum quod cernis aratrum,
Et nullo cervix quod mea trita iugo est,
Ne ignavum credas: meus aurea saecula mundo
Restituit Samuel; nil habeo, quod agam.

---

[1] Legitur hoc epigramma in prima pagina libri q. i. Ad sacrosanctum Samuelem cett. sub stemmate Maceovii depicto. In utroque latere imaginis tauri adscriptum est illud Ovidii Trist. V, 2, 51.

9.

* EPIGRAMMATA SENATORIA[1].

I.

DUCISSAE MASOVIAE[2].

Virtutem spectem seu regia sceptra Piasti,
Unde genus: par est femina nulla tibi.

EPISCOPO CHELMENSI[3].

II.

Si tua te virtus pietasque in sede locassent,
Stringeret hoc maius tunc[4] tua dextra pedum.

---

[1] Hoc titulo complexus sum XXXIII epigrammata in solo corn. paginis 23—27 collecta, quae non nomine eius, cui dedicantur, sed munere, eoque maximam partem senatorio, signata sunt. Continentur autem omnia libro, qui inscribitur Otiorum liber primus dedicaturque Ioanni Tarnovio, castellano cracoviensi. Ex carmine dedicatorio, quod libro praemittitur, patet eius modi librum ante a. 1548 ad Tarnovium esse missum, unde etiam carmina omnia, quae liber complectitur, ante eundem annum composita esse colligere aequum est. Et sane nonnulla, ut carmen I et IV huic sententiae adspirare, alia certe non adversari videntur, sunt tamen quaedam, ut VIII, XI, XV, XVI, XX, quae sine dubio ad annum anno 1548 posteriorem pertinent, denique pleraque circa a. 1550—1552 scripta esse videntur. Unde ea, ut etiam alia primi Otiorum libri, ab inconsulto librario in hunc librum illata esse perspicuum est, qua de re egi etiam in polona dissert. de Royzio part. II cap. 1. Ad quem igitur singula epigrammata spectent, ita potissimum eruere studui, ut condicionem, quae erat circa a. 1550, respicerem. Invenisse me ubique verum non contenderim eaque fuit potissimum causa, qua ductus eius modi epigrammata hoc loco collecta separatim edidi.

[2] C. 26. Anna ex ducibus Masoviae nupsit a. 1536 Stanislao Odrowąż de Sprowa, tum palatino Podoliae (1530—1537) deinde Russiae (1537— † 1547). Is obiit a. 1547, unde ante eum annum hoc epigramma scriptum esse verisimile est.

[3] Uchański Iacobus aa. 1551—1557, aut, qui eum antecessit, Ioannes Drohojowski (aa. 1546—1551). Utrumque epigramma est in corn. pg. 24.

[4] „Tunc" scripsi ex coniectura. Ms. „hoc".

III.

Quod te non alia locavit aede
Nec maius diadema det merenti:
An fortuna, sat est, quod erubescit?

IV.

NOMINATO POZNANIENSI[1].

Gaude, quod patrias es lectus praesul ad aras:
Isto iam dudum munere dignus eras.

V.

SIBI D. CRACOVIENSIS[2].

Haec fuit illa mihi semper mansura voluntas:
Vivere pro patria velle morique mea.

VI.

DO. IUNIORI[3].

Cresce patris similis, praeclari nominis heres,
A patre te vinci nec patiare tuo.

VII.

CASTELLANAE CRACOVIENSI[4].

Femina nulla suo maius te praebuit aevo
Exemplum, nec te sanctior ulla fuit.

---

[1] Est, ni fallor, Benedictus Izdbieński a. 1553 mortuus, ipse enim in Magna Polonia natus esse videtur (conf. v. 1). Is certe a. 1546 nominatus posnaniensis fuit. Exstat etiam aliud Roysii de eodem epigramma (conf. infra). Hoc vero est in corn. 24.

[2] Io. Tarnowski, castell. cracoviensis (corn. 25). D., ut infra Do., significare videtur „dominus".

[3] Ioanni Christophoro, Ioannis illius magni filio (corn. 25).

[4] Sophiae, filiae Christophori Szydłowiecki, Ioanni Tarnovio, castellano cracoviensi ac supremo exercituum Poloniae duci, nuptae.

VIII.[1]

NOVAE NUPTAE.

I digno coniuncta viro Tarnovia virgo,
Et nostrum subole suffice nata genus.

IX.

PALATINO CRACOVIENSI[2].

Sublimem natura animum mentemque serenam,
Nobile procero corpore clausit opus.

X.

PALATINAE CRACOVIENSI[3].

Femina magna quidem, sed tanto digna marito:
Laetare illustri femina nupta viro!

XI.

PALATINAE VILNENSI[4].

Evexit tua te virtus huc, uxor ut esses
Herois magni, nec minor ipsa viro.

PALATINO SENDOMIRIENSI[5].

XII.

Effundant alii thesauros, ipse reconde:
Prudens, in sua qui tempora servat opes.

---

[1] Haec referri videntur ad Sophiam, magni Ioanni Tarnovii filiam, quae Constantino, duci de Ostrog nupsit a. 1554. Patrem poeta facit loquentem (Boniecki, Poczet str. 235). Conf. corn. 26.

[2] Petro Cmitae, qui obiit a. 1553. Corn. 23.

[3] Barbarae, opinor, Ioannis Herburti filiae, quae erat Cmitae altera uxor. Corn. 26.

[4] Elisabetae, Christophori Szydłowiecki filiae, Radivili Nigri uxori. Palatinus vilnensis Radivilus factus est a. 1551. Corn. 26.

[5] Nicolaus Odnowski Herburt armorum Pawęża, tribus ensibus notatorum, qui palatinus sendom. obiit a. 1554. Corn. 28.

XIII.

ALIUD IN INSIGNIA ILLIUS.

Non credis claves nummis satis esse tuendis,
Hinc triplici clausas ense tueris opes.

XIV.

PALATINAE SENDOMIRIENSI [1].

Commendat tua te virtus et splendor avorum;
Accessit titulus cum locuplete viro.

XV.

PALATINO CALISIENSI. [2]

Sydlovius fuerat tibi qualis avunculus olim,
Sis ut ei similis et videaris, amas.

XVI.

PALATINAE CALISIENSI. [3]

Sive probam, seu vis [4] fecundam quaerere, laus est
Quae sexus: par huic femina nulla fuit.

PALATINO PODOLIAE. [5]

XVII.

Mars, qui caesorum servavit te inter acervos,
Rem magnam patriae praestitit ille tuae.

[1] Annae aut Ligenzae aut Georgii Bali filiae, Nicolai Odnowski Herburt uxori (Niesiecki — Bobrowicz Herb. IV, 349). Corn. 27.

[2] Martinus Jastrzębiec Zborowski, Elisabes Szydłowiecka, Nicolai Szydłowiecki sororis, filius, erat palatinus calissiensis a. 1550—1557. Corn. 23.

[3] Anna, filia Stanislai de Góra Konarski, uxor Martini Zborowski, quae octo filios totidemque filias genuit. Corn. 26.

[4] In msto. est „te" post „vis".

[5] Nicolao arm. Gryf Mielecki, palatino Podoliae aa. 1547—1561. Conf. Roysii Chiliast. v. 525 sq. Corn. 23.

XVIII.

Arma placent, veterisque recens stat gloria famae;
Esse tui similes, patria mille velit.[1]

XIX.

PALATINO BELZENSI[2].

Quod patriae infestum depellis finibus hostem,
Debentur meritis praemia magna tuis.

XX.

CASTELLANO VOINICENSI[3].

Eloquium studiis et plenum pectus honestis
Te dignum reddunt posteritate virum.

XXI.

CASTELLANO LEOPOLIENSI[4].

Maiorum claro fulges splendore tuorum,
Nec tu dissimilis incipis esse tuis.

XXII.

CASTELLANO VISLICENSI[5].

Virtutem si digna tuam fortuna sequetur,
Non tu Sauromatas ultimus inter eris.

---

[1] Conf. Decis. Lituan. IV, 164.

[2] Nicolaus Leliwa Sieniawski aa. 1549–1553. Corn. 23.

[3] Stanislao Maciejowski aa. 1550—1556. Corn. 24.

[4] Videtur esse Stanislaus Tęczyński, qui circa a. 1553 hoc magistratu fungebatur. Corn. 25.

[5] Cornic. 25. Est Valerianus Pilawa Moskorzewski aa. 1547—1564 aut Ioannes Mielecki 1540–1547.

XXIII.

CASTELLANAE VISLICIENSI[1].

Si qua huic[2] ex priscis similis fuit heroinis,
Quaesiit et dixit Sarmata: „nulla fuit“.

XXIV.

CASTELLANO BIECENSI[3].

Lucullus fuerat suo quod aevo,
Hoc aetate sua pater Bonerus,
Hoc tu filius es tua Polonis.

ALIUD.

Exemplum petat unde quisque, lautas
Qui mensas struit, unus es, Bonere,
Lucullus fuerat suo quod aevo.

XXV.

CASTELLANO RADOMIENSI[4].

In patria, quod pergis, avos aequabis amanda;
Aequasti: satis est, sed superare iuvat.

XXVI.

CASTELLANO SANOCENSI[5].

Panoniae ad fines quae te fortuna locavit,
Custodem patriae te iubet esse tuae.

---

[1] Margarethae, natae Dąbrowska, uxori Valeriani Moskorzewski (Nies. Bobr. Herb. VI, 482).

[2] Ms. exhibet „hic“. Corn. 27.

[3] Ioannes Boner (Bonar) aa. 1548—1562. Corn. 25. Is videtur fuisse filius Severini, in cuius honorem carmen a Roysio scriptum supra proposui.

[4] Fortasse Nicolao Jastrzębiec Myszkowski aa. 1553—1556. Corn. 24.

[5] Felicianus Rawicz Ożarowski (?). Corn. 25.

[illegible] ENSI[illegible]

[illegible] oneris [illegible]
[illegible] iubet, inopes.

[illegible]

[illegible] omnis [illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible] Cam. [illegible]
[illegible]
[illegible] Cam. [illegible]
[illegible] Cam. [illegible]
[illegible]

XXXII.

THESAURARIAE [1].

Quo patre nata, viro scis cui sis iuncta; propaga
Persimilesque patri, persimilesque viro.

XXXIII.

THESAURARIO CURIAE [2].

Acer es ac sollers et rebus dexter agendis:
Inde suas merito rex tibi credit opes.

10.

Ad PETRUM CMITAM,

Visnicium comitem, palatinum cracoviensem.

I.

Librum mittit [3].

I liber ad Cmitae, iubeo, tecta alta potentis:
Illius in tutas te, liber, abde domos.

---

[1] Annae, Nicolai Sieniawski Poloniae exercituum ducis filiae, Laurentii Spytek Iordan uxori. Corn. 27.

[2] Lutomirski Ioannes esse videtur (Decis. Lit. I, 23) aut Zalewski (Ms. ossol. pg. 186). Corn. 24.

[3] In libro cornic. pg. 55 sq. haec huic carmini praescripta sunt: „Ad principem virum Petrum Cmitam, visnicium comitem, cracoviensem palatinum, regni Poloniae summum moderatorem seu marschalcum aliisque insignibus reip. muneribus obeundis illustrem, librum mittit". Liber, quem Cmitae missum esse testatur liber corn„ erat Otiorum liber secundus constabatque maximam partem ex variis epigrammatis, ut ipsum hoc carmen indicat (conf. v. 7 sqq.). Sed cum ex multis indiciis colligi possit non integrum nobis hunc librum in cornicensi servatum esse, multaque carmina falso in eundem librum illata, alia fortasse omissa esse, memoriam libri servavi, carmina eiusdem ad meam rationem disposui ac pleraque in certis nominibus carentium numero (pars II huius vol.) proposui. Petrus Cmita natus est a. 1477, factus est palatinus sandomiriensis a.

Scis quot habes hostes; tuus est quaerendus Achilles,
Qui te inter gladios densaque tela tegat.
Eius sub clipeo iactas contempseris ornos,
Saevior et quantus Morychus esse potest[1].
Illic vera potes ludentibus edere dictis,
Et miscere suis seria tecta iocis.
Non illa malus interpres metuendus iu aula est:
Accipient sensus singula dicta suos.
I liber, i Cmitaeque tui pete limen Achillis,
Illius in tutas te, liber, abde domos.
Nescio, at inquis, iter. Septem non ulla trione
Nota magis domus est, clara nec ulla magis.
Ille patrum portus populique et plebis asylum,
Sauromatum requies, Sauromatumque salus.
Ire vides flentes viduas laetasque redire
Pupillosque, est et quisquis in urbe miser.
Unde dolum passi referunt sua iura Poloni,
Unde et praesidium civis equesque petit,
Unde Deo invisus flens it Iudaeus Apella,
Illac ad Cmitae tecta secatur iter.
Illa via est, illac pergas; ubi prima tenebis
Limina: securus iam potes esse, liber.

II.

Ad caniculam in discessu PETRI CMITAE[2].

Incendis rapidos quid dira canicula soles?
Cernis, ut omnis hiet sidere terra tuo?

1535, cracoviensis a. 1536, marschalcus regni c. a. 1529. Obiit a. 1553, ut patet ex carmine Royzii De matrimonio regio a. 1553 edito, ubi vivus commemoratur, et ex L. Górnicki Dziejo kor. (Sanok 1855 pg. 36). Falso igitur Niesiecki — Bobr., Herbarz I, 129, eum a. 1551 obiisse adnotavit. Missus est ille liber ad Cmitam circa a. 1548, ut idoneo loco (dissert. polon. pg. 73 = 33) exposui.

[1] Morychus i. e. homo stultus et ineptus. In msto. est „Monichus". Fortasse „Zoilus" legendum est.

[2] Corn. 350 sq. = oss. 278 sq. Tenuit enim Cmita inter alios etiam capitaneatum premisliensem eoque se conferebat.

Saeva tuas cohibe flammas, caput occule dirum,
Parcius arentem Sirius urat humum.
Nonne vides, ut Visnitiis atque arce relicta
Russiacos magnus Cmita revisat agros?
Et torrere audes incendereque aera flammis,
Tanti maiestas nec movet illa viri?
Rara tuos nec maiestas ea continet ignes,
Quanta nec in caelo creditur esse Iovis?
Illa viri species, decor ille, et laeta viri frons
Non possunt flammas, saeva, tenere tuas?
Divinos ures vultus faciemque decoram?
Pulchra viri tinget Sirius ora tuus?
Quin pete tu potius combustos solibus Indos;
Sirius extremos torreat Aethiopes.
In genus illud habes ius, illos aestibus ure,
Ustaque gens sidus sentiat illa tuum.
Iussa alio flammas converte, canicula, sidus
Flecte alio, Cmitae, barbara, parce meo.
Ob crimen minus ac ob culpam, crede, minorem
Tergeminum stygius Cerberon orcus habet.
Non olim manes terrebat Cerberus imos,
Ille tuus frater, sive vir ille tuus.
Triste nefas ausum styga deturbavit in imam
Iuppiter inque atras iussit abire domos [1].
Parce meo Cmitae: pro caelo nigra tenebis
Tartara: iam Cmitae, barbara, parce meo.

III.

Ad EUNDEM [2].

Cmita, potens animis et pulchris inclitus ausis,
Quae te defunctum post tua fata negent,
Enumerare tuas laudes tuaque ardua facta
Non est illius, Cmita, nec huius opis.
Sarmatiae tutela tua est, tua cura senatus,

[1] Famam de Cerbero quandam obscuriorem vixque genuinam sequitur.
[2] Corn. 65.

Publica consiliis stantque vigentque tuis.
Gaudet eques, civis gaudet, gaudetque senator
Ius per te laeti quisque tenere suum[1].
Non vis ulla premit maior, — tu fortior obstas, —
Non humiles agitat militis hasta domos.
Omnia sic pacas, sic omnia legibus aequis
Componis, sic das quemque quiete frui,
Iure omnes dicant ut de te, Cmita, Poloni:
„Iustitiae est fortis dextera Cmita manus".

IV.

VALE DICIT[2].

Cmita, vale! discedo: meus me poscit Iberus,
Hac me, Cmita, tenus sat tuus amnis habet
Istula, sat nostras potarit flumine musas
Hibernae et dederit pervia terga rotae.
Terra vocat patria et Phoebo iuga grata cadenti,
Sarmatis Hispanum ne premat urna suum.
Quae primos tellus vagitus audiit olim,
Extremos gemitus audiat illa[3] meos.

11.

Ad STANISLAUM KISKAM,
palatinum vitebscensem[4].

I.

Ex hoc disce libro praeclaras principis artes;
Nulla conveniunt his tibi, Kiska, magis.

---

[1] Graeca constructio.

[2] Corn. 93. Claudit hoc carmen librum illum alterum Otiorum ad Cmitam missum. Scriptum est circa a. 1548.

[3] Ex msto. transcriptum habui: „ille".

[4] Carmen I et II est in corn. pg. 278, in oss. pg. 167 sq., carmen III in corn. pg. 302, in oss. pg. 202. Carmini I haec praescribuntur:

Hic exempla leges veterum pulcherrima regum[1],
Rex quibus Augustus saepe monendus erit,
Sive olim tractat pulchrae bonus otia pacis,
Horrendum Martis seu meditatur opus,
Et Scythiam aggreditur metuendave Thracibus infert
Arma ferox; bellum seu tibi, Mosche, placet,
Nec pacis morem, percussaque foedera servas,
Periuro et testes aspicis ore Deos.
Hoc potes has artes ediscere codice lecto,
Scilicet et regi carior esse tuo,
Utilior patriae, patriaeque nocentior hosti.
Ergo libens munus suscipe, Kiska, meum.

II.

Cum delubra Dei sacrasque petiveris aras,
Hic psaltes[2] codex sit tibi, Kiska, comes.
Quem sic Flaminius[3], reserans abstrusa, polivit,
Dulcius ut vatum pagina nulla sonet.

III[4].

Quicquid agis, seu tendis iter, seu rura beata,
Kiska, colis, studiis inclite, Kiska, tuis,

„Ad virum illustrissimum Stanislaum Kiska, palatinum vitebscensem, D. et patronum suum observatissimum", in quo titulo manus posterior „illustrissimum" mutavit in „illustrem", verba autem: „D. et patr. s. obs." delevit. Alterum carmen, quamquam carmine ad Kiesgalem scripto divisum, caret titulo, tertio praescribuntur haec: „Ad Stanislaum Kiskam". Haec omnia referri ad eundem Stanisl. Kiskam verisimile est, qui palatinus vitebscensis fuit aa. 1544— † 1554, quamquam ad eum minus quadrare videntur ea, quae leguntur carm. III v. 8. Adde quod is habuit filium Stanislaum, qui titulo „wojewodzic witebski" utebatur. Conf. Boniecki, Poczet rodów, pg. 128.

[1] Fortasse hic erat Petrarcae liber De vitis virorum illustrium.

[2] Sic ms. Fortasse „psaltae codex" aut „psalmon codex" scripsit Roysius.

[3] Marcus Antonius Flaminius († 1550), Bononiensis, sacerdos, scripsit et commentarium in psalmos et paraphrasin 30 psalmorum versibus conceptam (Encyklop. kościelna V, Warszawa 1874, pg. 432).

[4] Ex carmine elucet mitti a Roysio codicem philosophorum graecorum.

Quae te per varium scriptorum ferre laborem
   Doctorumque queunt ferre per ora virum:
Divitis hic codex tibi sit ceu copia cornu[1],
   Hic lege, selectum Graecia quicquid habet.
In deserta licet patriae et nemora invia pergas,
   Dum silvis instas persequerisque feras,
Non solus, libro hoc multis comitantibus ibis,
   Quos schola doctorum protulit argolica.
Quorum pulchra brevis comprendit scita libellus,
   Qui tibi ne ingratum fac, rogo, munus eat.

12.

FELICI SRENTIO,

Plocensium ductori[2].

I.

Accipe, ploceae ductor fortissime gentis:
   Carmen habes, tumulum vis quod habere tuum.
Non opus hoc utinam post centum sit, precor, annos;
   Defensa a te istud patria cara velit.
Rex hoc, hoc populus, plebs hoc magnusque senatus,
   Quaeque omnis gelido terra sub axe iacet.
Vive igitur longum et caros tueare Polonos,
   Maesta diu cineres nesciat urna tuos.

EPITAPHIA.

II.

Clarus avis factisque meis post funera vivam,
   Inclita defuncto fama superstes erit.

[1] iunge: „divitis cornu".

[2] Corn. 10, ubi in titulo additur: Illustri viro: Felix Dołęga Sreński (Szreński), palatinus plocensis, obi. a. 1554 (Niesiecki — Bobr. Herb. VIII, 473). Unde ante hunc annum scripta esse haec carmina elucet. Conf. carmen poetae De apparatu nupti. Sig. Aug. et Elisabea. vol. I. v. 62 sq. et infra epitaphia Alberti Starosrzebski et Stanislai Graphi.

III.

Srentius, hic situs est; septentrio cetera novit;
Scribere si cupiam, non capit iste lapis.

IV.

Srentius hic cubat; his non dicam plura. Quid? omnis
Amissum quem flet patria, qualis erat?

V.

Consiliis patriam defendi et fortibus armis;
Occubui; cineres fama sequare meos.

VI.

Occubui, mortalis eram; post fata relinquo
Sed, quae post me olim fama perennis eat[1].

13.

Ad SOBECEM[2].

Aula, Sobec, mihi quam placeat, persaepe requiris:
Quam furi laqueus, tam placet aula mihi.

---

[1] Ordinem claudit epitaphium VII, quod quamquam prosa oratione scriptum ab hac editione abesse nolui:

VII.

Vixi patriae
Volui, potui, feci
Honesta, utilia, iusta.
His defunctus
Posterorum exemplo
Hic quiesco.

[2] Sobek, qui postea thesaurarius regni castellanusque sandomiriensis fuit (Górnicki, Dzieje kor., pg. 118. Sanok, 1855). Exstat hoc epigramma in solo corn. 86.

14.

Ad STANISLAUM HOSIUM [1].

Nil placet in terris, nihil omni ex parte probatur:
  Hinc te, quo taxet, gens tua quaerit, Hosi.
Invenit tandem: dicit, cum fulminat in te:
  Te nimis esse bonum, te nimis esse pium.

15.

Duci CONSTANTINO [2].

Te accinge ad patriam, dux Constantine, tuendam:
  Te decet hoc; partes has ducis esse puta.

16.

* De BENEDICTO IZBIEŃSKI,

episcopo posnaniensi [3].

Stemma meae est gentis rosa candida, muneris uncum
  Pastorale premens et diadema comam.

[1] Exstat hoc epigramma in solo corn. pg. 21. Scriptum esse videtur ante id tempus a. 1549, quo Hosius episcopus culmensis factus est.

[2] Basilius Constantinus, dux in Ostróg, palatinus kiioviensis, cui Sophia, Ioannis Tarnowski, summi exercituum Poloniae imperatoris, filia a. 1554 nupta bona tarnoviensia dotis nomine attulit. Carmen exstat in corn. pg. 22.

[3] Corn. 156 = oss. 22. In ossolineo titulus: „De quodam rosam pro stemmate habentem", posteriore manu praescriptus, exstat. Quem a Roysio non esse praescriptum elucet. Praedicari autem hoc carmine

Illa notat mores candentes candida nostros,
Haec curam adiciunt, adiciuntque decus.

17.

Ad IOANNEM TARNOVIUM, comitem,

castellanum cracoviensem.

Librum mittit[1].

I.

Ite meae Musae, parvumque afferte libellum
Tarnovio Magno, qui terras complet et astra

Benedictum Izbieński sive Izdbiński armorum Poraj, episcopum Posnaniae, pietate ac religione insignem, qui a. 1553 mortuus sit (Niesiecki — Bobrowicz, Herbarz IV, 412) perspicuum est.

[1] Exstat hoc carmen in libro corn. pg. 1—3 scriptumque est, ut vv. 15—20 indicat, inter aa. 1547 et 1548. Praescribuntur autem huic carmini haec: Ad principem virum Ioannem Tarnovium comitem castellanum cracoviensem sarmaticae militiae imperatorem summum Petri Roysii Maurei viri patricii Hispani Celtiberi Alcagnicensis iurisconsulti — Otiorum liber primus. Unde elucet librum primum Otiorum ad Tarnovium compositum esse a Royzio inter a. 1547 et 1548. Sed cum multa, quae in msto. corn. huic libro adnumerantur, anno 1548 posteriora sint, librum non integrum nobis traditum esse apparet. Itaque visum est mihi memoria libri servata eiusdem carmina ad meam rationem idoneis disponere locis.

Ioannes Magnus Leliwa Tarnowski, Ioannis primi comitis in Tarnów nepos, Ioannis Amoris, castellani cracoviensis filius, cum iam iuvenis Alberto, Alexandro, Sigismundo deinceps regnantibus ingenii virtutisque gloria excelleret, excolendi confirmandique animi causa peragrata Italia Syria atque Palaestina in Lusitaniam se contulit ibique virtute in bellis tunc temporis contra Muhamedanos gestis inclaruit. Unde patrios penates repetens adiit Galliam, Britanniam atque Germaniam. In patriam reversus a Sigismundo I meritis honoribus in dies auctus post mortem Nicolai Firlei a. 1526 supremus regni Poloniae militiae imperator, denique Andrea Tęczyński mortuo a. 1536 castellanus cracoviensis factus est. Non solum arte militari in bellis contra Valachos Tataros atque Moschos gestis abunde probata artibusque civilibus, sed etiam eximia doctrina litterarum-

Nomine, Sauromatis alius iam partus Achilles;
Audaces intrate; viri ne horrescite[1] vultus,
Nam licet arma fremat totumque exterreat orbem
Consiliis heros et grandibus inclitus ausis,
Musarum tamen est et pulchrae pacis amicus:
Martem idem studia et mitis colit ipse Minervae.
Sed ne importunae veniatis forte, cavete:
Otia rara viro, res illum publica late
Distinet atque animis totus quem concipit orbis.
Totos ille dies mavortia cogitat arma
Et commissa fero meditatur proelia Marte
Aeratasque acies et tela sonantia late:
Quid, Sismunde pater, placidae rex pacis amator,
Tot bellorum olim rector, tot victor in armis,
Extrema tandem felix meditere senecta,
Tuque Auguste, patris regnique et nominis heres,
Quanta animis iam concipias bella: horrida bella,
Hostili campos undantes sanguine cernit:[2]
Quid felix caesar[3] victricibus audeat armis
Cogitet augustasque aquilas quibus addere sceptris[4],

---

que studiis late per Europam inclaruit, ita ut eo tempore Poloni non haberent, quem praestantissimo viro anteponerent. Fidei catholicae inter illius aevi turbas fideliter deditus, regiae potestatis legumque columen, obiit septuagesimo tertio vitae anno 1561 sepultusque est Tarnoviae in ecclesia cathedrali, ubi nunc etiam exstat magnificum eius monumentum. Uxores duxit duas, alteram Barbaram, Nicolai Tęczyński, palatini rutheni filiam, quae edito Ioanne filio decessit a. 1527, alteram Sophiam, Christophori Szydłowiecki, castellani crac., filiam (ante a. 1532), quae genito filio Ioanne Christophoro et filia Sophia obi. a. 1565.

[1] Corn. exhibet „exhorrescite".

[2] Haec paulo ante a. 1548 scripta sunt. Conf. Verg. Aen. VI, 86 sq.

[3] Carolus V (1519—1556), qui inter annum 1536 et 1550 multis bellis prospere compositis merito felix dici potuit.

[4] Ms. „cogitat". Ceterum verba haec tangere videntur extrema a. 1540 tempora, quibus inter Ferdinandum, Caroli fratrem, Romanorum regem et inter infantem Ioannem Sigismundum Zapolya, Sigismundi I Polonorum regis nepotem, a Solimano II adiutum, lis de possessione regni Hungariae exorta est.

Magnanimus quid frater[1] agat, quibus ardeat ausis:
Quae ratio immitem Solimanum[2] avertere regnis,
Quae bona, quae contra belli suscepta gerendi
Consilia: haec animis heros et mente volutat.
Saepe epulas inter porrectaque pocula dextra
Immotum et toto suspensum pectore vidi,
Oblitum dapium praesentum et dulcis Iacchi,
Castra animis longum[3] ac immitia volvere bella.
Hae curae heroem thalamos comitantur ad ipsos
Saepius et somnos adimunt placidamque quietem,
Si qua intempesta occursant insomnia nocte.
Non pigra occursant oculis insomnia: cernit
Hectoraque Hannibalemque acremque in proelia Pyrrhum,
Clangentesque tubas hinnitusque audit equorum,
Et totos crebro disiectos ariete muros
Captivasque urbes et femineos ululatus
Arma inter media evertentemque omnia martem.
Parva saepe manu, comitatus pube polona,
Visus se magnis populorum opponere turmis,
Deturbare acies ingentemque edere cladem,—
Qualia senserunt starodubia[4] moenia quondam
Funera, quae adiutus parvo dedit agmine victor: —

---

[1] Ferdinandus I, inde ab anno 1521 austriacarum terrarum dominus, ab a. 1526 Bohemiae Hungariaeque rex, ab a. 1531 rex romanus, ab a. 1556 usque ad a. 1564 Germaniae caesar.

[2] Suleimanus II, Turcarum imperator, toto imperii sui tempore (a. 1520—1566) de possessione regni Hungariae primum cum Ludovico II Iagellonida, deinde cum Ferdinando I pugnavit ipsamque Vindobonam a. 1529 obsedit.

[3] = diu.

[4] Cum Mosci a. 1534 Lituaniam ingressi usque ad Vilnam urbem omnia ferro ignique vastarent, primum a Georgio Radivilo, palatino vilnensi, lituanis copiis ad Starodubum sunt victi, deinde, cum Tarnovius, supremus Polonorum militiae imperator, Polonorum exercitum adduxisset, Homla atque Starodubum, Moscorum oppida, vi expugnata sunt ipseque Owczyna, starodubei praesidii dux, cum permagno militum numero est captus a. 1535. Alii utriusque oppidi expugnati laudem Tarnovio imprimis tribuunt, alii Georgio Radivilo. Numerus etiam copiarum moscarum varie traditur, nam Starodubum ab Owczyna alii quindecim, alii sexa-

Cogitat haec vigil et mensas haec inter et aras,
Haec somno media occurrunt in nocte gravato:
Quae vigiles, eadem thalamos somnosque sequuntur.
Tot, Musae, curis distentum accedere magnum,
Otia turbetis tantis ne tradita rebus.
Illas ergo horas, libris quibus ille relictis,
Qui saevas memorant acies exhaustaque bella
Prisco olim saeclo[1], fessus vacua atria lustrat:
Illas, Musae, horas, illud disquirite tempus;
Munera nostra date; exiguos epigrammate versus
Ludentes legat et curis mentem allevet aegris.
Si quo ridebit fortasse epigrammate lecto,
Successit labor hic: populo patribusque placebo.

Ad EUNDEM[2].

II.

Qui historicos veteris, Tarnovi, legerit aevi,
Proeliaque et forti parta tropaea manu,
Scipiadas saevos et clarum nomen Atridas,
Hectoraque et Pyrrhum nomina ficta putet;
Hannibal huic Cannaeque undantes caede Quiritum
Atque lacus nullus huic trasimenus erit:
Consiliis dicat maiora et viribus ullis
Illaque non homines sed potuisse deos.
Sed te cum tantas toties videt edere clades,
Conficere et parva proelia magna manu,

ginta milibus armatorum defensam esse dicunt (Niesiecki, Herbarz ed. Bobrowicz VIII, 47 et IX, 40). Tarnovius ad id bellum tantum novem milia armatorum adduxisse fertur, quibus accesserunt quattuor milia equitum, quos secum Sigismundus rex habuit, et tria milia Cosacorum; numerus copiarum Lithuanorum non traditur. Ceterum adverbium „quondam", quo Royzius hoc loco utitur, indicat carmen hoc multis annis post starodubeam victoriam conscriptum esse.

[1] Tarnovium pretiosissimis libris bibliothecam suam exornasse multamque eis legendis operam navasse refert Niesiecki auctorem Orzechowski secutus (Herbarz ed. B. IX, 42).

[2] Corn. 5 sq.

Immitesque fero fundentem marte Valachos[1]
Et starodubeo pingue cruore solum:
Scipiadas saevos et magnum nomen Atridas,
Hectoraque et Pyrrhum nomina ficta negat.
Iamque suum Cannae, iam iam Trasimenus honorem
Accipit et Poeni credita fama viri.
Te sine priscorum cecidisset fama virorum,
Te sine non esset credita fama vetus.
Ergo fidem, dux sarmaticae fortissime gentis,
Accipit a factis gloria prisca tuis;
Servatum tibi prisca aetas hunc debet honorem
Illius et famae portio magna tua est.

III[2].

Fabula quae fuerat Mars priscis dictus in armis,
Desiit esse sato fabula Tarnovio.

IV[3].

De te, si iuxta reges quis dicere tentet,
De te, Tarnovi, dicere multa potest;
Hic reges infra si quid tentaverit, idem
De te, Tarnovi, dicere cuncta potest.
Nam tua sceptrigeris virtus te regibus aequat,
Sceptrigeris facit et regibus esse parem;
Sceptra infra et fasces si quisquam conferat, omnis
Tecum collatus Sarmata vulgus erit.

---

[1] Tarnovius iam iuvenis a. 1509 in bello contra Bogdanum, Valachorum ducem, qui Poloniae fines hostiliter aggressus erat, duce supremo Nicolao Kamieniecki virtutis specimina edidit, postea vero ipse dux Polonorum supremus factus a. 1531 Petrum (Petryłło), Valachorum ducem Polonorum terras vastantem duobus proeliis, quorum alterum ad Obertynum commissum est, graviter afflixit, ita ut pacem a Polonis petere sint coacti (Niesiecki, Herbarz ed. Bobrowicz, IX, 40; Morawski, Dzieje narodu polsk.; Jagiełłowie, Poznań 1871, pg. 287 sq. et 352 sq.).

[2] Corn. 16.

[3] Corn. 48.

V[1].

Urna olim tuà quod post centum praeferat annos,
Tarnovi, scripsi carmen et ingemui,
Hunc aliquando virum moriturum, regna tot olim
Per quem victa, olim et tot cecidere duces,
Aeterna populos qui posset pace tenere
Pacificus iustis et règere arbitriis!
Omnibus at moriendum, iter omnibus illud eundum est,
Illi hodie cras huic; hic cadit ille cadet.
Omnia mors aequat, Divis nec parcitur ipsis[2],
Arbitrium quorum terra polusque subit.
Vivere qui voluere animamque hausere sub astris,
— Natorum lex est — hi voluere mori.
Certa artus istos vitamque relinquère lex est,
Ius habet in nostrum mors truculenta genus.
Solaque[3] de rebus, possit quae vincere fata,
Gloria: quae tristes non subit una rogos
Haec tibi, Tarnovi, tanta est belloque togaque,
Nulla sit ut merito mors metuenda tibi.

VI[4].

Cum laudare virum fortem vis, Sarmata, dicis:
„Hannibal hic alter Scipiove alter hic est“.
Parce dehinc laudare virum sic, Sarmata, fortem:
Quid quaeris poenos quid latiosve duces?
Vestra domus tulit, unde petas haec, Sarmata, noli
Quaerere nec poenos, quaerere nec latios.
Ingratus patriae os, patriae est iniuria fortis:
Cui conferre queas, patria fortis habet.

---

[1] Corn. 10. Hoc carmen epitaphio cuidam Tarnovii, eidem misso (conf. infra pg. 78 sqq.) praescriptum fuisse elucet.

[2] scil. Divorum voluntati. Sed fortasse „pellitur“ vel „tollitur“ scripsit R.

[3] Ms. „solave“.

[4] Corn. 58.

Tarnovione potes Poenos Latiosve relicto
Quaerere? Qui facit hoc, invidet ille suis.
Cum laudare velis igitur dehinc, Sarmata, fortem:
„Alter hic est“, dicas, Sarmata, „Tarnovius“.

DE LUNA ET STELLA
ad comitem
IOANNEM TARNOVIUM [1].

VII.

Quod tibi sol non est rebus satis ipse gerendis,
Luna tibi et stellae sole cadente micant.

VIII.

Quae stella haec? Martis. Quid substat? luna. Receptat,
Quae magno reddat lumina Tarnovio,
Ne, si pugnantem, dum iam prope victor in hoste est,
Deserat aethra [2] diei, lumina deficiant.

IX.

Stemmata, Tarnovi, gestas clarissima; sed tu
Longe stemmatibus clarior ipse tuis.
Fulgent illa quidem, ast alieno lumine fulgent:
Sed tu luminibus clarus es ipse tuis.

X.

Non haec phoebea fulgent insignia luce;
Nil opus est; auctor sufficit ipse suus.

XI.

Splendorem atque decus reliquis sua stemmata praestant,
Tarnovius tamen est luxque decusque suis.

---

[1] Magnum illum castellanum cracoviensem, qui obiit a. 1561. Cuius stemma Leliwa exhibet in campo caeruleo lunam cornibus sursum versis et stellam inter cornua lunae locatam. Exstant epigrammata VII—XV in corn. pg. 362 sq., in ossol. pg. 242 sq.

[2] Cornic.: „astra“, ossol.: „asta“ littera *r* superscripta.

Altera, quae caelo est, phoebeo lumine fulget,
Luna haec Tarnovii est lumine clara sui.

XII.

Stella redemptorem mundi olim ostendit Iesum,
Quae caelo multa lucida nata face est:
Stella redemptorem populorum ostendit et omnis
Sarmatiae et gentis ulterioris adhuc.
Et ceu[1] non satis una foret, licet una fuisset
Stella satis, stellae est addita luna comes.

XIII.

Non frustra tibi stemma datum vigilantibus aptum;
Stemma hoc, non aliud, debuit esse tuum:
Te vigilem patria experta est, te civis equesque,
Res experta omnis publica te vigilem.

XIV.

Pugnatum terra satis est, mare restat et undae:
Stella tibi undosae en dux data certa viae est,
Luna comes, quae te per amica silentia ducat
Noctis et in tenebris candida monstret iter.

(Sine titulo)[2].

XV.

Aspicis effigies magnorum et facta virorum,
Quos tulit haec aetas, quos vetus illa tulit[3].
Addita Tarnovii effigies his si una fuisset,
Esset dimidio pulchrior iste liber.
Sed quia facta viri haud licuit comprendere paucis,
Nulla hic Tarnovii ponitur effigies.

---

[1] Mscr.: „ne".
[2] Epigramma hoc videtur destinatum fuisse, quod libro cuidam effigies pictas clarorum virorum eorumque vitas continenti praescriberetur.
[3] In cornic.: „quos tulit illa prior".

EPITAPHIA [1].

XVI.

Rebus antetuli Deum profanis
Nomenque illius usque corde clausum
Gestavi, et memor ore sum professus.
Regi fidus eram meo; senatum
Rexi consilio; pares amavi,
Dynastas colui potentiores.
Non contempsi humiles; bonis amicus
Infensusque malis fui, nec unquam
Laesi iudicio manuve quemquam.
Contentusque opibus meis, peperci
Fortunis aliorum et usquequaque
Iussi, miles ut abstineret exlex.
Me ductore suos colonus agros
Intactos habuit, suos bubulcus
Haud flevit querulus boves abactos;
Caulas upilio suas negavit
Direptas: sua cuique iussa [2] reddi.
Vitae curriculum meae cucurri
Sic, functusque diem senex [3] supremum,
Sedes aethereas supervolavi.
Ne sub marmore quaere me viator.

XVII.

Ille pater patriae occubuit Tarnovius: ergo
Orba suo sic est terra polona patre.

---

[1] Epitaphia haec, excepto XX, exstant in libro, q. i. Carmen funebre in obitu . . Tarnovii, Cracoviae 1561 impresso, omnia in corn. pg. 333—335, in ossol. pg. 252—254.

[2] iussa scil. sunt.

[3] Obiit enim septuaginta tres annos natus. Sepultus est Tarnoviae, ubi ad dextrum presbyterii ecclesiae cathedralis parietem vere superbum arteque itala insigne stat eius monumentum marmoreum. Ibidem ad alterum parietem magnitudine etiam amplius, arte non inferius, exstructum est monumentum Constantini, ducis de Ostrog, eius generi.

XVIII.

Hac[1] tumulatur humo fortis Tarnovius; hoc est:
Pallade cum Mavors hac tumulatur humo.

XIX.

Pro patria vivens pugnavi, mortuus oro:
Eripere in patriam mors studium haud potuit.

XX.

Dum vixi, vix notus eram, nunc lumine cassum
Flebit me et discet Sarmata, qualis eram[2].

XXI.

Me ductore meus manu Polonus
Vicit fortiter atque fudit hostem.
Est testis starodubius cruentus
Moschi sanguine campus atque pinguis.
Obertinus ager madens tuorum
Tot, Moldave, hominum cruore testis
Est, qui Tarnovius fui[3] Polonis.
Testes fama duos habet; requirat
Si plures, an iniqua non procaxque est?

XXII.

Tarnovium audierat moriturum tempore nullo
Armata frendens mors truculenta manu.
„Ergo mei iuris non est Tarnovius?" inquit;
„Tarnovius nostras nesciet ipse manus?"
Haec dicens falcem manibus comprendit aduncam,
Et, iugulum herois ausa ferire, ruit.
Obiecit se fama: „Quid, o mors improba, tentas?
Mortalemne audes caedere Tarnovium?

---

[1] Ossol. „haut" corr. in „hac".

[2] Hoc epigramma omissum est in edit. cracov., consulto, opinor, quod vix notum fuisse Tarnovium, dum vixisset, procul a vero abesset.

[3] Edit. crac.: „suis".

Abstineas, alios ferro pete tristis adunco;
Nil habet in nostrum falx tua Tarnovium".

XXIII.

Defendi patriam, devici strenuus hostes;
Me, sibi mors metuens, clausit in hoc tumulo.

XXIV.

Tarnovius iacet hic: gentis tutela polonae,
Qualis erat Fabius, Scipio qualis erat.

XXV.

Tarnovius iacet hic. Septemptrio cetera novit.
Scribere si cupiam, non capit iste lapis[1].

18.

Ad IOANNEM PREREMBIUM[2].

* De I. PREREMBIO, regni Pol. procancellario[3].

I.

Ceperunt[4] olim quem longae taedia litis,
Nostra audax certa ius pete fretus ope.
Non mora, non error, non longa indago tenebit;
Coeptae hodie litis cras tibi finis erit.

---

[1] Hoc epigrammate clauditur editio cracoviensis, nisi quod in ultima pagina imago Tarnovii est delineata.

[2] De Ioanne Przerembio vide adnotationem ad primum eius epitaphium infra additam. Praemisi enim haec quattuor epigrammata, quamquam in corn. pg. 127 postponuntur epitaphiis, dubium enim mihi non est, quin ad procancellarii munus, quo Przerembius aa. 1550—1559 functus est, pertineant neque epitaphiis adnumeranda sint.

[3] Carm. I—IV leguntur in solo corn. pg. 127.

[4] ms. „coeperunt".

II.

Quos longae ambages, quos longus terruit error,
  Longae securi litis adite forum.
Omni namque mora veterique ambage soluta,
  Quod modo non annus, nunc brevis hora dabit.

III.

Me duce ius pete quisque tuum; laetabere: nam sum,
  Qui labyrinthus eram, nunc Ariadna tibi.

IV.

Quisquis es, adfer ius, non[1] aes; quippe tribunal
  Protinus hoc didicit reddere cuique suum.

EIUSDEM, archiepiscopi gnesnensis,

EPITAPHIA.

V.[2]

Clausus Ioannes hac archiepiscopus urna est,
  Qui laus przerembae famaque gentis erat,
Et patriae tutela suae columenque senatus,
  Publica cui cordi res pietasque fuit.

---

[1] ms. „nos", sed posteriore manu emendatum.

[2] Utrumque epitaphium (V et VI) exstat solum in corn. pg. 125 sq. Praemittitur autem priori epitaphio versibus expresso epitaphium hoc prosa oratione scriptum, quod vitam eius optime illustrat. Adde quod Ioannes Przerembski, armorum Nowina, erat procancellarius regni Pol. aa. 1550—1559, episcopus chelmensis aa. 1558—1559, archiepiscopus gneznensis inde ab a. 1559 ad a. 1562.

Siste gradum quisquis es.

Ioannes Przerembski conditur: procancellarius primum, mox Chelmensium episcopus, utroque denique munere summa cum laude sancteque gesto, archiepiscopus gneznensis, legatus natus et regni Poloniae secundum regem princeps creatus — quo privatim melior, utilior publice atque incorruptior tam sacris quam profanis rebus obeundis superiore aetate fuisse nemo reperiatur — maximo omnibus ordinibus, ecclesiastico praesertim,

Illo religio fuerat sacra sospite sospes;
O utinam ne illo forte cadente cadat!
Esse potest alius bonus aeque praesul, at illum
Qui superare parat, par parat esse Deis.

VI.

Excessi terris, praesul Prerembius, olim
Avis quem stantem sublimibus inclita vidit
Gnezna suis, plenaque colentem numen acerra,
Fundentemque preces, onerantemque aethera votis
Pro populo, cuius curam gessi anxius acrem
Difficili hoc saeclo, quo religionis avitae
Immemor, inconstans, miscet late omnia vulgus,
Despiciens priscosque patres, capitoliaque alta
Romulidum et, terris praelatum numen et aethrae,
Pontificem, vasti qui olim datus arbiter orbis
Arbitriis aperire suis caelestia regna
Atque inferna potest et fractis solvere vinclis.
Nec Divum modo sum moderatus fana, sed ingens
Ipse tuli regis sceptrum; mea rexit habenas
Dextera regales, qua se pulcherrimus amnis
Infert nec parcit surgentibus Istula ripis,
Velivolumque ruens magno petit agmine pontum.
Ius dixi populo; iusta me nemo querela
Pulsavit frustra; leges in honore, Dei ceu
Numen, erant; nihil adversis mihi legibus unquam
Permisi prae meque tuli fas, omnibus aequus,
Nulli hominum, quam lex, propensior; aspera si lex,
Asper eram: placidus, si lenior; illa tribunal
Rexit sola meum; haud sensus aut nostra secutus

---

sui desiderio relicto hinc decedens ad beatam illam, nullis conclusam saeculis, vitam, positis hic corporis exuviis, demigravit. Huius volui nescius ne esses. Fer, quo properas, pedem: sanctis manibus bene precato abire licet. Vixit annis . . . mensibus . . . diebus . . .

Hunc illi tumulum fragilem humanae
conditionis memoriam NN.
maerentes posuerunt, MDLXII.

Arbitria invitus definitus munere dixi
Ius cunctis; odium nostris non flectere sensus
A recto, non quivit amor, non munera mentem
Permovere, suo lites ne tramite currant.
Dives, inops habiti nobis discrimine nullo;
Civis, eques, clarisque potens natalibus: illos
Atque hos in causa mansit par exitus aequa.
Iudice me haud hominum ius pertulit ullus iniquum:
Non viduae flevere; suum pupillus adeptus,
Tutorum quondam [1] manibus delapsus avaris,
Discessit laetus; non longum vivere lites,
Non turbare forum sivi, rabulasque loquaces
Ad metam iussi properare ambage relicta,
Duratura uno est et quae lis credita saeclo,
Iudice me est propere paucis finita diebus.

19.

Ad IOANNEM DOMANOVIUM,

Samogitarum episcopum.

I.

De eiusdem ingressu in sedem episcopalem [2].

Mille et quingentis cum quinquagesimus annus
Sextus et accessit post incunabula Christi
Natalemque diem Christi, qui missus ab aethra
Eripuit tenebris homines nigraque gehenna,

---

[1] fortasse „tandem".

[2] Factum id esse a. 1556 die 29 mensis octobris circa meridiem hoc poema testatur. Episcopus alibi etiam Domaniewski appellatur. Aa. 1540—1546 erat praepositus vilnensis et secretarius regis (Boniecki, Poczet rodów, pg. 45). Bartoszewicz (Enc. pow.) tradit eum iam ab a. 1555 episcopum Samogitiae designatum fuisse. Obiit a. 1562 aut 1563. Carmen hoc exstat in corn. pg. 230 sq., in oss. pg. 111 sq. Scriptum est eo consilio ut aedi cathedrali medniceensi incideretur (conf. v. 14).

Mortalesque mori vetuit caelumque reclusit,
Crudelis quod clausit Adam mortalibus aegris,
Saevus Adam vetiti solvens ieiunia pomi:
Bis decies noviesque aurora effulserat alma
Octobri, cum bruma rigens nive conspuit orbem,
Astringitque gelu terras et flumina sistit,
Ante rati, iam tunc oneratis pervia plaustris:
Et medium sol mensus iter per inane tenebat:
Praesul Ioannes sacram Domanovius aedem
Hanc adiit, commissa bonus magalia pastor,
Successitque aulae, quae ponti huic iungitur, undis
Undique cincta suis, titani obversa cadenti.
Quas utinam sedes multos habitare per annos
Pontifici liceat sacro, longamque senectam
Aspicere et canos aliis accedere canis![1]
Cui corde est pietas fideique sacraria, cordi
Est, Romane, tui cultus capitoliaque alta.
Cui studium fanis inimicam excindere gentem,
Et purgare sacras tot religionibus aedes.
Dignus hic est aevo multo multaque senecta,
Quam vivat felix atque olim, vivere[2] fessus,
Caelum adeat, divina petens humana relinquat,
Aeternumque agitet superis in sedibus aevum.

II.

Ad eundem[3].

Qui dedit illustrem gemmis tibi ferre tiaram,
Det Deus et Petri posse videre dies.
Non satis hoc Petri est, det et inclita pectora Petri,
Prava quibus damnes dogmata, iusta probes,
Haereticosque domes vinclis et carcere caeco;
Te duce grex rectum tendere discat iter,

---

[1] Sic in mss. Canos (capillos) aliis accedere canis (eius capillis). Sed pro his paulo durius copulatis fortasse malis legere „cano sociis ac. c.".

[2] In oss. legitur „vincere" alia manu deinde correctum.

[3] Corn. 281 sq. = oss. 112.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible][2]

[illegible] multis [illegible] annis
Excessit vita, [illegible] praesul.
Ille prius praesul, quo non praestantior alter
[illegible] sedem [illegible] ventura nec altera [illegible]
Quem paribus [illegible] meritis [illegible] praeferat [illegible]
Non illum [illegible] natura sed [illegible]
Terrisque erectum caelo Deus [illegible]
Nullius ille [illegible] cum vita manebat,
[illegible] praesule [illegible]
Indignum sibi permisit contemnere [illegible]
Dux [illegible] [illegible] agendis.
Contentus [illegible] luxum et speciosa [illegible]
Atque decora et vana, quae vulgus honores
Miratur, sprevit; vitae et mediocria amavit
Servavitque modum. Non largo indulsit Iaccho
Sobrius, aut [illegible] se prodidit auro.
Prandiave instruxit sciem visura calentem.
Munditiam mensae sat erat placuisse refertae,
Posset qua ipse suam vitam et tolerare suorum.
Non illum Venus, haud illi quae parere discit,
De recto castae retraxit tramite vitae:
Sponda libidinibus nullis temerata, supremum
Ad senium laeso non turpificata pudore.

[1] Vornia sive Mednicium urbs inter quattuor lacus ad flumen Wyrwittam (Virsulam?) duo lacus iungentem, sita erat. Conf. I v. 15 sq.
[2] Corn. 232 sq. = ess. 112 sq.

Perstitit et meritum vitae decoravit honorem.
Templa frequentavit non desidiosus et aras.
Nullus persuasit ieiunia solvere morbus
Grande rato patrum placitis non stare Quiritum
Esse nefas ventremque animae praeferre saluti.
Ira illum si quando ulciscendique libido
Accendit, spatiis haud longis concidit omnis,
Anteque, quam terris venit nox atra, quievit.
Quid memorem suaves mores placidamque senectam
Convictumque viri facilem plenumque pudore?
Ille suae cursum cum commemorare iuventae
Coeperat, Italiamque aditam romanaque tecta
Hispaniamque oram, et quae moenia fortis Ulixes[1]
Condidit, ac qui[2] dein colitur mos gentibus[3] illis,
Illius auditor pendebat ab ore loquentis.
Ad proceres legatus iit persaepe Polonos
Rege iubente suo, ad durum persaepe Livonem;
Ius dixit populo, iusti studiosus et aequi[4].
Non illum flexere preces pretiumve; sequendam
Esse voluntatem legum et decreta putavit,
Non quod sive odium malesanave suaserat ira,
Non quod amicitiae; sordesque facessere iussit.
Non illum procerum moverunt ora potentum:
Par illo fuerat locupleti iudice pauper;
Plebs et nobilitas ad eum spe venit eadem,
Adsuetum bene perpensum ius reddere cuique.
Talibus antistes meritis Domanovius egit
In terris vitam famamque extendit in omnem
Sarmatiam, septem qua illustrant arva triones.
Decrepitusque senex, vita satiatus et annis,
Excessit, positisque cavo clausisque sepulcro

---

[1] ms.: „corn.: „Ulisses", ossol. „Ulysses". Multarum urbium, praesertim italicarum atque etruscarum, ut Cortonae, origines ad Ulixem eiusque filios fama referebat.

[2] ms.. „quae".

[3] ms. „gentilis".

[4] Conf. Decis. lituan. II, 80 sq.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] ... ecclesiae ... pervenit, obiit a. 1564 ... Encykl. pow. ...

[illegible] ... caput dioecesis samogitiensis.

[illegible]

[illegible] ... Quo nobis clausum Christus patefecit, averna ... p. i. s.

Nec veterum non attigerat monumenta sophorum,
Quos Graii iactant. Hoc magni nemo Platonis
Dogmata cognorat melius, seu tradidit olim
Quicquid Aristoteles — quo nullum Graecia maius
Edidit ingenium, — quaeque illum deinde secuta est
Posteritas, vigil ac fugitans ignobilis otii.
Ille vir his studiis instructus et inclitus, annis
Haud gravis, at cruda firmus viridique senecta[1],
Occidit et luctum moriens tibi, Vornia, liquit
Ingentem. Nam sublato quis scilicet illo,
Qua septem late despectant arva triones,
Dignus erit, sacrae praesit qui altaribus aedis
Mednicoae, prendatque pedum bifidamque tiaram
Crine premat?[2] doctus quo se Samogita magistro
Scire Deum iactet, vitaeque oblitus agrestis
Attollat caelo mentem sedesque beatas,
Leti ignara sacris animis· ubi vivitur aetas,
Cogitet?[3] Hoc populum, mansisset vita, parabat
Ore docere pio. Hoc tibi praesule, Vornia, rapto
Morte tenere potes lacrimas? nihil orba moveris
Ingentis damni casu? Romana potestas,
Imperium terris, animos quae exaequat olympo,
Iam diploma sacrum dederat, iussitque tuarum
Ararum sacris illum succedere tectis.
At mors praecipitans prope iam tua fana tenentem
Eripuit terris; urbs hunc Knyssinia vidit
Exhalantem animam, et deflevit regia tota.
Rexque haec haud oculis aspexit funera siccis
Augustus proceresque pii, quibus inclita cordi
Religio est pietasque et nescia fallere virtus.
Ante aras, Ticocine, tuas posuere cadaver,
Cura quibus tumuli. Ediderat[4] moriturus, ut illic,
Vivus ubi rector fuerat, post fata quiescat.

---

[1] Tac. Agric. 29.
[2] Sic ms. Fortasse „gerat" legendum est.
[3] ms. „cogitat".
[4] ms. „tumuli dederat..".

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

22.

IOANNIS RADIVILI[1]
EPITAPHIUM[2].

Gens radivila ducum, tegor hac sub mole Ioannes,
  In terris cuius fama perennis erit.
Dilectos regi, felices cernere fratres,
  Hoc infelici nec[3] licuisse mihi!
Leti causa mei est, — alios ne quaerite morbos, —
  Maeror me, non mors abstulit; interii.
Fortunati ambo fratres simul ergo valete,
  Perpetuumque domus continuate decus.
Raptus ego in caeli sedem feror arduus; illic
  Quaesita est Christi sanguine vita alia.

[1] Ioannes, dux in Ołyka et Nieświeże, dapifer Lituaniae, frater germanus Nicolai Nigri, patruelis Nicolai Rufi, ducis in Birże et Dubienki. Obiit tricesimo quinto vitae anno 1551.

[2] Corn. 214 = oss. 91.

[3] = nequidem.

23.

Ad NICOLAUM RADIVILUM[1],

**Olicensium et Niesviesiorum ducem,
palatinum Vilnensium summumque Lituaniae marschalcum
et cancellarium[2].**

I.[3]

In vestram Nicolae, domum, dux inclite, nuper
 Saeviit immiti[4] mors truculenta manu.
Abstulit insignem factis et nomine fratrem[5],
 Unus sarmatici qui decus orbis erat.
Hunc caelo aspiciens casum Deus aequus ab alto,
 Dilectum vestrum est cui, Radivile, genus,
Sufficere ecce tuo vestram vult sanguine gentem:
 Pro fratre amisso filia nata tibi est.

---

[1] Nicolaus, Ioannis, castellani trocensis, filius, frater germanus Ioannis, cuius epitaphium supra proponitur, frater patruelis Nicolai Rufi et Barbarae, Sigismundi Augusti coniugis. Duxit in matrimonium (a. 1546?) Elisabem Szydłowiecka, quas nuptias Royzius carmine typis expresso celebravit (conf. vol. I pg. 72 sqq.). Procreavit ex ea novem liberos, quorum octo superfuerunt. A Carolo V a. 1547 obtinuit titulum ducis imperii romani in Ołyka et Nieświeże, quem titulum Sigismundus Augustus in comitiis regni a. 1549 confirmavit. Marschalcus terrester factus est a. 1545, cancellarius Lituaniae a. 1550, palatinus vilnensis a. 1551 (Boniecki, Poczet rodów, pg. 275 sq.).

[2] Haec ipsa praescribuntur in libris (corn. 212 = oss. 89), nisi quod praeterea additur „virum illustrem" et in exitu „patronum suum observatissimum (corn. observantissimum, ut et alibi). Praeterea in oss. est „Radivilonem", ut interdum Royzius scripsit, et „marsalcum". Haec quae sequuntur carmina ex mstis collegi et ad temporis rationem disposui.

[3] Corn. 213 = oss. 89 sq.

[4] Conf. infra carmen III. Ms. „immitti".

[5] Ioannem, cuius epitaphium supra proponitur, unde hoc carmen aut a. 1551 aut paullo post scriptum esse apparet.

II[1].

Tertia nunc suboles nata est tibi filia; gentis
Incrementa tuae, dux Nicolae, vides.
Adicit ingentes tibi rex Augustus honores;
Aucta est Augusto principe[2] vestra domus.
Tres natos Deus et ternos res iunxit honores[3];
Certant muneribus rexque Deusque suis.
Auget prole domum Deus hinc, rex inde beat re,
Et summo illustrem te iubet esse loco,
Fiat ut incertum, sis hoc in culmine rerum
Carior an regi, carior anne Deo.

III[4].

De vestra, Radivile, domo tria funera nuper
Vidimus, et tristes aspicimus tumulos.
Matronae cecidere duae[5], mox masculus heros[6];
Implerunt vestras luctibus ista domos.
Dilectos vos crede Deo, gentemque domumque,
Quae[7] lituum clari stemmatis ornat avos.
Pro tribus amissis longo non tempore, longis
Non spatiis natos aspicimus totidem.
Matronae cecidere duae, duae et ecce puellae;
Masculus exstinctus unus, et unus adest.
Cui te non carum iurem, Nicolae, Deorum?
In quo instauratur vestra vigetque domus.
Quod genus amisit vestrum, tua contulit una

---

[1] Corn. 214 = oss. 90.

[2] Cui nupsit Barbara soror patruelis Nicolai Nigri.

[3] marschalci, cancellarii ac palatini vilnensis.

[4] Corn. 218 = oss. 90.

[5] Barbara de domo Radziwill, nupta primo Stan. Gastoldo, deinde Sigismundo Augusto regi, obiit a. d. VIII Id. Maias a. 1551, — eodemque anno decessit Catharina de domo Tomicki, Nicolai Rufi uxor.

[6] Ioannes, frater germanus Nigri, cuius epitaphium supra proponitur.

[7] Est genet. plur., ut apud Lucanum I, 237. Tres litui ornant stemma gentil. Radivilorum.

24.

Ad NICOLAUM CHRISTOPHORUM RADIVILUM,

Olicensium et Niesuiesiorum ducem, Sidloviciae comitem[1].

Dum populis aequas genitor tuus inclitus aures
  Praebuit in sacro, dux Radivile, foro,
Iusque suis dixit prorsus supremus — ab ipsis
  Cancellis ea nunc munia nomen habent, —
Assedique accitus ego et ius reddere iuvi[2],
  De nostra veniunt haec monumenta manu[3].

---

[1] Exstat hoc carmen in corn. 218 sq. = oss. 96, ubi insuper additur: „spei summae indolisque spectatissimae principem". Praeterea in oss. legitur „Schidloviciae", in corn. „Sydloviciae". Nicolaus Christophorus est filius Nicolai Nigri, palatini vilnensis. Qui quoniam a. 1569 marschalcus regiae aulae Lituan. factus est neque hoc titulo a Roysio hic ornatur, carmen hoc ante a. 1569 scriptum esse elucet. Sidlovicia (Szydłowiec), urbs in praefectura radomiensi sita, sedes quondam et origo clarissimae Sidloviciorum gentis. Christophorus Odrowąż Szydłowiecki, castellanus cracoviensis atque Poloniae magnus cancellarius, ultima mascula huius gentis stirps, qui cum illi celeberrimo trium regum conventui vindobonensi a. 1515 cum rege suo Sigismundo I interfuisset, ab imperatore Maximiliano I titulum comitis rettulerat (Conf. Librum geneseos illustris familie Schidlovicie a. 1848 a Tito Działyński Parisiis editum), a. 1532 mortuus quattuor filias reliquit. Ex his Elisabeta Nicolao Radivilo Nigro nupsit sidloviciaque bona in domum Radivili intulit. Inde filius eius Nicolaus Christophorus, cui Sierotka cognomen inditum est, acceptis a. 1557 a parentibus bonis Szydłowiec parto a patre titulo dux Olicensium et Niesviesiorum, a materna vero Sidlovicia comes in Sidlovicia appellatur.

[2] Verba „iusque suis dixit prorsus supremus" indicant tempus, quo Radivilus Niger cancellarii iudicia appellatione ad regem sublata in Lituania exercebat. Id vero factum est a. 1561, quo Sigismundus Augustus, quoad ab Lituania abesset, Radivilo Nigro omnem regiam potestatem adeoque ius magistratuum creandorum commisit. Regis igitur nomine Radivilus Roysium, utpote regium iurisconsultum, ad iudicia, quae dicuntur cancellariorum (v. 4), accivit, in eisque Roysius assessoris (v. 5) sive consiliarii munere fungebatur. Neque eo minus tamen Roysius urbanis iudiciis Lituaniae iam ante a. 1561 interfuit. Conf. meae dissert. polonae de Royzio pg. 102 = 62.

[3] Nicolaus Radivilus obiit a. 1565 pauloque post Nicolao Christo-

Quae tibi missa legas, ubi mox adoleverit aetas,
  Iuris et augustas ingrediere vias,
Quaque potens terras phoebo sub utroque iacentes
  Caesar lege regit, scire negabis onus.
Namque caret quoties propriis Lituania, leges
  Caesaris usurpat et iubet esse suas.
Credideris spernenda tibi ne iura Quiritum,
  Stare quibus demptis se tua Vilna negat
Et quaecunque negant his in regionibus urbes,
  Quas miti Augustus rex regit imperio.
Ergo, macte animo, sacras ne neglege leges,
  Unde bonus discas reddere cuique suum.
Fac pius [1] his studiis te, his instruat artibus unus;
  Pro multis unus milibus esse potest.
Unus prima tibi monstret cunabula iuris,
  Unus et abstrusas ille recludat opes,
Ut regi, populos moderanti legibus, olim
  Consultor possis utilis esse tuo.

25.

EPITAPHIUM
ELISABETAE SIDLOVICIAE,
palatinae vilnensis [2].

I.

Hic iacet Elisabe Sidlovia. Quid? iacet, inquam?
  Felici moriens scandit in astra pede.

---

phoro filio, a. 1549 nato, Royzius una cum hoc carmine exemplar suarum Decisionum Lituanicarum (haec monumenta), a. 1563 primum editarum, misisse videtur. Conf. infra ad Felsinam III, 5.

[1] scil. meus liber, nisi forte in „Fac pius" corruptum quoddam clari iurisconsulti nomen latet.

[2] Uxoris Nicolai Radivili Nigri (vide supra 23). Quam circa a. 1560 decessisse inde conieceris, quod circa a. 1546 matrimonio inito novem libe-

Atque memor primae, quam traxit, originis, illo,
  Unde venit, summum se tulit ante Deum,
Degat ubi nullis conclusum finibus aevum
  Aeternamque agitet et sine nocte diem.
Quis flet eam? pudor et germana pudoris honestas,
  Sanctaque proscisso crine pudicitia[1].
Flet pietas, flet religio, probitasque fidesque,
  Quas habuit quondam numinis illa loco.
Priscus honos, illa fuerat qui sospite laetus,
  Ingemit et lacrimis grandibus ora rigat.
Virtutes lugent omnes, quas viva colebat,
  Exoptantque eadem se Libitina ferat.
Euphrosyne iunctaeque Aglaia Thalia, sorores,
  Funus turgidulis aspiciunt oculis.
Quarum scissa genas, Aglaia, perivimus[2], inquit,
  Nam rapta Elisabe quid valeant Charites?

II.

Vivo; me ne fle; tua sum, dulcissime coniux,
  Elisabe, divis addita Caelitibus.
Flerem ego, si possem Divum inter gaudia flere,
  Te mecum quod non abstulit una dies,
Ut, quibus ista dedit communes vita labores,
  Hic nacti aeternas confrueremur opes.

III.

Hic iacet Elisabe, illustris Sidlovia proles,
  Dimidiumque animae, dux Radivile, tuae.

---

ros edidisset. Conf. horum epitaph. V, v. 9 sq. et VIII. Adde quod a. 1557 pactionem cum viro iniisse traditur, qua bona Sidlovicia Nicolao Christophoro filio possidenda concessisset (Boniecki, Poczet rodów, Warszawa 1887, pg. 276). Exstant haec epitaphia in corn. pg. 228—230, in oss. pg. 108—110.

[1] Horati carm. I, 28 aemulatur.

[2] sic ms. pro „periimus".

VII.

Elisabe tua si fatis urgerer iniquis,
Aut aliquo premerer, dux Radivile, malo,
Haud forti res digna viro, Radivile, fuisset,
Non casum ingenti pectore ferre meum.
Nunc caelis invecta, bonis cum perfruor, olim
Quae sunt post nullos interitura dies,
Tu fletu indulges, lacrimis nec parcis amaris
Et largo maestas imbre rigare genas.
Ne fle, vis credi nisi causam forsitan esse —
Grande nefas, — luctus gaudia nostra tui.

VIII.

In natis octo nostris mea vivit imago;
Illis, ne luge, vivo superstitibus.
Bis duo sunt nati totidem nataeque; futuri
Quattuor hinc generi, quattuor inde nurus.
Ex quibus est dulces labor enumerare nepotes,
Longaque, quae inde fluet, ordine posteritas.
Haec agitans animo lacrimari desine: sistat
Ni[1] lacrimas cursus temporis, at ratio.

IX.

Vivo Deo caelique fruor felicibus oris,
Mortua peccato, mortua, munde, tibi.
Hanc mihi religio vitam pietasque dedere;
Qua vixi in terris, mortua vita fuit.

---

[1] ms. „ne".

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tuis illa prior:
[illegible]
[illegible] Ludovic[illegible]
[illegible] tendis
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] Nicolaus, [illegible] fuit [illegible] Post mor- [illegible] [illegible] principis in [illegible] Filius [illegible] nunc [illegible]

[2] [illegible]

[3] [illegible] liber [illegible] librorum.

Ille premens hostem mediis volitabit in agris,
Multa parans regi laeta tropaea suo.
Haec tu longaevus videas; tibi scilicet opto,
Propitio obtingant, dux Radivile, Deo.

II.[1]

Effigies, lector, clarorum cerne virorum,
Quas aevo a primo saecula nostra vident.
Imperfectum opus est: Radivilum pagina nostrum,
Usque licet volvas, non habet ulla ducem.
Effigies si sit Radivili huic addita libro,
Pulchrior in terris haud liber ullus erit.

III.[2]

Prospera ne quemquam faciat fortuna superbum,
Quod plerumque solet, immemoremque sui,
Neve adversa premat, sortem Franciscus utramque
Codice non magno ferre Petrarcha dedit.
Dux igitur, Radivile, legas hunc saepius: omnis
Fortunae hoc lecto codice victor eris.

IV.[3]

En tibi promissum porto, Nicolae, libellum;
Quis studiis princeps instituatur, habes.
Seu pacem seu dura iuvat Mavortis inire
Bella magis, forti conficienda manu,
Et latos Scythiae populari milite campos,
Captivasque acies inde referre domum,
Et terrere armis Thraces recutitaque castra[4],
Et parere ultrici multa tropaea manu,

---

[1] Corn. 217 = oss. 94.

[2] Corn. 217 = oss. 94 sq. Mittit hoc carmine Franc. Petrarcae librum q. i. De varietate fortunae lib. IV (Gaspary, Gesch. d. ital. Litteratur II, Berlin 1888, pg. 122).

[3] Corn. 217 = oss. 95. Quinam liber mittatur, parum elucet.

[4] Turcas designat.

Et tenebris fidens et nocti Moschus opacae;
Vitaret vestras, dux Radivile, manus.
Orbem quaere alium, quo se sol condere nescit,
Aut bruma posthac bella ciere cave!
An tibi vis prope iam partas in luce triumphos
Eripiant properae de manibus tenebrae?

* Eiusdem domum aeternam fore vaticinatur.

VII.[1]

Dum sol subiectis ostendet lampada terris,
Accendetque rubra lumen ab arce suum,
Lunaque nocturnos reget udo sidere cursus,
Grata viatori, navita, grata tibi,
In mare praeterea dum curret Vilia: vestra est
Tam victura diu, dux Radivile, domus.

* Ab eodem opem petit.

VIII[2].

Ut caput excisum est sancto, Radivile, Ioanni,
An de illo excisa est spes Radivile mihi?
Dux Radivile, iuves nisi tu miseratus egenum,
Prorsus fortunae est alea iacta meae.

IX.[3]

Sic omnes de te, princeps Radivile, putare
Crede: tibi regem scire negare nihil.
Quare Luknikias caulas[4] nisi pastor adibo,

---

[1] Corn. 220 = oss. 97 sq.

[2] Corn. 215 = oss. 93. Agitur de archipresbyteria sti. Ioannis vilnensi, quam illo tempore vacuam Royzius cupide appetivit et re vera a. 1566 exeunte aut 1567 ineunte assecutus est. Conf. eodem pertinentia carmina ad regem (pg. 25) et ad Petrum Myszkowski (pg. 107) scripta.

[3] Corn. 215 = oss. 92. Rettuli hoc et proximum carmen ad Radivilum Rufum, quamquam in mstis. eius nomen diserte non adnotatur.

[4] Łukniki (Łowki) erat oppidum cum parochiali ecclesia in Samogitia. Quando Royzius hanc parochiam appetiverit et num obtinuerit, incertum est.

Tunc mihi prospectum [1] te voluisse negem.
Te, si contingat contra, voluisse putabo,
Illud enim rex vult, quod Radivilus avet.
Si verum est quod ait populus, quod et esse necesse est,
Vox etenim populi, vox Radivile, Dei est,
Concludam nec te multis, Radivile, morabor,
Quod peto, vis habeam? fac tu aveas: habeo.

X.[2]

Quod tua me Augusto commendat epistola regi,
Debeo vel multum, vel, Radivile, nihil,
Quandoquidem refert sitaque est res omnis in illo,
De qua commendes me, Radivile, nota.
Ut tibi rex nescit quicquam, Radivile, negare,
Aerea sive petas, aurea sive petas,
Annuerit si rex mihi, tunc, Radivile, putabo
Me commendatum de meliora nota.

* De eiusdem valetudine [3].

XI.

In vino lignum [4] bibis an, Radivile? salutem
Corporis optatam scilicet inde petis?
Quin contra in ligno vinum bibe: firmius inde
Robur erit membris, certior inde salus.

XII.

Ne quaere Indorum in ligno, Radivile, salutem:
In Christi ligno est ante reperta salus.

---

[1] scil. esse.

[2] Corn. 215 = oss. 92.

[3] Corn. 221 = oss. 99. Conf. carm. XV ad Ioan. Chodkievicium.

[4] Lignum Indorum sive sanctum (conf. carminis proximi v. 1) erat lignum arboris americanae, quae a botanicis guaiacum officinale appellatur. Lignum hoc, a. 1517 in Europam advectum, circa medium saeculum XVI vulgo medicinae loco contra morbos sexuales infectionesque sanguinis adhibebatur magnoque pretio emebatur. Qua de re a me interrogatus liberaliter per litteras me edocuit prof. crac. I. Rostafiński.

* Eiusdem nomine regem alloquitur.

XIII.[1]

Pars magni per te sum, rex Auguste, senatus,
Per te magna meae est gloria facta domus.
Creverunt et opes, nec non decora aucta meorum.
Quod sumus, hoc totum te tribuente sumus.
Omnibus his illud liceat, rex, addere, posco:
Convivae, fas sit, rex Auguste, mei
Te laetum nostris videant accumbere mensis;
Aeterni nobis muneris instar erit.

* Pro sapphiro donato gratias agit.

XIV.[2]

Sapphirum mihi summus imperator
Dat pulchrum Radivilus, urbe Vilna,
Metatus prope prima castra, cedens.
Frustra non utinam manum poetae
Ornarit, rediens meo canendus
Victor carmine, signa rapta saevis
De Livonibus adferens, eisdem
Vinctis pluribus hinc et inde cinctus,
Gaudens exuviis feri et Gradivi,
Largis undique praemiis onustus!
Dictus carmine versibusque nostris
Vivat, gaudeat et bonis amicus
Tantus saecula vincat imperator,
Sapphirum mihi qui dat imperator,
Illustris Radivilus imperator.

---

[1] Scriptum esse videtur ante a. 1566, quo Nicolaus Radivilus Rufus post mortem Nigri fratris palatinus vilnensis factus est.

[2] Carmen (corn. 220 = oss. 98) scriptum a. 1556 in prima contra Livones expeditione aut paulo post a. 1561, quo Radivilus Rufus in Livoniam contra Moschos exercitum duxit. Sed Royzius verbis „signa rapta saevis de Livonibus“ potius expeditionem contra Livones factam designat.

AD EUNDEM

[illegible] vilnensem[1].

XV.

[illegible] metu te abeunte, beatam
[illegible] lux Radivile, tuo,
[illegible] modo territa cuncta, „reverso
[illegible] quod metuamus“, ait.
[illegible] quae te abeunte putavit,
[illegible] facta metu est.
[illegible] Vilnae metus absit ut omnis.—
[illegible] est una reposta salus.

XVI.

[illegible] ut piscibus aequor.
[illegible] semper ut alitibus:
[illegible] sic atria nobis,
[illegible] patuere tuae.
[illegible] venientem ianitor arcet:
[illegible] Marcus anne reus?

XVII.[3]

[illegible] alvo,
[illegible] in amne Deum.
[illegible] in auras,
[illegible] matris erat.
[illegible] Nicolae, Ioannes;
[illegible] aedituus.

[1] [illegible] cum 220 et 224 = oss. 98 et [illegible] Nicolai Radivili Nigri id e. post a. [illegible]

[2] [illegible] correctum in „aut“.

[3] [illegible] carmini praescribitur in metia: Ad eundem [illegible]. Agitur, ni fallor, de pensione [illegible]

Tuque fave, prenset dextra comprensus amica,
Regales ceras ut lituanus eques[1].

XVIII.[2]

Contemptorem hominum ac Deum, Radivile, coerce,
Christophorum, in poenas fac sceleratus eat.
Maiestati ausus divinae illudere, iustis
Concedat arbitriis pharmacopola tuis,
Seu terram vivens subeat seu culeus alto
Iactet eum medio, seu cremet ossa rogus.
Haec si maesta volens te vindice Vilna videbit
Obrepet laudi nulla senecta tuae.

NICOLAO RADIVILLO ad regem AUGUSTUM.

XIX.

Ante tuos, Auguste, duces Moschovia sensit
Et flevit fatum, fusa fugata, suum,
Ut ducibus nobis addas, Moschovia ductu
Rex, Auguste, tuo, fac cadat intereat.
Pro te, pro patria, rex, nil Radivilo, recuso,
Pro te, pro patria est, per mihi dulce mori.

---

[1] Lituanus eques est, ni fallor, Nicolaus Narusszowicz, qui circa a. 1570 scriba regius et thesaurarius terrester (ziemski) fuit.

[2] Carmen scriptum post a. 1566 quo Radivilus Rufus, palatinus vilnensis, factus est. Ceterum hoc carmen una cum proximo legitur solum in corn. pg. 261; nam in ossol. hoc loco (post pg. 134 = 144) tres chartae evulsae esse videntur. Praescribuntur autem huic carmini in corn. haec: „Ad Nicolaum Radivilum, in Birże et Dubingi ducem, palatinum vilnensem, ut de nefario iuvene, qui in sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, dum ad aegrum defertur, crepitum sive pudendis partibus, sive ore edidit, poenas sumeret". Videtur autem hoc carmen una cum libello accusatorio ad Radivilum esse missum.

21.

Ad NICOLAUM RADIVILUM,

palatinum trocensem, Lituaniae exercitus supremum ducem [1].

Libros mittit [2].

I. [3]

Aspicis effigies magnorumque ora virorum,
Quos tulit haec aetas, quos tulit illa prior;
Historiamque brevem legis omnis scilicet aevi,
Qua pascas animum, dux Radivile, tuum,
Quaeque imitere, legas natisque imitanda tenellis
Proponas. Discant, quid deceat, inde, viros,
Ut quondam patriae possint succurrere carae,
Hic aras, ferrum dum tenet ille manu.
Partiti, plena tus hic adolebit acerra,
Sive, tiara, comam, sive, galero tegas,

[1] Haec, quae sub hoc titulo infra leguntur, ex variis manuscriptorum locis carminibusque ad meam rationem dispositis repetuntur. Nicolaus, Georgii, castellani vilnensis filius, iam a. 1550 palatinus trocensis fuit eodemque anno supremus Lituaniae exercituum dux factus est. Post mortem fratris patruelis Nicolai, filii Ioannis (1565), a. 1566 etiam palatinus vilnensis cancellariusque Lituaniae creatus est (Boniecki, Poczet rodów pg. 279). A Carolo V caesare a. 1547 titulo imperii romani principis in Dubingi et Birże donatus est. Erat frater germanus Barbarae, quam Sigismundus Augustus rex mortua Elisabe in matrimonium duxit. Filios reliquit duo, Nicolaum et Christophorum. A. 1564 fidei calvinicae se addixit. Confunditur interdum cum fratre suo patrueli, cuius supra mentionem feci (Encyklop. powsz.); huic Rufo, illi Nigro cognomen vulgo nunc additur.

[2] Sic haec praescribi placuit, varios enim libros et aliorum auctorum et suos Royzius una cum carminibus, quae hic (I—V) proponuntur, Radivilo misisse videtur.

[3] Ex corn. 216 = oss. 94. Quinam liber hoc et II carmine designetur, incertum est. Tangit hoc carmine utrumque Radivili Rufi filium; neuter tamen sacerdos factus est; fuit autem Georgius, Nigri filius, episcopus cracoviensis et cardinalis, sed ad Nigrum hoc carmen referre vetat ipse titulus librorum.

Ille premens hostem mediis volitabit in agris,
Multa parans regi laeta tropaea suo.
Haec tu longaevus videas; tibi scilicet opto,
Propitio obtingant, dux Radivile, Deo.

II.[1]

Effigies, lector, clarorum cerne virorum,
Quas aevo a primo saecula nostra vident.
Imperfectum opus est: Radivilum pagina nostrum,
Usque licet volvas, non habet ulla ducem.
Effigies si sit Radivili huic addita libro,
Pulchrior in terris haud liber ullus erit.

III.[2]

Prospera ne quemquam faciat fortuna superbum,
Quod plerumque solet, immemoremque sui,
Neve adversa premat, sortem Franciscus utramque
Codice non magno ferre Petrarcha dedit.
Dux igitur, Radivile, legas hunc saepius: omnis
Fortunae hoc lecto codice victor eris.

IV.[3]

En tibi promissum porto, Nicolae, libellum;
Quis studiis princeps instituatur, habes.
Seu pacem seu dura iuvat Mavortis inire
Bella magis, forti conficienda manu,
Et latos Scythiae populari milite campos,
Captivasque acies inde referre domum,
Et terrere armis Thraces recutitaque castra[4],
Et parere ultrici multa tropaea manu,

---

[1] Corn. 217 = oss. 94.

[2] Corn. 217 = oss. 94 sq. Mittit hoc carmine Franc. Petrarcae librum q. i. De varietate fortunae lib. IV (Gaspary, Gesch. d. ital. Litteratur II, Berlin 1888, pg. 122).

[3] Corn. 217 = oss. 95. Quinam liber mittatur, parum elucet.

[4] Turcas designat.

Hoc non seu melior sive observantior aequi,
Hoc non in terris iustior alter erat.

31.

Ad LAURENTIUM VOLSCIUM[1].

Melle opus est, quo ieiuni pellatur amaror:
Volscius, huic morbo quo medeatur, habet.

32.

SEBASTIANO MIELECIO,

castellano cracoviensi[2],

munus.

Ito, Mieleciumque petas, liber, ardua caelo
Quem tollit pietas et fallere nescia virtus.
Pura doli scelerisque et fraudi obnoxia nulli
Heroi sunt corda, queant ubi mella favosque
Condere apes, sua forte illis si alvearia desint:
Pectore in illius sua condant mella favosque.
Illuc fel nullum, nullus penetrabit amaror.
Vafrum hominum ingenium technisque instructa facessat
Calliditas astusque mali; sedet atque sedebit
Corde Mielecii in puro gratissima Divis

[1] Corn. 243 = oss. 124. Epigramma hoc collocavi inter Volsciorum senatoria, quamquam de Laurentii Volscii dignitate atque cognatione nihil compertum habui.

[2] Fuit castellanus cracoviensis aa. 1568—1575. Exstat hoc carmen in corn. pg. 326, in oss. pg. 255. In titulo omisi haec supervacanea, quae in mstis. adduntur: „viro illustri" et: „amplissimique senatus polonici secundum regem principi".

Simplicitas candorque illis bene cognitus annis,
Aurea Saturnus cum fecit saecula terris,
Nunc genti invisus, quam ferrea saecla dedere.
Ito, Mieleciumque petas, liber, ergo, salutem
Dic multam heroi Pyliamque precare senectam,
„Sumque Petri munus“, refer „et fetura Royzi“:
Non ingratus eris, nisi me mea carmina fallunt.

33.

Ad NICOLAUM PACIUM[1].

I.

In curia Rozanka[2].

Pacius has caelo sublimes extulit aedes,
Sublimi antistes scilicet ingenio.
Nil minus a tanto sperandum est praesule quondam,
Esse minor ni vult ingenio et genio.

II.

Ad eundem episcopum kiioviensem haereticum[3].

Fecisti missam missam; papa missus et abs te est,
Paci. Sic paci consulis ipse tuae?

---

[1] Erat episcopus kiioviensis nominatus ab a. 1587 ad a. 1582, quo a Georgio Radivilo, episcopo vilnensi, praelatura privatus est. A. 1583 castellanus smolenscensis factus est (Wolff, Pacowie, Petersburg 1885, pg. 21—27).

[2] Sive Rożanka, Paciorum hereditarius pagus in circulo lidensi districtus vilnensis situs. Carmen hoc asservatur in corn. pg. 248, in oss. pg. 129. Quamquam nomen Pacii neque in titulo neque in textu proditur, Nicolaum tamen, episcopum kiioviensem, esse certum est. Scriptum autem videtur esse hoc carmen ante a. 1564, quo Pacius novandae fidei accusari coeptus est. Conf. Wolff, ibidem.

[3] Corn. 222 = oss. 100. Carmen scriptum est post a. 1564. Conf. Ossoliński, Wiadom. hist. kryt. II, pg. 222.

[illegible] parem. Paci, bellum haec tibi missa parabunt:
   M[illegible]sus eam missa te papa marte petent.
Si [illegible] tenebras, romanae lucis egentes,
   A misso ob missam perpetiare papa.

34.

Ad FRANCISCUM CRASSINIUM[1].

Alis Francisci nomen Iovis armiger ales
   Conteget, et Phoebo clarius illud erit.

35.

Ad STANISLAUM CRASSINIUM[2].

I.

Crassinii si convictum experiere, negabis
   Dulcius in terris esse sodalicium.
Si mores spectes, iurabis, qua Istula fertur,
   Crassinii ingenio suavius esse nihil.

---

[1] Carm. 155 = ms. 20. Franciscus Krasiński a. 1572 episcopus cracoviensis est declaratus, cum mense Ianuario a. 1569 vicecancellarius regni factus ad lublinensem unionem transigendam multum contulisset (Conf. Biblioteka ordyn. Krasińskich. R. 1869 w Warszawie I. 2). Scriptum est hoc carmen post a. 1564, cum Franciscus regii legati munere in aula Maximiliani imperatoris fungebatur, ad caesaris enim aquilam hoc epigramma alludere videtur. Crassinii stemma erat Slepowron.

[2] Ibidem. Stanislaus, Francisci frater natu minor, a. 1534 natus, secretarius regis, archidiaconus cracoviensis, praepositus varsaviensis, scholasticus gnesnensis et custos plocensis fuit. Obiit 1598. Et hoc carmen, si v. 5 sqq. spectes, eodem fere atque proxime antecedens tempore, circa Lublinensium comitiorum tumultusque gedanensis an. 1568—1569, quibus Royzius Carnecovio consiliarius a rege additus erat, scriptum esse videtur.

Si studia aspicias exantlatosque labores,
Crassinio dices doctius esse nihil.
Inde laborantis si expendes munia vitae,
Crassinio utilius dixeris esse nihil.

II.

I felix Vladislaviam; rebusque peractis
Confestim nostras, quaeso, recurre domos.
Hoc te Volborium, Crassini, poscere credas,
Hoc nos te tota mente rogare puta:
Pontifici nostro[1] et nobis iucundus adibis,
Inde pedem referens, moenia Volborii.
Exspectant nos hinc benefidae moenia gentis;
Haec pretiosa puta moenia Varsoviae,
Multus ubi sumptus. Quo plenis scrinia saccis
Ni fers, haud illo consulo ferre[2] pedem.

[1] Stanisl. Carncovio, episcopo vladislaviensi 1561—1581.
[2] Consulo ferre = suadeo ut feras.

36.

CARMEN FUNEBRE
in obitu
HIERONYMI CHODKIEWICZ[1].

Vilna flet et largo tristis Samogitia planctu
Respondet; crebris resonat plangoribus aether.
Heu tanti quae causa mali? cur questus ad auras?
Ille toga bonus et pulchris Hieronymus ausis
Nos Chodkievicius moriens terrasque reliquit.
Radomia[2] aspexit morientem atque astra petentem,
Atque domus lacrimas nunc fusas aspicit orbae.
    Anna[3] flet uxor; amor fletum ciet, ora genasque
Rore rigat largo; feriuntur pectora palmis;
Spargitur excisus crinis; spatiosa ululatu
Atria miscentur muliebri. Funera patris
Amissi natae lugent quoque quinque venustae[4].

---

[1] Corn. 270—272 = oss. 156 sq. In corn. Chotkowić, in oss. Chotkiewicz, praemisso in utroque titulo „illustris". Carmen scriptum est extremo a. 1561 aut paullo post. Hieronymus Chodkiewicz, Alexandri filius, a. 1545 castellanus trocensis et capitaneus sive praefectus Samogitiae, a. 1559 castellanus vilnensis factus est. Titulum comitis imperii romani in Szkłowo et Mysz ipsi a caesare (conf. v. 32) impertitum a Sigismundo Augusto rege anno demum 1568 in comitiis grodnensibus confirmatum esse tradit Błeszczyński (Encykl. powsz. V, 388); certe Royzius carmini domum circa a. 1567 scripto hunc titulum praescripsit (conf. infra pg. 123. VI adn.). Boniecki (Poczet rodów) nihil de ea re tradit. Obiit exeunte a. 1561 (Niesiecki; Bartoszewicz, Enc. pow.. Boniecki, poczet rodów, pg. 22).

[2] Fortasse „Radonia" legendum est; nam capitaneus radoniensis fuit.

[3] Anna Szemiot (sive Szemet), castellani samogitiensis filia (Bartoszewicz, Enc. pow.; Boniecki l. c.),

[4] Paprocki tribuit ei 4 filias (Niesiecki III, 51) et duos filios: Bartoszewicz septem filias enumerat et unum filium Ioannem Hieronymum, qui deinde magnus mareschalcus Lituaniae et Livoniae procurator fuit; Boniecki (Poczet rodów, pg. 23) commemorat unum filium Ioannem et aliquot filias. Royziani loci ea est condicio, ut verum eodem contineri facile concedas.

Barbara, spectato nequaquam barbara cultu,
Haud parcit formosa comae; ferit ora genasque
Lamentis tectum complens, positaque decora
Veste madens lacrimis pullos deposcit amictus.
Vertice serta cadunt niveoque monilia collo;
Haud adamas digitis radiat viridesque smaragdi.
Et Cristina sequens aevo, sed prima iugales
Expertura toros, modo quam desponderat ante
Fata viro pater, in mediis sibi luget ademptum
Laetitiae spatiis defunctum pulchra parentem.
Annaque et Elisabe et, Graio quae nomine dicta
Est, Sophia amisso plorant aetate tenella
Patrem, aetas quantum fert illa et funera sentit.
    Nec te postremum contingunt fata, Ioannes
O Chotkievici, defuncti tristia patris.
Cui, quantum patri natorum debuit ullus,
Debebas. Ille, ut primis te educeret annis,
Qui dignus patre et patria et maioribus esses,
Sumptibus haud ullis olim impensaeve pepercit:
Invicti illustrem missit te ad caesaris [1] aulam.
Illic prima tibi iuveni formata iuventa;
Illic heroas inter mavortia primum
Bella tibi spectata et strictum in funera ferrum,
Aerataeque acies et tela minantia telis [2].
Quo sint castra loco ponenda et quo ordine turmae,
Discere erat studium, et sumpto concurrere ferro,
Edoctus quibus in patriam mox artibus ires.
Fles patrem, Chotkievici: fle; funera fletu
Sunt haec digna tuo lacrimisque per ora volutis.
    Non rex, non proceres, oculis haec funera siccis
Aspiciunt: primi Radivili, prima senatus
Pars patrii, seu tu, quo se Neswiesia iactat

[1] Caroli V, ni fallor, apud quem ipse legatus fuit, et a quo comitis imperii romani titulum rettulit. Bartoszewicz (Enc. p.) Ferdinandum I (a. 1556—1564) dicit, sed ipse Royzius de Carolo cogitasse videtur. Conf. infra tertium carmen ad filium Ioannem scriptum.

[2] Lucani Phars. 7: .. et pila minantia pilis.

Terra duce et latis spectabilis Olica campis, —
Seu tu, Dubinii[1] quo gaudent duraque Bierzi
Gens duce, cuique acer Moschus dat terga ruenti
Contentusque suis alienis parcere discit
Victus[2] agris, satagitque domum sua signa referre.
Quem flemus, comes ille tibi modo bella gerenti
Fidus erat; Tauro[3] victo tua gloria summa est,
Pars tamen eius erat[4].

---

[1] In cssol. litterae „ii“ erasae litterae „g“ sunt inscriptae.

[2] Mss. „victas“.

[3] Taurus sive Tarwast; arx Livoniae, in confiniis magni ducatus moscovitici sita, quam a Moscovitis a. 1561 occupatam, expugnavit Nicolaus Radziwiłł, Rufus cognominatus, tum temporis summus Lituaniae exercituum imperator. Huic expeditioni interfuit etiam Hieronymus Chodkiewicz. Expeditionis huius meminit Stryjkowski in Chronicis suis (conf. Bartoszewicz Enc. warszaw. V, 387).

[4] Aut carmen imperfectum est, aut Royzius imperfecto versu carmen claudens, formam Aeneidis imitatus est.

37.

Ad IOANNEM CHODKIEVICIUM [1].

Librum mittit [2].

I liber, illustris pete limina celsa Ioannis
Chodkievicii [3], duce quo Samogitia martem
Infremit et Turcis bellum, si foedera tantum
Ista sinant, strages et tristia fata minatur:
Hoc duce, quem Scytha formidat positaque pharetra
Atque arcu fractis repetit sua plaustra sagittis,
Contemptorque hominum Moschus, ceu fulmen ab [4] aethra,
Chodkievicii pavet hoc venerabile nomen.

---

[1] Ioannes Hieronymus Chodkiewicz, filius Hieronymi, cuius mors deploratur carmine, quod proxime antecessit, comes in Szkłowo et Mysz, factus est a. 1564 capitaneus Samogitiae, a. 1566 supremus marschalcus Lituaniae, a. 1574 castellanus vilnensis. Dux Livoniae creatus est a. 1559 eiusdemque terrae procurator a. 1566. Obiit a. 1579 (Boniecki, Poczet rodów, pg. 23, Niesiecki Herb.).

[2] Corn. 262 sq. (ubi in margine altera manu adscriptum legitur: Ad principem virum Ioannem Chodkievicz) = oss. 145 sq. (ubi omisso Chodkievicii nomine legitur solum: Librum mittit). Scriptum est hoc carmen aut a. 1564, quo capitaneus Samogitiae Ioannes est factus, aut paullo post. Miror tamen, si quidem recte tradidit Boniecki Ioannem iam a. 1559 Livoniae ducem exstitisse, quod nulla neque in titulo neque in carmine eius muneris fit mentio. Ceterum non est obliviscendum Samogitiae capitaneos etiam supremos iudices et duces exercitus huius terrae fuisse (conf. v. 2), unde evenit, ut secundum constitutionem lublinensem a. 1569 duodecimum locum inter regni Poloniae senatores laicos ante plerosque palatinos et castellanos obtinuerint. Conf. Cromeri Poloniae (Colon. Agr. 1589) pg. 529.

[3] Hoc loco in ossol. media pars nominis Chodkievicii ita altera manu correcta est, ut neque quae initio scriptae erant litterae neque eae, quae superscriptae sunt, legi possint. Sed aliis locis huius carminis in eodem ossol. forma Chockievicius legitur, ni fallor, ut derivatum esse nomen ab illo Choczkone (v. 22) eluceat. In corn. legitur hoc carmine aut Chodkievicius aut Chotkievicius, in aliis carminibus in ossolineo ms. Chotkievicius. Nos constanter Chodkievicius edidimus.

[4] Ossol. „ad".

I liber, heroemque adeas, seu martia tractet
Arma ferox, vibret seu longa hastilia dextra,
Sive leves exploret equos gyroque fatiget,
— Thracia quos misit, seu quos Hispania bellax,
Qui cursu volucres possint praevertere ventos, —
Seu res romanas illataque signa Quiritum,
Imperium terris sibi qui statuere subactis,
Martis amore legit, seu quae septentrio priscis
Gessit temporibus — nomen cui, Romule, vestrum
Ignorare datum est olim vestrosque triumphos,
Devictumque armis totum victricibus orbem,
Unde venit titan et nox ubi sidera condit
Atque dies medius flagrantibus aestuat auris[1], —
Seu Chodkonis[2] avi[3] relegit decora alta, — profectum
Illius unde genus, qui, sanguinis ultimus auctor,
Alter ut Aeneas, humeris pius intulit altis
Rectoremque ducemque suum et servavit ab hoste[4], —
Seu Caroli Quinti legit inclita caesaris acta,
Imperium oceano, famam qui clausit olympo,
Quo florens aevo didicit fera bella magistro[5].
Quicquid agat, liber, intrepido pede limina gressu
Heroemque audacter adi teque insere dextrae,
Si dignum lectu et, manibus quem tractet, habendum
Duxerit, haud fulvas Sicoris mihi fundat arenas
Pactolusve suas aut par ambobus Hydaspes.
Omnis pro tanto spernenda est gaza favore,

---

[1] Conf. Lucani Pharsal. I v. 15 sq.

[2] Ossol. „Choczkonis“.

[3] Fama est Borejko quendam propter pernicitatem pedum Chodkonem sive Chodkonem esse appellatum Ivanumque Chodkiewicz, filium Ivani Borejkowicz, palatinum kijoviensem, saec. XV primum Chodkievicii nomen sumpsisse posterisque tradidisse. Ceterum ille Ivan Chodkiewicz nostri Ioannis proavus fuisse videtur (conf. Enc. pow. V, pg. 385 sqq.). Alia de generis auctore veri similiora tradit Boniecki pg. 20.

[4] Sequitur veterem famam de illo Chodkone, qui magnum ducem Lituaniae hac ratione servavisse fertur (Niesiecki — Bobrow. Herb. III, 52).

[5] Conf. pg. 114 sq., imprimis vv. 31 sqq.

Hoc si nos heros fuerit dignatus honore
Chodkievicius, lituanae gloria gentis.

II.

Ad EUNDEM
CARMEN GRATULATORIUM [1].

Chotkievicio Samogitia nuper adempto
Patre querebatur, lacrimisque rigabat obortis
Maesta genas, planctu incusans hominesque Deosque:
Nacta eadem natum, sublati oblita parentis,
Gaudet et exsultat. Quo se duce fassa beatam
Attollit iam caelo animos, quaeque imbre madebant
Ora genaeque, hilares ducunt de pectore vultus.
Et, duce cassa suo, quae dura ciere negabat
Proelia et infestum depellere finibus hostem,
Arma fremit poscitque manu concurrere in hostem.
Barbare Mosche, ferox dictis tumide atque [2] loquendo,
Te duce mox Samogita suo dare terga iubebit
Inque domos repedare tuas et signa referre,
Praecipiti vix rapta fuga; non arma minari,
Non Lituanorum notos attingere fines,
Haud dextram armatam, haud oculos attollere contra.
Obtutu vicere ducis procul arma tenentis,
Quem, velut agna lupum libycumque armenta leonem
Prospectum longe fugiunt exterritaque abdunt
Altis se cursu silvis et saltibus imis.
Vitabis [3] trepidans venientem atque arma ferentem;

---

[1] Corn. 272—274 = oss. 158—160; in utroque manuscripto praemittuntur haec: „Ad Io. Chotkievicium supremum Samogitiae praefectum, virum illustrem". Scriptum esse videtur hoc carmen aut ipso a. 1564, quo Ioannes Samogitiae praefectus est, aut paullo post; inerat fortasse ipsi huic libro, quem a Royzio missum esse carmen proximum testatur.

[2] Ossol. „tumide „q." sed correcto „q". in „atque". Ipse poeta „tumide" vocativi loco habuisse et „atque" scripsisse videtur.

[3] Ms. „vitabit".

[illegible]

[illegible]

Hic te amet et pacem fateatur et otia vitae
Et vitam debere tibi, quo praeside vivit
Tutus ab insidiis et apertis tutus ab armis.
Haec te viventem postque ultima fata sequatur
Gloria. Dicaris iustus, dicaris et aequus,
Dicaris scelerum vindex, tutela bonorum.
His gaude titulis atque hoc te nomine iacta.
Hostem pellere agris et ferro fundere pulchrum est,
Externum tamquam morbum; sed pulchrius, intra
Quae populi foede grassantur viscera, pestes
Internamque luem serpensque per ima venenum
Perdere et ultrici medicaque excindere dextra,
Namque domi nisi sit pax, quorsum bella geruntur?

III.

Ad eundem [1].

I felix Chotkievici, tua dextera fortis
Fortes Moschorum terreat usque duces,
Auxiliumque ferens fessis Livonibus hostem
Exutum castris coge redire domum;
Captivasve acies spoliis age victor onustus:
Aspiciat vinctos te duce Vilna duces.
Et sua rex cernens referentem signa, referre
Militia iubeat praemia digna tua.

IV.[2]

Aspicis, ut florens it Chotkievicius aevo
Martis Ioannes honor, impenetrabile pectus;
Martis honor, prima nuper qui aetate iuventae
Caesarea studiis pulchris eductus in aula est
Aeratas acies inter, quibus aethera victor
Ostendit terris pulsoque errore reduxit [3],

[1] Corn. 275 = oss. 161. Tangere videtur expeditionem a. 1565 in Livoniam contra Moschos susceptam. Conf. Szujski, Dzieje Polski, II[1], 313.

[2] Corn. 275 sq. = oss. 161 sq.

[3] Tangit bella pro fide catholica a Carolo V non omnia tamen prospere gesta.

Mortales parere suis et iussit habenis
Carolus ille potens gentis regnator iberae.
Illic bella manu et late victricibus armis
Edidicit tractare et pellere finibus hostem,
Debita quin etiam sceptris nova iungere sceptra.
His edoctus, opus praeduri, proelia, Martis
Aggreditur, vestras, Moschi, — ne spernite, — gentes
Fusurus patriasque manu ducturus in[1] oras
Captivos, bello victor magnisque tropaeis
Insignis, regi Augusto visendus et orbi
Sarmatico, quem mille virum captiva sequantur
Corpora, captivi currus spoliisque superbus
Miles ovans[2], hostis perfusus sanguine multo
Atque opibus dives largis, quas dextera fuso
Corripuit Moscho victrix, et pignora natis
Fert cernenda suis, animis ne segnibus arma
Se monstret sumpsisse hostemque egisse per agros,
Victrices fugientem aquilas augustaque signa.
Quando erit ille dies, cum te nova sceptra ferentem
Victorem aspiciam? venientem finibus illis,
Unde ferox Moschus, Divum contemptor et aethrae
Fulminat insanus, vicinoque improbus hosti
Insultat, prae seque alios male temnit et audet
Victrices excire aquilas et proelia inire?
Te tunc Vilna ducem, haud tantis adsueta triumphis,
In pulchris laetum laeta admirabitur annis[3],
Signa reportantem victricia marte secundo.
Tunc et ego faustum reditum, si vita manebit
Immatura vocant nec me mea fata, camenis
Dulcibus, aonio revocans a vertice Musas,
Cantabo, nomenque tuum tuaque inclita facta
Victuris ventura feram per saecula chartis.

---

[1] Corn. „ad“ cum supra scripto „in“.
[2] Ms. „ovas“.
[3] Sic ms.; suspicor „armis“.

V.[1]

Ante suus miles, cum mittebatur in hostem,
Quam Scytha, quam Moschus, vix minus hostis erat.
Vivebat rapto et, satis grassatus in agris,
Audebat media luce redire domum.
Atque addens sceleri scelus, ipsa infestus in urbe
Ibat; quo tutus nemo furente fuit.
Hunc pulsans, illum spolians, impune ferebat,
Quicquid collibuit; hoc licuisse putat.
Haec olim passi cives, haec Vilna, sed ipso
Te, Chotkievici, est nunc duce parta quies.
Nec sibi plus miles, licitum est quam lege, licere
Cogitat, edoctus linquere cuique suum.
Te metuens rapto desivit vivere miles,
Te metuens iustas discit habere manus.
Consiliisque suas cohibens melioribus iras,
Incepit[2] carus civibus esse suis.
Hoc, Chodkievici, tibi fert Lttuania soli
Acceptum; debet hoc quoque Vilna tibi.
Pro quibus, haud dubita, meritis tibi praemia reddet,
Qui regit aethra[3], tenens numine iuncta suo.

VI.[4]

Chodkievicio Samogitia debet, Achilli
Inclita quod quondam Graecia, Roma Numae,
Et Lacedaemonii quod sunt debere Lycurgo
Confessi, leges quis dedit ille suas.
Est etenim bellax, est religionis amator
Iustitiaeque, tribus quod fuit, unus habet.

---

[1] Corn. 276 = oss. 162 sq.

[2] Ms. „incipit“.

[3] Sic ms. Fortasse „alta“ legendum est.

[4] Haec tria, quae hic proponuntur carmina (VI - VIII), exstant separatim in libro corn. pg. 264, in oss. pg. 148. Praescribuntur eis haec: „Ad Io. Chotkievicium, virum illustrem, in Sklovo et Myss comitem, Samogitiae praefectum, Livoniae imperatorem summum, Lituaniae marschal-

VII.

Absens bella geris, vincis, deque hoste triumphas;
Fuderunt Suecos militis arma tui[1].
Afficis insuetis si Suecos cladibus absens,
Praesenti in Suecos quod tibi restat opus?

VIII.

Chodkievicio debes, Lituane, Ioanni,
Accessit sceptris quod modo Livo tuis.
Paucos ante fuit Livo devinctus ad annos,
Ex hoc devinctus tempore semper erit.
Solvere grata suo ut Lituania pergat alumno,
Non solvendo ex hoc tempore semper erit.

* De Ula frustra oppugnata[2].

IX.

Ulam non ullam Lituania debuit armis
Efficere, ulla tamen non minus Ula manet.
Vires, quae fuerant magnae, discordia fecit
Parvas; haec causa est, Ula quod ulla manet.

X.

Quae delesset Ulam[3] concors Lituania, discors
Frustra tentatam marte reliquit Ulam.

---

cum etc.". Tertio carmini praescribitur separatim „Ad Lituaniam de eodem". Et ipsa carminum praescriptio et argumenta declarant eadem esse scripta aut ipso a. 1566, quo Ioannes Chodkiewicz Livoniae a rege praefectus est et ipsa Livonia in comitiis Vilnae habitis cum Lituania iniit unionem (conf. carm. VIII vv. 1 sqq.) aut non multo ita post. Conf. Szujski, Dzieje P. II², pg. 314 sq.

[1] Ni fallor, a. 1567. Conf. Szujski, Dzieje P. II², pg. 315.

[2] C. 294 sq. = ora 190. In cod. lineo superscriptum est his carminibus (IX—XII) altera manu „Ad Chodkievicium". De re anno 1568 tractata conf. Szujski, Dzieje P. II², pg. 316.

[3] Hoc carmine et proximis duobus Royzius Ulam brevi a usurpavit; similiter in XVIII carmine De duce Romano (II, pg. 23, XVIII, v. 4) posuit alteram brevi a contra normam, quam ceteris locis observavit.

XI.

Natio ni discors esset lituanica, Moschus
Ullam iam dudum non habuisset Ulam.

XII.

Si Lituanorum concordia castra fuissent,
Ullam iam nullus Moschus haberet Ulam.

XIII.

* De eodem Vilnam ingresso [1].

Ingresso Vilnam [2] pleno sol sidere fulsit,
Qui pice se et pulchrum texerat ante caput.
Chotkievicio cum caelum hunc reddit honorem,
Debere huic terras quid, Lituane, putes?

* Ad eundem.

XIV. [3]

Dives, inops, mediocris habet te praeside, doctor
Hispanus Grodnae non habet hospitium.

XV. [4]

Chotkievici clausae sunt mihi quando salinae,
Unde mihi merces annua certa venit:

---

[1] Corn. 296 = oss. 193. Ad quodnam tempus hoc carmen sit referendum, dubium est.

[2] Uterque liber „Vilnam ingresse", sed in corniceensi rectus ordo numeris posteriore manu superscriptis designatum.

[3] Corn. 288 = oss. 181. Scriptum hoc carmen est anno 1566 aut postea, nam Ioannes Chodkiewicz a. 1566 summus Lituaniae marschalcus est factus (conf. v. 1: te praeside). Refertur fortasse ad comitia exeunte a. 1565 et ineunte a. 1566 Grodnae habita (conf. Szujski, Dzieje P. II [1], 315).

[4] Corn. 288 = oss. 150. Refertur hoc carmen ad pensionem Royzio non solutam, de qua re egi fusius in polona de Royzio dissertatione pg. 73 sq. = 113 sq. Scriptum est circa a. 1570. Nicolaus videtur esse

Ni Nicolaus erit nostri tuus ille misertus,
Annua qui centum bis dare iussus erat,
Primaque dempta tribus mox pars de partibus absit
Hispanis: deerit tunc mihi, quod superest.

XVI.[1]

Ex Indi ligno te quaerere certa salutem
Fama refert. Inde est anne petenda salus?
Ex ligno Christi, non Indi, quaere salutem:
Haec homini brevis est, illa perennis erit.

XVII.[2]

Chotkievici, vicisti. „Dic, quae?" Omnia, iunctis
Viribus ingenii, viribus eloquii.
Quem miretur ob haec, duo Divum dona, Polonus,
Clarior hic multis vir lituanus habet.

Naruszowicz, qui tum thesaurarius Lituaniae fuit. Vv. 4 sqq. explicavi in polona de Royzio dissertatione l. c.

[1] Corn. 296 = oss. 193. Conf. carm. XI et XII ad Nic. Radivilum Rufum pg. 104.

[2] Hoc carmen legitur in corn. 296 et iterum 411, in oss. semel pg. 193. In ossol. quartus versus posteriore manu adscriptus est, desideratur vero in corn. pg. 411. Primus versus exhibet in mstis. „vici" quod neque salvis metri legibus, nisi hiatus statuatur post pedem quartum, ferri potest, neque sententiam exhibet idoneam. Nam vix credibile est a Royzio coram Chodkievicio celebrari suum ingenium atque eloquium hunc in modum, praesertim cum de eloquio aliunde nihil traditum sit. Conf. infra carmen in effigiem suam. Ioannem autem Chodkievicium eloquio aequalibus praestitisse, ex carminibus XVIII—XX putet. Itaque vici mutavi in „vicisti". Duorum vero ultimorum versuum haec fere videtur esse structura: Clarior hic multis duo Divum dona habet vir lituanus, quem ob haec miretur Polonus. Fieri etiam potest, ut „habet" eadem notione atque „habitat" Royzius dixerit. Sed fortasse ne haec quidem recte tradita habemus.

* Ad EUNDEM
de lublinensi unione[1].

XVIII.

Ecquid adunari Lituanos atque Polonos,
Chodkievici, ceu re male coepta doles?
Atque pericleo rem tantam abrumpere tentas
Eloquio, prorsus fiat ut inde nihil?
Occurris frustra; stant te duo numina contra:
Hinc stat rex fortis, fortior inde Deus.
His te ne opponas aut iis temerarius obstes,
Quin Divum iussu currere fata sinas.
Nec te alius, nec tu te culpes criminis expers;
Nemo te merito dixerit esse reum.
Accuset, qui vult, te et misceat aethera ponto,
Nulla tuum feriet iusta querela caput.
Si quid peccasti, peccasti scilicet hoc, quod
Rege nec es maior, nec potes esse Deo.

XIX.

Gens tua quod genti est eadem nunc facta polonae,
Unusque e populis inde duobus erit,
Chodkievici, tanti est an tibi causa doloris,
Ut somno abstineas abstineasque cibo,

[1] Carmina XVIII—XX exstant in libro corn. pg. 282 sq., in oss. pg. 172 sq. Videntur haec spectare ad id tempus comitiorum lublinensium, quo exeunte a. 1568 et ineunte a. 1569 legatorum Lituanorum pertinacia unio tam diu a rege praeparata paene abrupta est. Legati enim Lituanorum, quibus praeerat Nic. Radivilus Rufus et Io. Chodkiewicz, iam tum summus Lit. marschalcus, non tam unius reipublicae corpus ex duobus effici quam duas civitates sub unius regis imperio coniungi nitebantur. Quae cum disertissime ab Io. Chodkievicio defensa Polonis non probarentur, Lituani eo usque processerunt, ut post diem cinerum sacrorum comitia reliquerint. Conf. Szujski, Dzieje Polski, II[1], 318 sqq. Morawski, Dzieje narodu pols. Jagiełłowie, Poznań, 1871, pg. 448 sqq. Niesiecki — Bobr. Herb. III, 53 sq. Quamquam ea est carminum horum ratio, ut potius ad tempus post unionem Cal. Iuliis a. 1569 pactam referri videantur.

Aetheraque insuetis repleas plangoribus idem,
Audiat ut questus noxque diesque tuos?
Parce queri tantisque modum iam pone querelis;
Exhilarent vultus ora serena tuos.
Obnixus contra sat eras et multa profatus
Obstiteras, quantum lingua diserta valet.
Tullius ut fueris tamquam lituanicus alter,
Et demostheneum viceris eloquium,
Contra fata Deum regisque ea facta volentis
Non est consilium, grande sed ire nefas.

XX.

Quod Lituanorum gens inclita et inclita Lechi
Gens sunt diverso ex corpore corpus idem;
Ferre nequis animo et terris iratus et aethrae,
Non oculis somnum, non capis ore cibos,
Incusasque diem, quo es primum eductus in auras.
Quid? cunae et matris ubera crimen habent?
In te deliquit, quae prima exordia vitae
Texuit haud parca Párca benigna manu?
Omnia sunt invisa tibi: mare, sidera, tellus,
Aer, unde animam ducis, et ipse gravis.
Questibus abstineas tandem, abstineasque querelis,
Et te sedato pectore redde tibi:
Invenies, tanti quod idonea causa doloris
Non est, curve angas cor cruciesve tuum.
Stare statu ut quondam in prisco Lituania posset,
Posset et antiquum continuare decus;
Qui sit conatus plus te, non exstitit ullus:
Indicio eloquii sunt monumenta tui.
Sis voti ut compos, formas es versus in omnes,
Ut patriae prosis, Proteus alter eras.
Quo vero minus hoc fiat, contrarius obstat
Hinc rex Augustus, non sinit inde Deus.
Quisquam autem indignans sua tristia fata queratur,
Si non par regi, non queat esse Deo?

38.

Ad CONSTANTINUM CHODKIEVICIUM [1].

I.

Constantine, tuum, quod legi, nobile carmen
Esse negat puerum te, probat esse senem.
Adde tibi canos ergo, vel demito carmen,
Aut me iudicio coge carere meo.

II.

Constantinus habet vires in versibus aequas
Minciadae [2] latio, Maeonidae [3] argolico.
Res haec magna quidem est; illi, sed maxima, cani,
Quod puer iste potest, quod potuere senes [4].

III.

Si tibi cum vitae spatiis in carmine virtus,
Constantine puer, crescet, Homerus eris.

IV.

Docte puer, doctis patrum cane gesta tuorum,
Constantine, modis maeoniaque tuba.
Principium prisco tibi si a Chotcone petendum est,

---

[1] Carmina haec (I—VI) exstant in corn. pg. 276 sq., in oss. pg. pg. 163 sq. Constantinus, cui dicata sunt, est Ioannis, comitis in Szkłowo et Mysz, frater patruelis, filius Georgii, qui a. 1566 castellanus trocensis fuit et a. 1569 decessit. Ipse Constantinus obiit a. 1571 uxore relicta (Boniecki, Poczet rodów, 24). Quod si ita est, carmina haec praeter VI circa a. 1566 scripta esse videntur. Nam et Constantinus puer dicitur (I, 2; III, 2; IV, 1; V, 6) et Ioannes Chodkiewicz iam clarus habetur (IV, 9 sqq.).

[2] Vergilio.

[3] Homero.

[4] iunge: sed maxima (res est), quod puer iste potest, quod potuere illi cani senes.

Qui, ut patrem Aeneas, abstulit ille ducem[1]
Illatumque humeris duro servavit ab hoste:
Constantine, ingens tunc tibi surget opus.
Defesso tandem et fumantia colla volenti
Solvere equum, instabit tunc patruelis opus
Illustris fratris, cui servit Livo, Ioannis.
Quem canere ut possis, plectra Maronis habe;
Addeque Maeonidae; tuus est hic quippe Ioannes
Et simul Aeneas et simul Aeacides.

V.

Lustranti te oculis et carmina culta legenti:
Est opus huic, sensus verset in ambiguo.
Scripta legens tua te facundum Nestora iuret,
Os idem aspiciens Astyanacta putet.
Ecquid enim de te, volvens secum omnia, dicat,
Os qui fers pueri, pectora docta senis?
Cresce igitur; tenero namque hoc dum cerneris aevo,
Incertum, de te quid statuamus, erit.

VI.[2]

Ingredere, ingressum felix fortuna sequatur,
Obtigit haec quamvis non bene sarta domus.

---

[1] Magnum ducem Lituaniae (Niesiecki, III pg. 52). Conf. pg. 118 adn. 4.

[2] „Aliud" praescribitur huic carmini in corn., in ossol. tantum spatio maiore intermisso primus versus a proximo discernitur. Ceterum hoc distichon, si re vera ad Const. Chodkiewicz refertur, non satis claram continet sententiam. Refertur fortasse ad a. 1570, quo domus canonica, post mortem Grabowski, canonici vilnensis, vacua, a capitulo vilnensi Royzio habitanda offerebatur. Erat autem illa domus ita devastata, ut, cum sine magna impensa resarciri non posset, Royzius brevi post in consessu capituli nolle se eadem uti declaraverit. Visuro eum, opinor, in ipsa illa domo Constantino potuit R. proponere epigramma, quod hic legitur (Conf. Summaryjny wypis z protokołów aktów kapituły wileńskiej pod r. 1570). Ceterum in ossolineo „quamvis" ex alia forma, quae vix legi potest (quovis?), restitutum est.

39.

Ad GEORGIUM PETCUNIUM,

episcopum Samogitiae[1].

I.

Cui plus, Petcuni, Samogitia debeat uni,
Quam tibi, non ulla est post habitura die.
Non habuit nec habet: stagno grave olente relicto
Ire gregem liquidas cogis ad amnis aquas.
Pascua tabificis plena et letalibus[2] herbis
Ut vitent, monstras, defugiantque, iubes.
Defugiant aconita, iubes, tristesque cicutas;
Pascua, mortiferum est nil ubi, laeta petant.
Dogmata verorum prius ignorata sacrorum,
Quae vix nobilibus nota fuere viris,
Praesule te plebs exsultans se scire fatetur,
Acceptumque pedo fertque refertque tuo.
Nunc angues inter rerum ludibria ducit,
Qui fuerant genti numinis ante loco.
Quae modo culta fuit, ramis felicibus arbor
Et multa surgens luxuriosa coma,
Nunc violata manu, dura percussa bipenni,
Arsura in medios cogitur ire rogos.
Luce carens lucus, sacrorum oblitus honorum,
Agricolae excisus funditur ante pedes.

---

[1] Corn. 244 = oss. 125. Praefuit dioecesi samogitiensi aa. 1566—1574 (ossol. Wiad. II, pg. 221). Alii Petkovicium, Pętkiewicz, Piętkiewicz vario eum appellant, Roysius et hoc carmine et in Chiliasticho (I, pg. 175, v. 411) Petcunium. Ossoliński (Wiad. II, 176) falso in suo ms. legi hoc loco Petkivicium adnotavit, nam uterque liber et ossolineus et cornicensis formam „Petcunius" exhibet eamque esse genuinam ex vv. 1 et 29, ubi ultimae nominis syllabae „uni" premuntur, apparet. Itaque potius nomen Petkun, vel Petkunis Roysius huic antistiti tribuisse videtur.

[2] Ossol. „laetalibus", corn. „laetabilibus".

Te Pater aeternus, te aeternus praesule Natus
Et qui procedens Flamen utrimque venit,
Soli numen habent; Deus unus, non tamen una,
Personae sed tres: hoc Samogita[1] colit.
Acceptos omnes cum commemorarit honores,
Huic unde est genti certa reperta salus,
Terque quaterque aevo felix Samogitia nostro,
Est quae abs te docto praesule docta suo:
„Uni, Petcuni, tibi debeo", dixerit, „unum
Et tres personas credo quod esse Deum".

In eiusdem stemma[2].

II.

Insontes ala tege, cornu percute sontes;
Has partes iusti praesulis esse puta.

III.

Innocuos ala tego; cornu pulso nocentes:
Has didici partes muneris esse mei.

IV.

Ala tegat iustos; cornu petat omne quod est sons:
Hanc iubeo legem stemmatis esse mei.

V.[3]

En ala volo caelestes sublimis in oras:
Issem, ni cornu detinuisset humi.

VI.

Ala levis fert astra super, caeloque locasset
Me dudum, cornu sed grave tardat humi.

---

[1] Ossol. „Samogitia" cum expuncto altera manu „i".

[2] Działossa, stemma, cuius scutum altera ex parte cornu cervi, altera alam vulturis continet (Ossoliński Wiad. II, pg. 177). Exstant carmina II—IV in corn. 245, in oss. 126.

[3] Exstant carm. V—VII in corn. 295, in oss. 191. Ad haec epigrammata, confer quae observavit Ossoliński (Wiad. kryt. hist. II, pg. 177

VII.

In caelos ala feror, et iam sidera planta
Pulsarem, cornu ni remoretur humi.

40.

Ad ALBERTUM LASCUM [1].

I.

Librum mittit [2].

I liber, Alberti properans pete limina Lasci [3],
Alberti, segnes cuius non pectora curae,
Non humiles subeunt, quem non iuvat alea pernox;
Non molles choreae coniunctaque prandia cenis
Et calices inter solem visura cadentem.
Arma placent et equi, pugnataeque ordine pugnae
Et grave martis opus. Studiis versatur in istis
Exercetque aevum. Turcas Moschosque Scythasque
Proposuit sibi ceu signum, quos strenuus armis
Victricique manu petat et procul arceat arvis
Et patria terra, referatque ex marte triumphos

---

et 82 sq). Et ipse scripsi de eadem re in polona de Royzio dissertatione pg. 64 = 104.

[1] Albertus Lascus, filius Hieronymi, palatini siradiensis, a. 1538 in arce Kesmark in Hungaria natus, et ipse palatinus siradiensis fuit. Iuvenis a fide catholica abalienatus, a. 1569 ad eandem revertit catholicorumque partes impense iuvit. Inclaruit fortitudine et victoriis de Valachis Tartarisque (aa. 1561—1568) reportatis. Conf. Niesiecki — Bobr. Herbars, VI, 215 sq. Rescius, Vita Hosii II, 81; Wójcicki Encykl. pow.

[2] Totum carmen exstat solum in corn. 319 sq., altera eiusdem pars etiam in ossolineo. Superior enim pars folii paginarum 281 et 282 una cum sex fere foliis, quae antecedebant, in ossolineo ita desecta est, ut titulus atque vv. 8—25 huius carminis desiderentur.

[3] In cornic. falso pro „Lasci“ scriptum est „Moschi“.

Augusto regi augustos [1]. Vigil ista cubansque
Cogitat in somnis, interque haec sola quietem
Occurrunt animo, declinat lumina somno
Si quando. Nam clara patris celebrataque virtus
Vix illum dormire sinunt; quam turpe nefasque
Non aequare putat, superareque nititur audax.
Hunc liber, hunc adeas, teque illius insere dextrae
Intrepidus, nam tela licet mavortia tractet,
Nostrum amat et studium hoc, illum [2] nec spernere fas est.
Cuius, si, munus sis, dixerit, esse Royzi
Responde, Albertus cuius tunc pectore Lascus
Excidet, immoto stabit cum sidere phoebus,
Oblitusque sui cursus inhibebit olympus,
Terraque pro caelo distincta movebitur astris
Occasumque suum atque suum meditabitur ortum,
Algebitque aestas ardebitque horrida bruma,
In fluviosque maris magnum exonerabitur aequor,
Atque suas linquent fugientia flumina ripas,
In mediosque fluent mutatis cursibus agros.

II.

De EODEM [3].

Qui magnum conaris Achillem pingere, Achilles, —
Pinge tuum Lascum, Sarmata, — pictus erit.

III.

In effigiem EIUSDEM [4].

Hanc procul effigiem Venus ut pulcherrima vidit,
Accessit, Martem dum putat esse suum.

---

[1] Carmen hoc scriptum esse videtur ante a. 1559, quoniam ea, quae ab Alberto Lasco post eum annum in Valachia gesta sunt, non commemorantur. Conf. Bibliot. ordynacyi Krasińskich r. 1868, Kronika str. 9 n.

[2] Cornic. „illud".

[3] Corn. 322 = oss. 234.

[4] Corn. 322 sq. = oss. 235.

Et prope stans, oculos notat ut decepta pudicos,
„Hos“, ait, „excipio; cetera Martis habet“[1].

IV.[2]

Pulchram animam pulchris infundunt sidera membris,
Turpem animam in foedum corpus abire iubent.
Non eadem Priami fuerant populariaque ora,
Tersites similis non erat Aeacidae.
Argumentum ingens species et forma virorum
Ingenii et mentis nobilioris habet.
Quis maiestatemque tuam speciemque moratus
Non dicat: „Magno est haec habitata animo“.

---

[1] Hoc epigramma sequuntur in mss tis. haec consulto a Royzio inter sua collocata, ut laudem ipsius poeticam apud aequales testarentur:

IOANNES RICCIUS ANNOBOREN.
illmi. IOANNIS ALBERTI, ducis megapolensis,
apud SIGIS. AUGUSTUM, Poloniae regem, orator,
divino ROYZIO s. p. d.

Tantopere mihi arrisit carmen in Lasci effigiem, Royzii, tuum, ut totum Helicona in animo meo moverit. Cum itaque Maximiliani imperatoris nostri et ingenium et doctrinam et pietatem et fortitudinem tanti faciam, ut rebus gestis cunctam maiorum suorum gloriam superaturum sperem, libuit et in eius imaginem hoc epigramma condere. Turpe enim mihi esse duxi, de equite Polono Royzio canente, de fortissimo Germano principe adeoque imperatore Riccium silere. Suavissime vale.

In effigiem divi MAXIMILIANI.

Hanc tabulam Cytherea Iovi ostendebat, et ille,
Ut fixa in pictis vultibus ora tenet,
„Quid, scio, nata velis, et tecum sentio“, dixit;
„Aeneae faciem Maxmilianus habet.
Nec dubita: illius nunc qualia facta leguntur,
Huius facta leget talia posteritas“.

Cum Maximilianum aa. 1564—1576 imperatorem fuisse constet de vivo autem haec scripta esse epistula Ricci ad Royzium missa declarare videatur, hoc ipso tempore et Royzii carmen in Lasci effigiem scriptum esse verisimile est.

[2] Corn. 70 sub titulo: „Ad Albertum Lascum“.

In navem[1] LASCANAM[2].

V.

Arma tua atque tuum experta est Moldavia martem[3],
Cui potis es dominos et dare et eripere.
Regnatorem Asiae, Lasce, ut modo fuderis, exstat
Testis podolius sanguine pinguis ager[4].
In mare velivolum tua te vocat inclita navis,
Ireque Neptuni per vada salsa iubet.
Infer signa mari victricia, perge per altum
Addere Sarmatiae regna subacta tuae.
Navis, Lasce, volans tua, ventis acta secundis,
Victorem terra te satis esse negat.

VI.

Delectos heroas, an es, quae vexerat, Argo,
Cui quondam pellis aurea praeda fuit?
Non. Haud illa meo Lasco sunt praemia curae:
Sunt mihi praeda viri, sunt mihi praeda duces.

VII.

Aenigma in eandem navem[5].

Filia sum nemoris, quod vertice sidera pulsat,
Roboribus surgens validis; me plurima mater
Alvo progenuit secta, vitaque recessit;
Qua viva nequeo superesse, et surgere in auras.
Nata „vale“ patri dico, terrisque relictis
In mare velivolum propero camposque liquentes.
Quo pulsa, Aeolia exciti nisi terga volentes
Nostra cient fratres, sto immota; cientibus illis

[1] Korab (navis) erat stemma Lasci.
[2] Carmina IV et V exstant in corn. pg. 324. in oss. pg. 237.
[3] Albertus Łaski superatis a. 1561 Valachorum copiis regnum Moldaviae Iacobo Basilico Heraclidae comparavit ab eoque praemii loco districtum chocimensem cum arce accepit.
[4] Idem a. 1568 victoriam de Tartaris in Podolia reportavit.
[5] Corn. 324 sq. = oss. 237—239.

Per vada salsa volo, rapido velocior euro,
Bella ferens pacemque viris terrisque repostis,
Milite feta truci ducibusque frementibus arma.
Saepe etiam melior positaque benignior ira
Dito opibus gentes, vitaeque alimenta ministro
Ignotis populis, septemque egressa trione
Solis ad occidui cursu me litora sisto.
N mihi si demas, penna peto praepete caelum,
Captaque mortales pasco aut demulceo cantu.
Fungor et officiis aliis, quae dicere longum est.
At mutilae mihi praeterea si dempseris alpha,
Fundo acies gentesque domo, belloque subactos
Subicio sceptris populos, rerumque potita
Signa domum refero laetosque ex hoste triumphos.
Imperiis ego Romanos ingentibus auxi,
Et rerum feci dominos, qua lampada titan
Oceano surgens circumfert seraque noctis
Hospitia, ut medii tepefecit rura diei,
Pronus adit, fluvio currum mersurus Ibero.
Audivere etenim septem, haud sensere, triones
Romanum terris miscentem proelia Martem.
Quidnam alii facient, haec cum monosyllaba possim
Trunca? mihi nam dimidium fuit ante resectum.
Navis, avis, tandem sum vis: aenigma solutum est.

VIII.

De A. LASCO [1].

Lascus amat bellum — non cordi imbellibus hoc est; —
Et pacem toto pectore Lascus amat.
Secumne haec pugnant? Nequaquam. Bella geruntur
Quae pacis studio iustaque, Lascus amat.

[1] Corn. 325 = oss. 239.

In EUNDEM febricitantem[1].

IX.

In castris Lascus febri correptus anhela
Fixerat ingrato languida membra toro.
Rex allegari medicos iubet anxius aegro.
Cui contra Lascus talia sollicito:
„Signa cani iubeas; haec, rex, mihi pharmaca sunto;
Me levat haud medicus, sed tuba“, Lascus ait.

X.

Ardentem medici ut Lascum[2] tetigere, febrire
Dixerunt: ardor dat febris indicium.
Non febri Lascus, veniam date, at aestuat ira,
In Moschum haud acies tendere, signa cani.

[1] Carmina VIII et IX leguntur in corn. 325, in oss. 239.
[2] Cornic.: „Ard. ut Lascum medici“.

41.

PETRI BARZII
EPITAPHIUM[1].

Illustris situs est hic Petrus Barzius, heros;
Augusti quem flet regia tota sui.
Illa quidem absentem, praesentemque aula Philippi,
Quo ab rege orator venerat ille suo.
Ut probus, ut prudens, ut iustus, strenuus, acer,
Ut prisca insignis relligione fuit,
Ingenio sublimis, amans aequique bonique,
Utque osor probri certus et hostis erat,

---

[1] Corn. 342 sq. = ossol. 265 sq. Praemittitur autem carmini hoc epitaphium prosa oratione a Royzio scriptum, quod Petrii Barzii vitam et conditionem accurate illustrat:

Sisto gradum, quisquis es.

Petrus Barzius, Blozovius, vir illustris, castellanus premislionsis, supremus Leopolionsium imperator, quo privatim melior, utilior publice atque incorruptibilior (sic!) superiore aetate fuisse nemo reperiatur, incertum pace clarior an bello, foris an domi, Sigismundo Augusto, Poloniae regi, principi suo optimo maximo, senatui, optimatibus, populoque denique atque ordinibus ob incomparabilem fidem, prudentiam atque iustitiam longe carissimus, dum apud Philippum, Hispaniarum regem, principem catholicum atque invictum, de rerum maximarum summa orator esset, immatura morte sublatus, Catharina Dziaducia, lectissima sanctissimaque femina, coniuge, filia una, filiis duobus dulcissimis orbis relictis, cum ingenti omnium maerore diem suum obiit, positisque hic fragilis ac caduci corporis exuviis, ad sempiterna immortalis Dei gaudia, immortalis et ipse, Christi servatoris morte morti ereptus, perenni vitae melioris spe, quae finem nescit, plenus emigravit. Huius volui nescius ne esses. Fer, quo properas, pedem; sanctis manibus bene precato abire licet. Vixit annos XL. Excessit autem anno salutis humanae undeseptuagesimo, supra millesimum et quingentesimum, octavo Kal. Novemb.

Cui Stanislaus, Andreas, Erasmus, Barzii fratres, uxor, liberique illustres hunc tumulum, memoriam humanae conditionis fragilem, maestissimi posuerunt.

Hispani hunc proceres lugent, lugentque Poloni;
Gens utra plus raptum plangat, in ambiguo est.
Interque Augustum regem regemque Philippum,
Hunc magis hic princeps, an fleat ille magis,
Cum certaretur, consultus dixit Apollo:
Ut fletus, sic lis non habet ista modum.

42.

* STANISLAO BARZIO.

Ad librum suum [1].

Perge, Stanislai Barzi pete limen amicum,
Care liber, multam heroi et dic, quaeso, salutem,
Heroi, quo nec melior nec iustior alter
Sarmatia in magna est, qua se septemtrio fundit
Atque gelu sistit rapidas aquilonibus undas.
Neve parum venias, fac, tempestivus, onustus
Dum rerum est gravium curis, quas scipio, gestat
Quem dextra, heroi rebus poscentibus adfert,
Resve legit gestas regum, quas graia vetustas
Aut romana refert, veterum monumenta virorum
Percurrens, non praeteriens fortissima regum
Gesta Polonorum a prisco nascentia Lecho.
Illud ama tempus, tibique illud delige, laetus
Heros dum mensae accumbit curisque solutus
Hinc inde hospitibus cinctus ieiunia solvit.
Si te heros hilari laetoque aspexerit ore,
Dignum oculis ratus esse suis, est quicquid honorum,

[1] Carmen hoc scriptum est a. 1568, quo Stanislaus Barzi armorum Korczak mareschalcus aulae regiae factus est, aut paullo post. Idem a. 1570 palatinus et capitaneus cracoviensis factus est. Frater Petri, cui epitaphium scripsit Royzius, fuit. Exstat hoc carmen sine praescripto nomine Barzii in corn. pg. 341, in oss. pg. 264.

Contemnam, est et quicquid opum. Pactolus arena
Fulva alios iuvet, et pleno Tagus aurifer amne.
Gemmiferoque undas commiscens Hermus Hydaspi.
Haec aliis: mihi magnanimi stat gratia Barzi
Pluris: me dicam, si te leget ille, beatum.

43.

EPITAPHIUM
STANISLAI GRAPHI[1].

Siste gradum, sacras adiisti quisquis ad aras,
Et manes venerare pios nomenque superbum
Gentis Dolongae[2], quo non est clarius ullum
Sarmatia in magna, qua plenis Istula ripis
In mare praecipiti properat se condere cursu.
Aspicis hoc medium simulacrum, spectat utrimque
Quod sua progenies et tanquam sidus adorat
Intentis oculis maiorum illustre suorum?
Nota Stanislai Graphi est, quam cernis, imago,
Hoc cuius cineres conduntur et ossa[3] sepulcro.
Masoviae palatinus, testata vetustas
Est, qualis fuerit; non illo iustior alter,
Non pietatis erat, patriae nec amantior alter[4].
Multa Deo statuit solido de robore fana,
Plurima Caelitibus, quae late ture sabaeo
Fumant, atque habitos superis testantur honores,
Ad nostros producta annos et postera saecla.

---

[1] Est sine dubio Stanislaus Srzeński, qui palatinus Masoviae obiit a. 1536. Cognominis Graph ratio haud liquet. Exstat hoc carmen in corn. pg. 352 sq., in oss. pg. 281 sq. Scriptum est post a. 1565 (conf. v. 39 sq.).

[2] sive Dolangae (Dołęga).

[3] Corn. exhibet: „et ossa conduntur", notato tamen recto ordine.

[4] Hic versus desideratur in corn.

Regibus ille suis carus fuit; optima semper
Consilia in medium facundo protulit ore.
Tempus erat seu pacis, erant seu bella gerenda,
Acri vectus equo, correptis strenuus armis,
Per medias acies, medios se ferre per hostes
Esse suum dicebat opus, pugnasque ciere,
Non molles animo curas agitare diemque
Exigere immunem et totas consumere somno
Ignavo noctes aut seris prandia cenis
Continuare, gravi et madidum indulgere lyaeo.
Idem hominum mores multorum novit et urbes [1],
Externasque aulas regum peregrinus adivit,
Disceret unde suae patriae non commoda pauca.
    Felix hinc illum suspectat Srencius [2] heros,
Ploczka, palatinus tuus et tua magna voluptas,
Felix, sive hostes dextra ferroque petivit
Pernici sublimis equo et metuendus in armis,
Seu pacem tractavit et alti scita senatus.
    Inde bonus dictis, observantissimus aequi
Atque boni, ingenio semper gavisus aperto,
Fraudibus atque dolis technisque infensus opertis,
Albertus Starorzebius [3], quo Chelma beata est [4]
Pontifice, intentis oculis suspectat eundem.
    Ostenduntque suis ambo, vestigia cuius
Proponunt sectanda, fuit quae et uterque secutus.
Unde sibi et patriae laudem peperere decusque,
Quod non tempus edax, non sera aboleverit aetas,
Victurum, dum terra fretum dumque aera pontus,
Dumque aer ignem et dum caelum sustinet Atlas.

[1] Conf. Horat. Epist. I, 2, v. 19 sq.

[2] Lib. corn. habet: „Strencius". Felix obi. a. 1554. Conf. pg. 168.

[3] Sic. ms. Fuit episcopus chelmensis aa. 1565—1577. Appellatur etiam Sobiejski (Sobiejuski). Conf. carmina ad eundem scripta pg. 143 sq.

[4] Ita confirmatur, id quod alio loco sum suspicatus, Albertum Starosrzebski vivum adhuc sepulcrum sibi exstruendum curavisse. Conf. pg. 144.

44.

Ad ALBERTUM STAROSREBIUM[1].

I.[2]

Si nec palpari potes et nec fallere, si nec
  Fingere, si non et dissimulare potes,
Si nescis ore hoc, diversum pectore ferre
  Induere et vultus, quos velit aula, novos,
Si nescis suadere tuo malefacta tyranno,
  Quod iuvat, hoc, non quod convenit, illud agat,
Si nescis tenebras lucem lucemque tenebras
  Dicere, riphaeas atque calere nives,
Aestivos frigere dies, cum Sirius ardet,
  Tergoque ingentes flumina ferre rotas,
Pro domini arbitriis si nescis flectere cuncta,
  Si bene non anser, et male cantet olor:
Si haec nescis: aulam fugias, Alberte, dolosa
  Simplicibus non est utilis aula viris.

II.

In effigiem eiusdem[3].

Sic oculos Starosrebius, sic ora ferebat,
  Cum coleret musas, itala terra, tuas.
Hanc toto effigiem spectas qui lumine pictam,
  Miranti similis, et decus oris amas,
Mirarere magis, tabela ceu fixus in ipsa,
  Ingenium quisset pingere si qua manus.

---

[1] Albertus Dołęga Starosrzebski sive Sobiejski vel Sobiejuski cum illustri familia masovia Srzeński proxime cognatus (conf. epitaphium Stanislai Graphi, praesert. vv. 86 sqq.), erat a. 1560 secretarius regius, deinde a. 1562 episcopus chelmensis, inde ab a. 1578 episcopus premisliensis. Obiit a. 1583.

[2] Scriptum est hoc carmen c. a. 1547. Exstat in corn. pg. 14.

[3] Corn. 111. Scriptum esse videtur hoc carmen circa a. 1560.

Epitaphia eiusdem.

III.[1]

Hic Starosrebii cineres, pars caetera vivit:
Spiritus in caelis, in terris nomen[2] honosque.

IV.[3]

Hac Starosrebius situs est Albertus in urna,
Quo nihil in terris vixit amabilius.
Flent omnes, quis notus erat; cui nosse negatum est,
Qualis erat discas: flebis et ipse virum.
(Heu quantum haud novit scilicet ille virum![4])

V.[5]

Albertus cineres hoc clausit et ossa N
Marmore; pars melior, spiritus, astra tenet.

VI.

Viximus in terris; exuti corpore in aethra
Vivimus, haec vita est, mors prior illa fuit.

---

[1] Corn. 46, ubi inscribitur „Starosrebii". Est autem procul dubio Albertus, qui vivus petiisse a Royzio, ut ipsi epitaphium scriberet, putandus est.

[2] ms. „nomenque".

[3] Corn. 154 = oss. 18. Inscribitur: „Epitaphium Alberti Starosrebii".

[4] Versum hunc poeta proximo adscripsit, ut alterumutrum suo tempore eligeret, id quod etiam vox „vel" in ossolineo libro subscripta declarat.

[5] Cuinam epitaphia V et VI scripserit R., in libris (corn. 153 = oss. 17) non adnotatur, sed ex Alberti nomine Starosrebii esse haec epitaphia suspicor. Quod si ita est, quoniam Starosrebii etiam Sobieji appellabantur, pro N in carmine V Sobiejus est reponendum.

45.

Ad VALERIANUM,

episcopum vilnensem.

I.

Hendecasyllabi[1].

Parvum, Valeriane, do libellum,
Quem nobis faciles dedere musae
Et qui splendidula leves[2] Apollo
Auras caesarie facit nitentes, —
Tam formosus Apollo quam comatus, —
Praesul, Valeriane, Vilna qualem
Unquam[3] non habuit, nec unquam[4] habebit,
Dum flabit boreas geluque terras
Constringet, fluviique, stare iussi,
Plaustris terga dabunt rigente fluctu,
Neptunoque suas negabit undas
Hirtis Vilia congelata nimbis.
    Vilnae, Valeriane, praesul unus
Supremus datus, hunc meum libellum
Laeta suscipe fronte: sic faventes
Divos experiaris, et senectam
Vincas nestoream nihilque triste
Ullis aspicias diebus olim.

---

[1] Exstat hoc carmen solum in cornic. pg. 260 sq. sub hoc titulo: „Hendecasyllabi ad Valerianum, Vilnensium pontificem ac praesulem religiosissimum". Valerianus Protaszowicz Szuszkowski armorum Drzewica praefuit dioecesi vilnensi aa. 1555(6?)—1579, imprimisque patrum Iesu ordine Vilnam accito universitateque ibi condita inclaruit. Conf. Baliński, Hist. m. Wilna I, 225;.. Kartka z dziejów Kościoła katol. w Polsce rosyjskiej. II. Biskupstwo wileńskie, Kraków 1889, pg. 11 sqq.

[2] In ms. exstat „lineis" aut „liveis".

[3] ms. „usquam".

[4] ms. „usq.".

Munus si tibi qualecunque nostrum
Acceptum fuerit, putabo musas
Nostras esse aliquid nec indecoras,
Quae te pontificem bonum piumque
Iustum pontificem Deoque carum
Delectentque iuventque. Consecutus
Istud si fuero tuo favore,
Haud me lydius aureis arenis
Pactolus beet, haud suas Hydaspes
Flavus fundat opes Tagusve dives,
Qui tartessiacis fluens ab oris
Sese praecipitat petitque pontum,
Undis auricoloribus [1] refulgens,
Flumen non Arimaspus [2] arva findens
Horrentis Scythiae lacu beato.
Haec contempsero prae tuo favore,
Praesul Valeriane, ter quaterque,
Felix, Valeriane, ter quaterque.

In stemma eiusdem [3].

II.

Aspice fulgentes stellas lunamque micantem,
Quae tenebras vincunt restituuntque diem:
Hactenus in lucem ius Vilnae praesul habebat,
Noster et in noctem Valerianus habet.

III.

Erranti dubium stellis ut saepta coruscis
Luna viatori candida monstrat iter:

---

[1] ms. „auri coloribus". Ceterum ipsum adiectivum auricolor serae latinitatis est.

[2] De Arimaspo flumine nihil tradunt antiqui; Royzius Lucani l. VII, v. 756 agi de Arimaspo flumine suspicatus esse videtur. Antiqui tantum de Arimasporum gente in Scythiae remotis regionibus fabulantur.

[3] Corn. 222 sq. = oss. 101. Valeriani Protaszewicz stemma, nomine Drzewica, continet in caesio campo lunam auream cornibus sursum erectis inter duas aureas stellas supra et infra eandem collocatas.

Sic fidei in tenebris, qua Valerianus eundum est,
  Indicat, inque polos quae est[1] via certa, docet.

IV.

Ut medias inter cum stellis luna tenebras
  Fulget et ignotas non sinit esse vias:
Lumine doctrinae sic Valerianus, aditur
  Tramite quo caelum se duce, pandit iter.

V.

Quae in caelo est, Phoebi, proprio haec[2] splendore [coruscat;
  Fert illa eclipses[3], nostra perennis erit.

46.

Ad STANISLAUM TENCINIUM
comitem
palatinum cracoviensem[4].

I.

Cur tua devitem, Tencini, prandia, quaeris?
  Alterius pedibus nolo redire domum.

II.

Non tua, Tencini, tua dum convivia vito,
  Sed convivarum vis metuenda mihi est.
Nam dum mille petunt cyathis repetuntque salutes,
  Vix mihi, vix illis una relicta salus.

---

[1] = sit.
[2] Scil. luna.
[3] = defectus (zaćmienia).
[4] Corn. 336 = oss. 256. Stanislaus Tenczyński obiit a. 1563 (Niesiecki Herbarz). In mstis. additur „virum illustrem". Conf. I, 83, v. 87; 107 v. 230; 177, v. 474.

III.

EPITAPHIUM[1].

Tencinius iacet hic. Quis tundit pectora? Virtus.
Exstinctum gaudet, dic mihi, quis? Vitium.
Presserunt oculos Charites, subiere feretrum
Iustitia et cerebro quae Iovis orta dea est.
Hoc fas defuncto „perii“ miserabile dixit;
Hoc dixit „vivo“ de moriente nefas.
Astra petit, terras linquens Tencinius imas,
Et Divum medios instat adire choros.
Exsultant superi venientemque agmine cingunt,
Et laeti dicunt carmina caelicolae
At stygia ingenti completur regia luctu:
„Hunc volui, haud[2] valui vincere“, Pluton ait.

47.

ANDREAE TENCINIO comiti
castellano belzensi
munus[3].

I liber, Andreae Tencini ad limina. Segnes
Rumpe moras placidaeque volens, age, te insere dextrae
Tencinii, quo non melior, licet usque requiras,
Sarmatia in magna est, non observantior aequi.
Multorum senium prima superasse iuventa,
Inclita laus iuveni est; pulchris sese artibus idem

---

[1] Ni fallor Stanislai Tencinii a. 1563 mortui, cui carmina, quae antecesserunt, adscripta sunt. Exstat hoc epitaphium in corn. pg. 326, in oss. pg. 257.

[2] In cornic. est, pro „haud“: „quod“.

[3] Corn. 337 sq. — oss. 258 sq. Andreas erat castellanus bełzensis aa. 1569—1576, quo anno palatinus bełzensis factus est. In mstis. additur: „viro inter polonos optimates cum primis illustri“.

Pulcher in Ausonia excoluit, peragravit et oras
Italiae, ut mores multorum nosset, et urbes[1].
Indeque, quo patriae posset prodesse, politum
Rettulit ingenium. Quod rex miratus in ipso
Flore aevi, partem magni iubet esse senatus
Atque sui[2]. Nam sunt regalis corporis artus
Illustres proceres, caput est rex. Vita salusque
Una illis, nam membra, caput nisi vivat, oportet
Occidere, et contra capitis nam expertia membra
Haud superare queunt, et caeli vescier aura[3].
    Sed quo Calliope rapit et crinitus Apollo,
Exiguum munus, rude, cassum laude ferentem?
Recta adeas, liber, et Toncini te insere dextrae.
Quaerat si, cuius sis, Petri te esse Royzi
Feturam dicas, gentis qui stemma toporae[4]
Observavit amans, coluitque coletque, micabunt
Sidera dum caelo, et titan caput exseret almum,
Lampade collustrans terras, fessasque quadrigas
Fessus et ipse volens in flumine merget Ibero.
Munus eris gratum heroi acceptumque potenti
Tencinio, nisi me cum musis fallit Apollo[5].

---

[1] Horat. Epist. I, 2, 19.

[2] Haec declarant Tencinium A. senatorem rei p. atque comitem consistorianum regis ipsius fuisse.

[3] Vv. 12—16 Tencinii animum regii imperii non satis patientem tangere videntur.

[4] Topor (ascia) est stemma gentilicium Tenciniorum.

[5] Huic carmini subscripta leguntur in mstis. haec:
„Monumentum et observantiae pignus".

48.

TARLO moriens ad regem [1].

Qui festos laetosque dies, Auguste, solebam
Sive patris quondam, seu celebrare tuos,
Barbara regales tua nunc dum sumpsit honores,
Grandaevo quoniam non licuisset idem,
Ne nil prorsus agam, terras, Auguste, relinquens,
Laetitiae ad superos nuntius ibo tuae.

49.

EPITAPHIUM CATHARINAE TENCINIAE uxoris ANDREAE TARLONIS [2].

Hic Catharina cubo stirpis Tencinia clarae:
Andreae Tarlonis eram dulcissima coniux;
Urbis [3] signa tulit, cui dat Leo nomen honestum.
Illa ego bis decies uterum natisque replevi
Tarlonum fecunda domum, longa unde propago
In multam crevit gentem, vivetque, polonae
Dum nomen stabit terris et gloria gentis.
Quattuor adieci lustris bis quina; nepotes

[1] Corn. 109. Carmen scriptum est aut ipso a. 1550 aut paulo post. Ni fallor, est Stanislaus Topor Tarlo, dapifer regis, de quo refert Niesiecki — Bobr. Herb. IX, 11. Ceterum ex eadem nobili gente hoc fere tempore et Stanislaus, episcopus premisliensis, et Gabriel, castellanus radomiensis, fuit.

[2] signiferi leopolitani, ut patet e v. 3. Exstat hoc epitaphium in corn. 361 sq., in oss. 294.

[3] Fortasse: „Qui urbis" scripsit R.

Vidi plena annis et eorum pignora felix.
Res tractare foris fortem sum passa maritum:
Sub tecto mihi cura fuit, quae recta gerantur.
Arma vir et vir equos et longas strenuus hastas
Tractabat, calathos uxori et pensa Minervae,
Pingere acu studium parvosque educere natos[1].
His curis agitans et sollicitudine vitam
Putre cadaver humi, vivendo fessa, reliqui.
Hincque anima ingratae libitinae et funeris expers,
Ad vitam properans meliorem, se intulit astris.

50.

EPITAPHIUM
HEDVIGIS NICOL. TARLONIS[2] uxoris.

Asciaca[3] Hedvigis hoc, terris rapta, sepulcro
Sum sita, Tarloni Nicolao iuncta marito.
Pace viro claro et bello Premislia forti
Signa manu dat ferre et primum tendere in hostem
Et ductare acies: illi res martia cordi.
At mihi terrori fuit olim, pectore celso
Pannoniae regina[4] truces dum sustinet iras
Turcarum, infestis signis armisque petita[5].

---

[1] scil. relinquebat vir. Sed structura durior est, adeo, ut vix Roysium ita scripsisse concedendum sit.

[2] signiferi premisliensis, ut elucet e v. 3 sq. Exstat hoc epitaphium in corn. 362 sq., in oss. 295 sq.

[3] In utroque msto. huic voci superscriptum est: „Oxanca", unde Hedvigem e domo Oksza fuisse patet. Fortasse et ipsa Tencinia fuit, sicut Catharina, Andreae Tarlonis uxor, cuius epitaphium in mstis. praemittitur.

[4] Izabella, Sigismundi I filia, Ioanni Zapolyae, regi Hungariae, nupta.

[5] Circa aa. 1541—1552.

Illi fida comes, quicquid truculentia martis
Ferret, eram, casus imbellis femina eosdem
Exspectans, mage certa mori durasque catenas
Servitiumque pati, patriam quam cernere caram
Et dulces fratres, exoptatosque parentes.
Reginae dilecta meae fuit altera si qua,
Una fui; clausos animis Isabella recessus
Et quicquid tacito servabat corde, reclusit
Haud invita mihi, sive illactabile quicquam,
Seu cecidit faustum. Haud nostros neglexit honores,
Esseve postremos passa est. Mihi regia flexit
Tota genu, et venerans multo assurrexit honore.
Me multi sociam thalami cupiere, sed unus,
Ut superis placitum est, Tarlo ad conubia flexit
Deduxitque domum. Concordes viximus una,
Non ulla nostrum turbatum est lite cubile,
Non rixave ulla. Bis sex exegimus annos;
Crevit amor semper, tristis procul abfuit ira.
Multis consumptam morbis, quos vincere nulla
Ars medica evaluit frustraque vocatus Apollo,
Eripuit me mors terris, caeloque locavit,
Conclusum nullis ubi metis vivitur aevum.

51.

EPITAPHIUM
NICOLAI FIRLEI[1].

Mole sub hac Nicolaus ego Firleius, iniquis
Ereptus fatis, iaceo. Casimirus in aula

[1] Nic. Firleius, generalis imperator exercituum Poloniae (Tomic. IV, 204 sqq.), obiit a. 1526 Lublinique in ecclesia fratrum sti. Dominici sepultus est, ut epitaphium ibidem inscriptum testatur. Exstat hoc epitaphium in corn. pg. 343, in oss. pg. 267.

Regali iuvenem primis eduxit ab annis.
Albertus mihi ferre dedit mavortia signa[1],
Ad Bucovinam steterat cum triste Valacho
Bellum inferre truci. Federici ad caesaris[2] aulam
Inde ego legatus magno de foedere mittor.
Bisque adeo ad[3] Turcas de rebus nuntius iisdem
Rege ab Alexandro missus, pacemque reporto.
Dein me Lechiades ductorem Sarmata videt[4]
Rege Sigismundo; et mediis data iussa Polonus
Audiit in castris. Mox nostro Prussia ductu
Et virtute virum regni pars facta poloni est.
Quid memorem toties fusos Moschosque Scythasque?
Hei, nisi quod scythica, fili Nicolae, sagitta
Ictus obis, nostro dum munere fungeris audax![5]
Orbasti patrem atque arcis premis arva socalae;
Nec patris infelix morientis lumina claudis.
Praestitit hoc Petrus frater, corpusque sepulcro
Condidit: aethereas repetivit spiritus arces.

---

[1] Haec indicare videntur signiferum eum in bello cum Valachis gesto fuisse.

[2] Friedericus III aa. 1442—1493.

[3] „ad" posteriore manu superscriptum.

[4] Ab a. 1515. Lechiades = Lechi progenies.

[5] Filius Nicolaus in proelio ad Socal cum Tartaris a. 1519 fortiter commisso cecidit. Conf. Cricii carmina ed. Morawski, pg. 178.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

53.

NICOLAO FIRLEIO[1]

castellano visliciensi.

I.

Librum mittit[2].

I liber et te mox Firlei in limine siste.
Rumpe moras; rebus semper mora noxia cunctis
Lenta fuit. Tempus, quo adeas, tamen ante videto,
Heroem, multas generoso pectore curas
Volventem atque animis agitantem grandibus. Illum
Dilectae patriae studium dum distinet ingens,
Vixque sinit dulci caput acclinare sopori
Et fessos artus, insomnes ducere noctes
Cogit amor patriae et regis, quibus ille per omnem
Dedidit aetatem sese, pulchrumque salutem
Obiectare suam, patriae modo consulat heros,
Credit. Quo castellano Vislicia iactat
Se illustrata novo, veteri virtute suorum
Et fama insigni, fert Dambrovicia[3] quales
Et tulit ante viros venturisque adferet annis.
    Tempus erit, misso cum venerit ille senatu.
Tunc adeas epulas inter cinctumque corona
Hinc atque hinc audax doctorum accede virorum,
Quo se hominum genere oblectat; nam doctus et ipse est
Et studiis gaudet musarum notus alumnus.
Et, „cape, Firlei, hoc nostri“, dic, „quale parentis

---

[1] Erat filius Petri. Circa a. 1569 castellanus visliciensis, postea, cum ad fidem catholicam revertisset, lublinensis palatinus factus obiit a. 1588.

[2] Carmina I—III exstant in corn. 345 = oss. 270 sq.

[3] Dąbrovica prope Lublinum urbem sita, unde Firlei genus ducunt.

Cumque venit munus, tenuesque in iure labores[1]
Addictique tibi atque tuis ne sperne Royzi.
Has oculis si forte tuis dignabere chartas
Et versare manu, pro tanto nomen honore
Ille tuum numerisque suis plectrisque sonoris
Aequabit caelo et radiantibus inferet astris".

Ad EUNDEM.

II.

Mortis in effigiem, cunctarum quae ultima rerum est,
Intendere oculos hinc puer, inde senex.
Haecque aiunt, eadem quibus haud est scilicet aetas:
„Urget cur idem mortis utrumque metus?"
Est placitum superis, mors, ne quis speret in annis[2],
Tam prope sit puero, quam prope saeva seni est.
Vis[3] hac, Firlei, posita, Nicolae, tabella[4],
Cogitet ista puer, cogitet ista senex?

III.

Hoc, quod es, ipse fui, quod sum, puer optime fies;
Qui mihi, qui cunctis; hic tibi finis erit.

[1] Construe: Et dic: Cape, Firlei, hoc qualecunque munus nostri parentis tenuesque in iure labores ne sperne Royzi. Ipsae Decisiones lituanicae fuisse videntur.

[2] Id est: fretus sit annis.

[3] Royzius scripsit fortasse: Visne.

[4] Royzius videtur Firleio tabulam, in qua haec erant depicta, misisse una cum hoc proximoque carmine, quo senex iuvenem alloquitur.

54.

Ad IOANNEM FIRLEIUM,

marsalcum regni [1].

I.

Augustum ad regem cum Sarmata convenit omnis,
In tanta populos scipio pace regit
Firlei tuus iste, pater Neptunus ut aequor
Aeoliam iussis mulcet abire notis.
Inclitus Augustus colitur rex numinis instar,
Patribus a populo iustus habetur honos,
Et sua presbyteris reverentia debita sacris
Constat, habetque decus quilibet ordo suum.
Non premit agricolam civis, non vincit utrumque
Nobilis, ut certet, plus nisi iuris habet.

II.

Scipio, Firlei, tuus arcet quicquid in arce
Regali iniustum est et sacra iura vetant.
Mercedem accipiat nisi mercenarius, istud
Iniustum nimis est et sacra iura vetant.
Hoc ego ne patiar [2], Firlei, scipio praestet,
Fac, tuus iste: et eris tu mihi Scipiades.

III [3].

Iussisti hospitium scribi mihi; scribitur. Idem
Qui scripsit, delet. Quod scelus esse putas?

---

[1] Mareschalcus regni Polon. a. 1561 creatus est. Obiit a. 1574. Erat addictus fidei calvinicae.

[2] Tangere videtur Royzius causam pensionis, quae inde ab a. 1568 ei denegabatur flagitanti. Carmina I et II exstant in corn. pg. 344, in oss. pg. 268 sq.

[3] Carmina III—V exstant in corn. pg. 347, in oss. pg. 273 sq.

Poena sit, ut, scripsit quod deinde, hoc deleat idem,
Et maneat titulus, qui fuit ante, meus.
Ille autem, hospitio qui sic variavit in uno,
Unum non habeat, quod tenet, hospitium,
Exclususque foras, mediosque extrusus in agros
Calfaciat tepido torpidus ore manus.

IV.

Sunt mihi maluśki, quos dat Samogitia[2], koni,
Quodque datum stabulum est, altius esse nequit.
Quod sit, Firlei, quaeras, vis discere? caelum.
In parvo parvi, da, stabulentur equi.

V.

Scortum, leno, latro cum fure, nefaria pubes,
Quique Deum durae fixit Apella cruci,
Hospitium reperere; dedit Varsovia tectum
Illis; si gratis non dedit, aere dedit.
Turca, Getes, Scytha, Moschus, Arabs si venerit hospes,
Et si quis forsan venerit antipodum,
Veneat his certo hospitium. Qui non dabit aurum,
Inveniet nullum, si fleat, hospitium.

---

[1] Haec carmina pertinent ad tempus comitiorum Varsoviae fortasse ipso a. 1570 habitorum. Certe spectant tempus post a. 1561.

[2] Ms. Samogithia; „maluśki koni" (sic) pro „maluśkie konie".

55.

Ad IOANNEM CHRISTOPORINUM,

castellanum vieluniensem [1].

I.

De libro suo Decisionum lituanicarum.

Christoporine, legas nostri monumenta laboris,
Quae iudex nuper Vilna meditabar in alta,
Dum populo ius dico gravesque resolvo querelas,
Cuique suum tribuens, quo non est sanctius ullum
In terris munus. Quo qui defungitur, auri
Illecebra illectus nulla precibusque, metuque
Maior, amicorum non exorabilis ulli,
Non inimicorum causis infensus, ubique
Iustus ubique aequus, recti studiosus ubique,
Iustitiae cultor. Plus hoc non utilis orbi est
Nec melior terris gentive acceptior ulli.
Excipio qui monstrat iter, quo fertur ad aras
Sidereas animus sedesque affectat olympi,
Rerum humanarum oblitus fraudisque dolique,
Mente, Deo ut placeat, meditans et pectore toto:
Hunc unum excipio, cedit, quae cetera turba est
Doctorum, studiis legum legumque peritis.
Ergo colis qui iustitiam, qui amicus honesti es,
Hoc quae argumentum tractant versantque laborem,
Christoporine, legas nostri monumenta laboris.

---

[1] Omnia haec, quae sequuntur carmina ad Christoporinum (Krzysztoporski) scripta, repetuntur ex libro, q. i. Andreae Tricesii, equitis poloni Epigrammatum liber II, Cracoviae apud Lazar. Andr. 1565. Ceterum titulus libri, cuius exemplar in bibliotheca ossolinea s. n. 17467 asservatum in usum meum vocavi, utpote evulsus et recentiore manu adscriptus, annum, ni fallor, prodit vero priorem, siquidem Niesiecki (Herbarz ed. Bobrowicz vol. I) recte rettulit Io. Christoporinum aa. 1567—1581 castellanum vieluniensem fuisse.

De Wola, aula paterna IO. CHRISTOPORINI.

II.

Est Wola Sarmatiae, Latio quae dicta voluntas,
Haec tua: mortales pascere mille potest.
Altera sed, quae oculis non est spectata voluntas,
Christoporine, Deos pascere mille potest.
Altera te terris, commendat te altera caelo;
Illa ait: „es felix“, haec tibi dicit: „eris“.

III.

Mille voluntates aliorum, est quisquis avarus,
Prae hac una spernat, Christoporine, tua.

Ad IO. CHRISTOPORINUM de eius cognomine.

IV.

Syllaba si ferret, mihi, Christoporine, vocandus,
Quod Christo es purus, Christopurinus eras.

V.

O felix nomen, cuius meminisse negatum est,
Ni Servatoris mox meminisse tui.



56.

Ad IACOBUM UCHANSCIUM[1].

I.[2]

Qui videt, Uchansci, densos in vertice canos
  Et barba, annosum te putat inde senem.
Fallitur ille nimis, qui ex canis computat annos:
  Imprudens canos aspicit ille tuos.
Cur exantlatos patriae[3] pro pace labores
  Auctores senii non magis esse putat?
Tot vigiles noctes? imposta tot acta dierum
  Tempora? nec sumptas sole cadente dapes?
Litibus implicitas lites te iudice victas,
  Quae pylium facerent Astyanacta senem?
Cura pii regis commissaque munera regni:
  Haec frangunt corpus deminuuntque tuum.
Inde tuum senium, caput hinc venerabile canis:
  Canities civem te docet esse bonum.

II.

Non tua sparserunt tibi tempora tempora canis:
  Grandior aut aetas te facit esse senem.
Ingenii, quo tu magnos is ante Platonas,
  Ingenii, non est corporis, hoc senium.

---

[1] Obiit a. 1581 archiepisc. gnesnensis. Episcopus chelmensis designatus a rege a. 1550, confirmatus a pontifice maximo a. 1552. A. 1562 archiepiscopus gnesnensis et primas regni factus est. Carmen scriptum esse videtur ante annum 1550, quo Uchanscius regis secretarius factus minoribus etiamtum muneribus ecclesiasticis fungebatur. Tum ipsum circa 40 annos natus esse videtur.

[2] Carmina I et II exstant in solo corn. pg. 108.

[3] ms. „patria".

III.

Ad EUNDEM, chelmensium episcopum,

in dominica Oculi consecratum [1].

Vicisti, gaude, Uchansci, laetamur amici:
Imposita est capiti sacra tiara tuo.
Lingua quod involvit caecis inimica tenebris,
Discussit verum nunc oculata dies.
Aspiciunt oculi sic, lucem hanc nomine dicunt,
Quo [2] tu, quo pietas, quo tua digna fides
Emicuit; qui sis, oculi cernuntque videntque
Debita virtuti praemia adesse tuae.
Imposuere papae, de te qui falsa canebant:
Nunc ille imposuit sed diadema tibi.

IV.

Ad EUNDEM,

archipraesulem gnesnensem [3].

Sacrorum, Uchansci, princeps septemque trionis
Praesul es, est cuius cultius ore nihil:
Sic tua te pietas, sic te reverentia veri
Perlexit et priscae religionis amor,
Sic constans animi, nullis cessura voluntas
Casibus, aeternum det tibi ferre decus.

[1] Scriptum carmen est a. 1552, quo Uchanscius, suspectus de fide [illegible] tribus demum annis post, quam a rege episcopus chelmensis designatus erat, a pontifice maximo Paulo IV confirmatus est. Ab a. 1557 usque ad a. 1562 episcopus cuiavensis, deinde usque ad mortem a. 1581 archiepiscopus gnesnensis fuit. Exstat hoc carmen in solo [illegible] pg. [illegible]

[2] Longe [illegible] nomina [illegible] mendum aliquod delitescit.

[3] In [illegible] carmen, quod servatur in solo cod. pg. 103 sq. [illegible] reverendissimum Iacob Uchanscium, archiepiscopum [illegible]

Sic tu, cum medio facis orans verba senatu,
Regis cor possis flectere, corque patrum,
Magnetisque instar, ferrum quacunque trahentis,
In tua dicta hominum pectora dura trahas.
Cumque doces populos suggestu praesul ab alto,
Pendeat a verbis femina virque tuis.
Abs teque accensi vitae melioris amore
Quilibet illud amet, quod prius osus erat.
Uchansci, tua sic te tollat ad aethera virtus,
Sic tua fama volet docta per ora virum.
Sic ortus, sic occasus te norit, ut arctos,
Sic norit medio quae[1] calet ora die.
Si vacat, iratae nostrae lege carmina musae,
Qualia vel possit scribere potor aquae.
Inviso capiti quam sum mala multa precatus[2],
Uchansci, veniant tam bona multa tibi.

57.

Ad NICOLAUM NARUSCHOVICIUM[3].

Naruschovicio, materna ut prodiit alvo,
Iniecit virtus et tenet usque manus.
Haud illum linquens inter cunabula quondam,
Ipsa inter praesens ludicra semper erat,
Et quicquid primis egit iuveniliter annis,
His virtus praesens omnibus usque fuit.

[1] Ms. exhibet. „ . . norit in medio qua . ."

[2] Misisse ei videtur suas Diras in pontificis max. hostes. Conf. I, pg. 263.

[3] Nicolaus Narussewicz, armorum Wadwicz, filius Nicolai, magni thesaurarii Lituaniae, erat castellanus Samogitiae. Idem in pugna ad Ulam (a. 1568?) centum equites suo sumptu armatos habuit multumque ad victoriam reportandam contulit (Niesiecki VI, 524).

Virtus, quae infantem, puerum, iuvenemque virumque
Fovit, non olim deseret ipsa senem.
Inque dies illum e cunis comitata supremos,
Cum vivo, ut vixit, concidet in tumulo.
Proque illa surget, quae mortem nesciat ullam,
Fama, tuum nomen quae super astra ferat,
Quod post fata olim lituano vivet in orbe,
In mare dum rapidas Velia volvet aquas.

58.

Ad IOANNEM KOSTKAM,
castellanum gedanensem[1].

Ni promissa mihi nuper mittatur avena,
Deficiet quadrupes me deficiente crumena.

---

[1] Castellanus gedanensis usque ad a. 1574, deinde palatinus sandomiriensis (Niesiecki I, 286; V, 294 sqq.). Ceterum in ossolineo ad titulum haec insuper addita sunt: „pro undecim equis verbis petit undecim“. Sed haec posteriore manu deleta sunt.

59.

Ad STANISLAUM CARNCOVIUM[1].

* De lignis mittendis.

I.[2]

Sic tua, Carncovi, cingat diademate praesul
Tempora romanus det bifidumque pedum,
Coepisti ut lignis tristem depellere brumam,
In silvis edit quae tibi vastus ager.
Continua largusque iube, promissa vehantur
Ligna mihi, aut iubeas, me mala mactet hiems.
Hocque iubere cave, ne, si me frigore perdat
Bruma suo, mortis sis reus ipse meae.

II.

Ni promissa mihi, Carncovi, ligna vehantur,
Te de lethaeo fonte bibisse putem.

III.

Territat hinc pestis gravis, inde annona fatigat,
Contristatque gelu nos glacialis hiems.
Aere famem pulsem, pulsem medicamine pestem,
His vitae certam ferre licebit opem.

---

[1] Carmina, numerorum notis I—III signata, exstant in libro corn. pg. 104 sq. pertinentque ad tempus, quod antecedebat proxime a. 1567, quo Carncovius episcopus cuiaviensis factus est. Royzius tum Vilnae habitavit.

[2] Carmina de Carncovio exstant solum in libro corniconsi. Ea ad temporum rerumque rationes digesta hic propono. Stanislaus Karnkowski, Royzii in academia cracoviensi discipulus, fuit eo tempore, quo Royzius in Lituania degebat, secretarius regis et referendarius regni. A. 1567 creatus est episcopus cuiaviensis sive vladislaviensis; post mortem Royzii a. 1581 archiepiscopus gnesnensis factus est. Laudibus, quibus eum ornat Royzius, dignissimus erat.

Haec, scio, quo pulsem, sed non quo frigora, quando
Rex vetat in silvis ligna secare suis.

* Ad EUNDEM factum
episcopum cuiaviensem.

IV.[1]

Carncovii, meritos iamdudum praesul honores
Laetus ini solioque volens succede supremo
Cuiaviae, sumptoque pedo, diademate fulgens,
Iactataeque Petri cymbae succurre fretique
Surgentes compesce minas, qua se Aeolus audax
Miscet, agens late rapidis maria omnia ventis.
Has haud te accitum ad sedes sine numine Divum
Crede; suos templi ritus, sua tura negari
Contemptasque situ squalere et sordibus aras
Indignantur, amantque olim retinerier[2] usus
Longo servatos[3] aevo, nil demere templis,
Quod pietas hominum, non terris dedita cura[4],
Largita est. In quae Divorum oblita rapaci
Posteritas dextra ruit et saevo impete fertur,
Omne nefas audens animo, fas iuraque turbans.
Intemerata omni dum terris floruit aevo
Religio: et prisci valuit reverentia saecli[5].
Ritu quisque suo Divos colit, omnia sensus
Humanos sortita serunt mala dogmata terris,
Impiaque audaci hoc faciunt certamina saeclo.
Sic Christi responsa Dei praeceptaque[6], celso

---

[1] Hoc carmen exstat in msto. corn. pg. 109—111, scriptumque est ipso a. 1567, ut eius primi versus declarant.

[2] ms.: „retincier" ?.

[3] ms. „servatus".

[4] ms. „curra" (?).

[5] Mallem scripsisset Royzius: Largita est, omni dum terris f. ae. R....... saecli Intemerata. In quae . . . turbans. Ceterum in msto. vv. 16 et 17 uncis inclusi sunt.

[6] ms. „praecoptaque".

Missa polo, haud iisdem stringit sententia rebus[1].
Hic ait, illo negat; distinguit hic, ille refellit
Et sensus trahit in varios. Quod comprobat unus
Extollitque, alii magno excepere cachinno.
Turpe rati sectari alios contraria torquent,
Inque vicem nectunt solvunt. Non candida nigris
Pugnant iuncta magis secum, solique cadenti
Est oriens propior, nitidis lux unde quadrigis
Vecta aperit terras, septemque opposta trioni
Adversatur hians medii minus ora diei,
Quam se inter concors sacrorum interpres honorum,
Ille huic, hic illi, tanquam hic hoc[2] caelitus atque hic
Auribus acceptum caelo didicisset aperto.
Sic sua contendunt dictis meliora protervis,
Concedens aliusque alii nihil, omnia sancta
Iudice se, quae fatur[3], ait contraria Divis,
Digna ratus, saevo quae iratus Iuppiter igni
Vindicet, excelsa fulmen iaculatus ab aethra,
Audentesque nefas tantum Phlegethonta sub imum
Sulfureis demergat aquis et morte perenni
Disperdat; sua sola polo, suaque aethere digna,
Attolli caelo superasque evadere ad auras,
Aeternoque frui Divorum in sedibus aevo, —
Cum nihil indignum caelo magis et magnis Dis.
    Hos tu discordes coetus, haec iurgia saeva
— Cuiaviae summos, Carncovi, nactus honores
Nosce tuum munus — patriis procul eice terris.
Turbarint sat templa Dei, sacrisque profana
Miscuerint, tempus iam nunc, furor iste quiescat.

---

[1] „Iisdem rebus" idem valere videtur atque „eadem interpretatione", si locus integer est.

[2] Addidi „hoc" ad explendam versus mensuram.

[3] sc. alius sancta esse.

V.[1]

Qui dedit illustrem gemmis tibi ferre tiaram,
Det Deus et Petri posse videre dies.
Non satis hoc Petri est: det et inclita pectora Petri,
Prava quibus damnes dogmata, iusta probes
Haereticosque domes vinclis et carcere caeco;
Te duce grex rectum tendere discat iter,
Quod ducit Divum ad sedes aeternaque caeli
Gaudia, non ullis interitura modis;
Limite se sistat iusto, procul avia linquat:
Pontifici populus debeat ista suo.
His bene defunctus, Carncovi, accitus ab aethra,
Magno olim natu, sidera serus adi:
Cuius duret honos aevum celebratus in omne,
Istula dum rapidas in mare volvet aquas.

VI.[2]

Illa gregis pestis, rictu metuendus et ungui,
Agnos terrebat martius ante lupus.
Quid non fert aetas? Agnus te praesule victor[3]
Saevos, Carncovi, territat ore lupos.

* In stemma EIUSDEM.

VII.[4]

Stemma Dei mitem praesul Carncovius agnum
Fert; idem simili de grege pascit oves.
Et videt errantes si quas procul ire, reducit,
Et iubet in Christi pascua ferre pedem.

---

[1] Conf. corn. pg. 116—118.

[2] Ibidem.

[3] Tangit eius stemma gentilicium Iunosza, agno insignitum.

[4] Epigrammata VII—IX ad Carncovi stemma Iunosza referuntur. Conf. corn. 116—118.

Infestosque lupos caulis hic ut arceat audax[1],
Aut alia est pecori noxia si qua fera,
Non dubitat dulcis discrimen adire salutis
Pro grege: pastorem hunc dixeris esse bonum.

VIII.

Sum mitis, nemo timeat mea cornua iustus:
Illa bonis non sunt, sunt metuenda malis.

IX.

Fronte petit sontes, parcitque insontibus agnus:
Hanc iubeo legem stemmatis esse mei.

De EODEM[2].

X.

Imas oblitus terras Carncovius, altum,
Cogitat, in caelum qua teneatur iter.
Cogitat hoc noctes, opus hoc intentus in unum,
Hoc totos praesul cogitat ille dies.
Hoc iter ostendit populis, est credita quorum
Cura sibi, hoc vero ex dogmate monstrat iter.
Quoque magis queat hoc, illi schola[3] nuper aperta est,
Quae pubem patriam non sinat esse rudem,
Postmodo quae insanis pulsis tua, maxime praesul,
Edoceat populos dogmata, dogmatibus[4],
Carmineque attollat romana palatia caelo,
Sacraque perficiat romula sola coli.
Artibus his qui pascit oves, Carncovius, unus
Verus — iure potes dicere — pastor hic est.

---

[1] Metri causa haec vox huc transponitur; proprie pertinet ad verba „non dubitat".

[2] Corn. 116–118.

[3] Scholam studiosae iuventuti erudiendae Carncovium aperuisse inde elucet. Wojcicki (Encykl. pow. XIV, 155) aluisse eum tantum pauperes iuvenes in arce vladislaviensi refert.

[4] Durius a „dogmatibus" divelluntur metri causa verba „insanis pulsis".

XI.

Cuiaviae praesul, cuia avia perdere cura est
Dogmata, quae patrum deseruere viam,
Sic cleri vitam formare, canentis ad aras,
Nititur atque suum sic moderare gregem,
Carnis ut illecebra, mundo et cacodaemone victis,
Solum mente Deum cogitet, ore sonet.

In EIUSDEM culina[1].

XII.

Ingredere esuriens, satur hinc egressus abibis:
Haec parcas nescit larga culina manus.

In FEBRIM.

XIII.[2]

Febris abi: vin pontificem, qui caelitus igni
Misso ardet totus, tu violare tuo?
Frigentes tu pontifices, stant pectora quorum
Tarda gelu, misso hoc ignibus ure tuis.
Ignibus ure tuis, illis se sirius addat,
Huic sat flagranti non opus ignis erat.

XIV.[3]

Ecquid pessima tertiana febris
Sacrum pontificem tuis profanis
Audes ignibus et gelu maligno
Bis terve urere, et avocare templis
Divorumque sacris? dies volutat
Qui noctesque simul[4], patrum revolvens

---

[1] Corn. 112, ubi huic carmini haec superscribuntur: In culina Stan. Carncovii, episcopi cuiavien.
[2] Corn. 118.
[3] Corn. 118 sq.
[4] ms. „quae noctesque simo".(?)

Sanctorum canones piosque ritus,
Quos ecclesia stans Apostolorum
Sanxit, constituit, tenere iussit,
Quos ecclesia nunc cadens iensque
Pessum, praedita dyscolis ministris,
Ignavo populo malaeque frugis,
Detractat, velut improbus iugum bos
Et frenos equus insolens. Volentem
Volventemque animo manuque promptum,
Rebus iam iam initis probeque coeptis,
Hoc aevo revocare praesulemque
Aris reddere[1], tun tuis profanis
Audes ignibus et gelu maligno
Bis terve urere et avocare templis?
Quin compesce tuas faces, retroque
Gressum fer melior; tuo recessu
Nostro pristina praesuli revertet
Abs te laesa salus, serena frontis
Porrectae species nitorque vultus.
Vladislavia, Pomeranus omnis
Gaudebit populus tuo recessu,
Omnes tura pii dabunt canentque
Hymnos Caelitibus, rosasque templis
Spargent et violas thymumque fragrans[2].
I, gressu propera febris citato,
Nostro praesule tam procul relicto,
Est quam solibus ustus Indus oris
A nostris procul, et cadente phoebo
Et septem medius dies trione.

---

[1] Iunge: volentem volventemque animo hoc aevo revocare reddereque praesulem aris. Praesulem igitur dixit ἀπὸ κοινοῦ, ut grammatici volunt.

[2] In meo apographo cornicensis libri est „flagrans".

[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
M[illegible] pascua qui gregi [illegible]
Haud [illegible]
[illegible] limpidulis aquae fluentis
Crystallo similes, sapore grata
Ad caecum grave olentis haud lacunae
Comminus patitur greges adire.
Hos quin voce vetat, pedo coercet
Respectans, Pius [2], Albulae fluentum
Qui remis secat et Petri carinam
Vectat clavigeri, quid ore fando,
Quid scripto, tacito quid ille nutu
Vult factum, sacra iussa quae capessat.
Tali praesule te, sibi dolebant
Quem raptum prope horridos per aestus
Ardentis febris, esse restitutum
Divum numine pristinae saluti
Gaudent. Sis utinam diu superstes!

---

[1] Corn. 119 sq.
[2] Pius V aa. 1566—1572.

Hoc ecclesia gaudeat, fruatur,
Multos aspiciens tuum per annos
Praeclarum regimen, Dei quod aras
Foedo vindicet a situ, suaeque
Luci restituat, fuit priori
Aevo quae, Petrus alta cum regebat
Olim romula templa, cui volenti
Caeli ianua protinus reclusa est.
Haec perpende animo tuo sinuque
Carncovi, bifidae decus tiarae,
Et coeptum teneas iter, decoras
Laudes hinc habiturus, ulla vincant
Quas nec tempora nec perenne saeclum.

XVI.[1]

Quin edis canones tuos perennes
Leges Cuiaviae tuae futuros?
Sancto Flamine quos et architecto
Et doctore tui gregis ministris
Es nuper fabricatus et tulisti,
Carncovi, decus infulae bicornis,
Splendor pontificum salusque cleri,
Sidus Sarmatiae tuae decorum,
Quin edis canones tuos? regantur
Divum templa quibus, quibus sacrorum,
Praeses, presbyter excitus relinquat,
Serpens exuvium velut senectae,
Vitae dedecus et nefas prioris:
Et purus sceleris sit atque putus[2],
Exemploque suo tuoque ductu
Lenique imperio gregem palantem[3]

---

[1] Corn. 120 sq.

[2] „putus" in versus metrum non quadrat, falso enim paenultima longa hanc vocem usurpasse videtur Royzius etiam cornic. pg. 99, v. 86.

[3] „pălāntem" inusitate, quamquam iam Graeci in paenultimo pede nonnunquam spondeo pro trocheo utebantur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

XIX.[1]

Ad EUNDEM

librum mittit[2].

I liber, i properans, ingens mea cura, polono
In populo stabiles et tibi quaere domos.
Ne vero pereas, tectis exclusus, in agris,
Haec mea, dilecti iussa parentis, habe:
Hinc ubi Sarmatiae ductus pervaseris oras,
Cuiaviae, quaeres, nunc ubi praesul agat.
Quem puto, si nescis, praesul Carncovius ille est,
Principibus fama notus in orbe viris.
Sat scio, ne dubites, tibi erit conclave paratum,
Namque domus musis omnibus illa patet.
Ante tamen dominum quam supplice voce salutes,
Respice, communes res et an hora sinant.

---

[1] In libro msto. cornicensi pg. 95 praescribuntur huic carmini haec: „Ad religiosissimum antistitem Stanislaum Carncovium, Vladislaviae et Pomeraniae episcopum, patronem suum observantissimum (sic, non „observatissimum" ubique in corn.) Petri Royzii Maurei Hispani, Sigismundi Augusti, Polonorum regis, iurisconsulti, Vilnae ad D. Stanislai custodis et Ioannis Baptistae archipresbytori Otiorum liber tertius". Continentur autem illo Otiorum libro omnia carmina, quae nominatim Carncovio adscripta hoc loco supra edidi, et praeterea multa alia. Neque dubitandum est, quin eius modi liber, qui inter alia praesertim carmina illa ad ipsum Carncovium pertinentia, quae supra proponuntur, complexus esset, re vera missus sit ad Carncovium circa a. 1570, quo tempore Royzius in dantiscana legatione, cui Carncovius praefuit, iuris consulti regii munere fungebatur. Sed cum neque, quo loco liber desinat, in cornicensi notatum sit, et quaedam, ut carmen Ad Gomesium, illi libro infuisse vix sit credibile, cum praeterea etiam duorum librorum, qui illum praecedunt in msto., ratio admodum sit incerta, satis habui de libro adnotare, Carncoviana vero inde electa ad meam rationem digesta proposui. Quorum agmen hoc carmen claudit, quamquam in cornicensi primum occupat locum, videtur enim potissimum post illa scriptum esse.

[2] Liber ipse missus et hoc propempticon scriptum est post diem 23 mensis Augusti a. 1569, quo tempore Royzius custos cathedralis vilnensis est creatus. Leguntur haec in libro corn. pg. 95—98.

Si gravibus premitur rebus, velut assolet ille,
Cui rutilum cingit sacra tiara caput,
Cuique salus patriae curae est, respublica cara,
Quemque tenet priscae religionis amor,
Circumsta tacitus, gressus [1] preme; liber ut illis
Exstiterit, digitis oscula fige sacris.
Quod si forte rogat, qui sis? aut veneris unde?
Quis genitor? vitae quis status? aut quid aves?
Dic: „sum Royzii partus, demissus ab oris
Vilia ubi Vilnae pergama cingit aquis [2].
Ignotum tibi Royzii non censeo nomen,
Nam tua castaliis ora rigavit aquis [3].
Hospitium supplex rogito, susceptus ut inter
Iucundos a te perlegar ipse libros.
Auxiliumque peto contra mordacia linguae
Verbera, quae metuo parvus acerba nimis,
Is siquidem rerum status est, ea tempora, nemo
His, licet innocuus, liber ut esse queat.
Omnibus et prodesse paro nec laedere quemquam,
Et quamquam penitus casta thalia mea est,
Non tamen effugiam [4], quia nulli contigit unquam,
Quae vomit in partus invida turba novos".
Haec ubi cognorit praesul, confide, benigne
Annuet et large, quod petis, ipse feret.
Nam scio, musarum quanto teneatur amore,
Quamque tui cupiat volvere scripta patris.
Ut vero videas, quantis virtutibus auctus
Clareat, haec patris dicta monentis habe.
Mentis opes auget patrum monumenta revolvens,
Percurrit, quicquid pagina sacra tenet.

[1] Ms. „pressus".
[2] Royzius, utpote archipresbyter aedis Sti. Ioannis, in aedibus parochialibus ad arcem inferiorem aquis Viliae atque Vilnae cinctam tunc habitavit.
[3] St. Carncovius enim Royzii discipulus in universitate Cracoviensi (1542—1550?) fuit.
[4] Scil. eam turbam.

Suscipit immensos gratanti mente labores,
Vulgus ut indoctum numina vera colat.
Divinos sacris templis inducit honores
Ignarosque docet caelica iussa sequi.
Algentes superi facibus succendit amoris
Et priscae ostendit religionis opes.
Sacrilegos reprimit totis conatibus ausus,
Quos parat in Christi turba profana gregem.
Correptos furiis variisque erroribus actos
Ad veram revocat non sine laude fidem.
Corrigit errores, quos vulgavere luperci
Obscoeni nuper, dedita turba gulae[1].
Blasphemosque premit Cacos tripliceinque Chimaeram,
Pestes[2] haereseon Flaminis ense necat.
Quid remoror multis? totus defixus in illo est,
Clareat ut pietas religioque Dei.
His ubi distentum cernis, discede parumper;
Ast vacuum curis laetus adito virum.
Legerit hic si te, ut spero, lectumque probarit,
Omnibus immensi numinis instar eris[3].

---

[1] Adamitarum sectam tangere videtur.

[2] Ex msto. transcriptum habui: „postes". Ad „Flaminis" notionem conf. pg. 173 XVI, v. 3.

[3] Omnes summam tibi tribuent auctoritatem.

c.

AD CETEROS POLONOS[1].

1.

Ad ANTONINUM medicum[2].

I.

Antonine venis si quando accitus ad aegrum,
Me male cum fixit febris anhela toro,
Ingressus laeto perlustras lumine cellam,
Invento salve dulce refersque tuum.
Me hinc verbis mulces placidis et pectore sancto
Solaris, das spem, laetitiaque reples.
Post medicas te deinde tuas componis ad artes,
Altius Hippocrates et meditare tuos.

---

[1] Carmina huc pertinentia ad ordinem, quem dicunt alphabeticum nominum, quibus inscripta sunt, disposui.

[2] Ioannes Antoninus Cassoviae in urbe Hungariae natus, in universitate cracoviensi atque patavina medica arte eruditus, fuit medicus Sigismundi I et Sigismundi Augusti, Poloniae regum. Non solum libros ad medicam artem pertinentes, sed etiam poemata scripsit. Amicitia coniunctus erat Petro Tomicio episcopo, Ianicio poetae, Erasmo Rotterdamensi, Ioanni Langio Silesio, et, ut haec carmina indicant, Petro Roysio. Conf. Ianociana I, IX; Józef Majer, Encykl. powsz. I, 964 sq. Carmina I et II exstant in corn. pg. 48.

Non opus his; satis est, valeo, Antonine; quiesce,
Nil restat, quod agat iam tuus Hippocrates.

II.

Inter curandum mala nostra interque medendum,
Antonine, chori splendor apollinei,
Hippocratis duo verba, duo[1] si verba Galeni
Addideris, misces octo decemve Dei.
Haec tua sanandi, haec ratio, Antonine, medendi est;
Semper eunt multo pharmaca mixta Deo.
Sanas oranti similis similisque medenti
Oras; es Paulus mixtus et Hippocrates.
Non ipsis fidis tantum, Antonine, medelis,
Quantum, a quo est omnis vita salusque, Deo.
Sic cedunt morbi, sic spes fugitiva revertit,
Et redit ad miseros iam prope victa salus.

III[2].

Mors per Sauromatum populos grassatur et urbes,
In nostrumque ferox itque ruitque caput.
Non robur viridesve anni, non firma iuventa,
Contra non aetas acrior ulla valet.
Tu nisi succurris, nisi morti te obicis unus,
Antonine, actum est: mors iugulanda tibi est.

IV.

EIUSDEM EPITAPHIUM[3].

Clausus Ioannes hac Antoninus in urna est,
Ille machaonia vir venerandus ope;
Ille manu doctus nostris occurrere morbis,
Et facilem vitae ferre cadentis opem;

[1] „Duo" ultima longa usurpat, poetas posterioris aevi secutus.

[2] Corn. pg. 61. Scriptum esse videtur hoc carmen a. 1543.

[3] Carm. IV et. V exstat in corn. pg. 313, in ossol. pg. 220. Tradit Ossoliński (Wiad. hist. krt. II, 268) versionem polonam libri Schnebergiani ab Ioanne Antonino confectam prodiisse Cracoviae a. 1569. Quae huius libri editio, si prima fuit, Antoninus post a. 1569 decessisse videtur.

Ille manu felix, per quem, qui acheronta tenerent,
Milia multa virum munera lucis habent.
Per quem laeta olim servata filia matre,
Laetaque servato filia patre fuit.
Per quem natorum canos[1] videre parentes,
Caraque vidit avi grandior ora nepos.
Per quem ploravit deserto nulla cubili,
Successit viduo nec nova nupta toro.
Debuit huic infans, puer huic, huic grandior aetas,
Morborum immunis scilicet huius ope.
In cuius manibus senium vir vidit et annos
Non sensit vires attenuare suas.
Curva nec incumbens innixa senecta bacillo est,
Aegra manus tremulos nec tulit aegra pedes.
Nos ille eripuit leto, nos ille valere,
Ille sua longum vivere fecit ope.
Quotque genus mortale tulit, produxit in annos,
Et nisi decrepitos nesciit urna senes.
Ergo salus, quis cara sua est, lugete; salutis,
Exstincto medico, portio magna perit.

V.

De EODEM.

Mors Antoninum quid nobis tollis? ademptum
Et mittis demens in nemus elysium?
Non metuis, revocet ne animas in corpora tantus
Et spoliet medicus manibus elysium?

[1] scil. crines.

2.

EPITAPHIUM
IOANNIS ANDREAE medici[1].

Clausus Ioannes Andreas mole sub ista est,
A cuius regum vita pependit ope.
Cara salus regum quibus est, lugete, salutis,
Exstincto medico, portio magna perit.

3.

EPITAPHIUM
BORATINI[2].

Conditur hac heros fortis Boratinus in urna,
Quo vivo victor Sarmata semper erat.
Vixisset, vicisset adhuc. Sed vincet, at illo,
Illo olim vivo promptius istud erat.
Cum vixit Boratinus, erat victoria certa,
Defuncto hoc mars est omnis in ambiguo.

---

[1] Corn. 373 = oss. 314. Nihil de eo repperi apud Oettingerum.

[2] Corn. 45. Procul dubio est Ioannes, capitaneus rohatinensis, vexillifer premisliensis, qui in bellis contra Valachos Moschosque, deinde in bello, quod Ioannes Zapolya, Hungarorum rex, contra Ferdinandum, Romanorum regem, gessit, virtute inclaruit (Niesiecki — Bobr. Herb. II, 235 nn.).

4.

Ad GREGORIUM CERVINUM,

canonicum mednicensem, collegam suum [1].

I.[2]

Cerve vale, multosque superstes vive per annos;
Quas bene dispensas, te comitentur opes.
Et rerum plenus fortunarumque perenne
Aevum agita, et laetum vivere semper ama.
Haec tibi pro hospitio et pro magnis piscibus opto:
Quae exoptem pro animo, non habet aula Iovis.

II[3].

Larga manus caros, Cerve, tua pascit amicos;
Te Christi o utinam pascat amica manus!

5.

* De CHMURA[4].

Quid Chmura deliquit, qui pro capone voravit
Cornicem, vafri captus ab arte coci?

---

[1] Nam et ipse Royzius fuit canonicus mednicensis. Carmina I et II post a. 1552 scripta sunt, paulo enim post eum annum Royzius in Lituaniam sedem suam transtulit et deinde canonicus mednicensis ante a. 1561 factus est.

[2] Corn. 234 = oss. 114.

[3] Corn. 238 = oss. 118. „Cervĕ" in caesura semiseptenaria.

[4] Corn. 366 = oss. 302. Carmen hoc in mstis. caret titulo. Chmura ille etiam ab Io. Cochanovio carminibus carpitur (Dzieła tom I, Przemyśl 1857, pg. 230 sq., 245; wyd. pomnik. II, 358 n.).

8.

Ad IUSTUM LUDOVICUM DECIUM,

Constantia uxore ducta[1].

I.[2]

Iuncta tibi, Iuste, est uxor Constantia; iustus
Constansque es, tantum qui modo iustus eras.
Et tibi quae iuncta est, facta est Constantia iusta,
Quae tantum constans te sine, Iuste, fuit.
Non ergo thalamo uxorem coiisse virumque,
Virtutes dicam sed coiisse duas.

II.

Ad IUSTUM[3].

Carmen Ioanni Decio me scribere, Iustus
Frater amat. Iustum[4] quid nisi Iustus amet?

---

[1] Iodocus sive Iustus Ludovicus Decius, filius Iusti Ludovici Decii, cuius epitaphia supra proponuntur. De quo confer. Ianoc. I, XXII, obiit a. 1567 aut 1570 (Bartoszewicz, Encykl. powsz. VI, 885. Ks. I. Bukowski, Dzieje reformacyi m Polsce II, pg. 179).

[2] Corn. 370 = oss. 309.

[3] Corn. 364 = oss. 298. Iustus Ludovicus Decius (Dyecz) pater habuit tres filios: Iustum Ludovicum Decium, ad quem haec carmina pertinent, Ioannem, qui mortuus est a. 1554 (vide infra eius epitaphia), et Ludovicum, qui obiit a. 1576. Conf. Ks. I. Bukowski l. c. I, 179.

[4] iustum neutro genere, ut indicat „quid", nam dicit: quid Iustus amet, nisi iustum?

9.

IOANNI DECIO

EPITAPHIA[1].

I.

Clausit Ioannem Decium hic mors invida, nomen
Ingens fama viri vindicat a tumulo.
Doctorumque per ora virum fert usque refertque,
Ut dicas nulla posse perire die.

II.

Quod mortale fuit, corpus tegit urna, nequivit
Quod capere, it nomen docta per ora virum.

III.

Parva meos cineres capit urna, sed ilicet ingens
Nec tellus nomen, nec capit aethra meum.

IV.

Haec condit cineres brevis urna, sed inclita caelo,
Nescia fama mori, condidit ante caput.

---

[1] Corn. 364 = oss. 298 sq. Obiit Ioannes a. 1554.

Quod datur, unde tulit nomen Chmura, nube sub atra,
Capo sit an cornix, cernere non potuit.

6.

EPITAPHIUM
ALBERTI CRISSII[1].

Orator reges adii, tua iussa secutus,
Tanquam Mercurius, rex Auguste, tuus.
Contigimus dextram moderantis romula regna
Alteriusque, orbem qui regit occiduum.
Sceptrorumque potens Carolus nos audiit, Indis
Qui leges, leges qui dabat Hesperiis.
Illeque rex hominum, summus pater urbis et orbis,
Ad flavas aditus est mihi Thybris aquas.
Cum nihil in terris posset contingere maius,
Ardua, nil humile dum iuvat, astra peto.

---

[1] Corn. 107 sq. Albertus Prawdzic Kryski, succamerarius plocensis, capitaneus dobrinensis et mlaviensis, multum in aula regia versabatur secretariique regii munere fungebatur. Qui cum doctus esset iurisque peritus, saepe legatus a rege Sigismundo Augusto adiit pontificem maximum, Carolum V, Hispanias, Britanniam (Conf. Górnicki, Dzieje kor. pg. 86, Sanok 1855). Obiit a. 33 vitae agens (post a. 1556). Scripsit de eius morte etiam Io. Kochanowski polono carmine (Kochanowski, Dzieła, tom I, Przemyśl 1857, str. 227) (Niesiecki — Bobr. Herb. V, 405).

7.

EPITAPHIA IUSTO, patri[1].

I.

Carmen nemo meo inscribat funebre sepulcro,
Quae gessi, vice sint carminis illa mihi.

II.

Non posco nostras indici marmore laudes,
Rerum, quas gessi, fama sat una mihi est.

III.

Carmen ament alii tumulo superaddere; nobis
Doctorum laus est ire per ora virum.

IV.

Iusto iusta licet post mortem debita laus est
Carmine, malo tamen me mea fama canat.

---

[1] Corn. 364 = oss. 298. Est Iustus Ludovicus Decius, oriundus ex Alsatia, qui a. 1520 secretarius Sigismundi I regis, deinde procurator salinarum vielicensium fuit, et inter alia Miechovitae Chronica polona edidit. Obiit a. 1545. Conf. K. I. Bukowski, Dzieje reformacyi w Polsce I Kraków 1883 pg. 91 sq. Cricii carmina ed. Morawski, pg. 78.

Credo sed, aggredimur nostro te carmine frustra,
Quale potest coctae scribere potor aquae.
Redde uni vinum cenae, et nisi deinde sequentem[1],
Carminibus dignam fecero, deme decem.

IV.[2]

Languebam morboque haesi vix ossibus aeger,
Aegra animi virtus, corporis aegra fuit,
Grata mihi dum vina negas, cerealia tantum
Concedens mensis pocula cocta meis.
Reddidit ut tua mi nunc indulgentia vinum,
Aegra valetudo corpore pulsa fugit.
Pulsa animo vires rediere rigorque, — quid? inquam,
Cum vino vitam restituisse puta[3].

V.

Augustus, qui sceptra fero, debere labori
Maureum volui nil, Ephorine, tuo.
At quia, dum moneo, quod et est, se dixit egenum,
Pro doctore adsum vas[4], Ephorine, meo.

12.

EPITAPHIA
E R A S M I, abbatis[5].

I.

Quae modo clara fuit tumulo notissima Vandae,
Istuleas surgens Mogila propter aquas,

---

[1] scil. cenam.
[2] Carmina IV et V ibidem.
[3] Omittit subiectum pronominale constr. acc. c. inf., ut saepe.
[4] Vas (vadis) cum brevi a usurpaverunt antiqui.
[5] Mogilensis sive Clarae tumbae. Corn. 370 = oss. 309 sq.

Nunc facta obscura est, quoniam splendoris Erasmus
Secum quicquid erat abstulit in tumulum.

II.

Verbo olim, vere nunc claram hanc dicite Tumbam,
Clausum quippe iubar intus Erasmus habet[1].

13.

Ad PAULUM GLOGOVIUM[2].

I.[3]

Sic amo, Glogovi, te, sic te diligo, nostro
Ut contra facere non sit in arbitrio.
Quis mihi vim faciat, Glogovi, forte requiras?
Tu: faciunt mores candor et iste tuus.

II.[4]

Glogovi, vellem, o vellem tibi multa precari,
Fortunas et opes pontificasque mitras.
Talia sed caro quicunque precatur amico,
Perdere vult, solvi vult et amicitiam.
Alta petit sublimis amor, descendere nescit:
Fortuna aequalis servat amicitiam.

---

[1] habet = habitat.
[2] Is erat decanus plocensis poetaque (Conf. Chiliast. 317 sqq.).
[3] Corn. 28.
[4] Corn. 71.

14.

Ad GORECIUM[1].

Nomen dant montes tibi; nasci ex montibus aurum
Non nescis; montes ergo reclude tuos.
Pauperiemque leva nostram data iussa secutus
Illius, Martem qui superare queat.
Quo victore meis motantibus ora camenis
Exsultans numeris arma virumque canam[2].

15.

Ad LUCAM GORNICIUM[3].

Ornat Sarmatiam Lucas Gornicius omnem,
Cum canit ionia carmina docta lyra[4];
Idem componit numeris cum verba solutis,
Vestit Sarmatiam, despoliat Latium.
Tullius Arpinas hoc si post funera discat,
Eloquii hunc dicat, se neget esse patrem[5].

---

[1] Corn. 337 = oss. 257.

[2] Gorecius est fortasse Leonardus, illius aevi historiographus. Illum, qui Martem superare queat, esse Lascum, adnotavit minutis litteris in margine ossolinei is, qui librum scripsit. Quod si ita est, Gorecius Alberti Lasci (conf. pg. 133 sq.) thesaurarius fuit.

[3] Corn. 291 = oss. 185.

[4] Conf. Ovid. IV, 10, 50. Lyrica Górnicii carmina praeter unam elegiam in uxoris mortem conscriptam typis evulgata non sunt, laudantur tamen etiam ab Io. Cochanovio.

[5] Starowolski (Script. Polon. Hekatont. n. XX) praeter alia prosa oratione scripta etiam Rhetoricam polonam a Górnicio compositam esse memoriae prodit.

16.

* De libro IACOBI GORSCII de genere dicendi ad Phil. Padnevium r. P. procancellarium[1].

Accipe, Padnevi, nec dedignere libellum,
Sarmata quo linguam formet et eloquium.
Ingenium, fateor, pietas tuaque inclita virtus
Isto, quo nunc es, te posuere loco.
Sed nisi dicendi coluisses sedulus artes,
Credo, decus nactus serius istud eras.

17.

De LAURENTIO GOSLICIO[2].

I.

Goslicio bene stat cerebrum nec carmina sordent
Bellula. Quod Phoebus arcipotens dedit huic[3].

II.

Iuris consultus, vates, orator; in ipso
Haec tria sunt Divum numina Goslicio.

---

[1] Ex libro Iacobi Górski De genere dicendi, Philippo Padniewski, tum regni procancellario dedicato et a. 1559 Cracoviae edito. Nostrum carmen tenet aversam paginam folii titulo inscripti.

[2] Corn. 116. Goslicius erat tum secretarius regis. Conscripto Patavii libro De optimo senatore clarus, interfuit aeque ac Royzius legationi gedanensi a. 1568. Proximis regibus episcopatum assecutus est. Scripsit de eo Ossoliński (Wiad. hist. kryt. II, 74 sqq.).

[3] Pentameter parum elegans.

18.

ALBERTI GRABOVII
EPITAPHIA[1].

I.[2]

Hic Albertus ego Grabovius occubo, doctor
Astrorum et medicae, si fuit ullus, opis.
Me, quem non pestis, non inclementia caeli,
Quem non dira prius laeserat ulla lues,
Abstulit autumnus, crebris nunc imbribus udus;
Ver tulit atque aestas perque tulisset hiems[3].
Securus qui longa meae mihi tempora vitae
Promisi, morior praeripiorque mihi.
Sera ego principibus praedixi funera, reges
A me olim occasus edidicere suos:
Nescivi ipse meos. O caeli sidus iniquum!
Me mea celasti fata, aliena docens.

II.

Excedens terris Grabovius astra petivit,
Arbiter aetherei maximus ille poli,
Ut, quae de caelo mortalibus edidit olim,
In caelo discat, verane falsane sint[4].

III.

Interii Albertus Grabovius; astra petivit
Spiritus hic positis corporis exuviis.

---

[1] Albertus Grabowski, astrologus atque medicus, erat diaconus et canonicus vilnensis. Obiit brevi ante a. 1570, ut elucet ex libro: Summaryjny wypis z protokołów aktów kapituły wileńskiej sub a. 1570.

[2] Carmina I—III asservantur in lib. corn. 245 sq. et oss. 127 sq.

[3] Sic hunc versum exhibent mss., nisi quod „ac" pro „atque" praebent.

[4] Hunc versum extremum praecedit in ms. alter, et ipse pentametri forma indutus: „In caelo veri discat an instar habent".

Me, genus unde mihi, Masovia luget ademptum;
Fixit ubi sedes romula sancta fides.
Vilna suas addit lacrimas, me sospite felix
Quae, mea dum mansit vita, beata fuit,
Non tristesve timens morbos properataque fata:
Me medico incolumis femina virque fuit,
Produxitque aevum longosque extendit in annos;
Cui sartae tectae[1] causa salutis eram.
Me nunc exstincto, fuerat qui sospite sospes,
Cur saevae metuat spicula mortis, habet.

19.

* In GROICII librum de actionibus urbanis[2].

Iura fori et pacis tractare Grohicius artes
Doctus grande brevi codice clausit opus.
Quo lites agitare docet nodosque resolvens
Legitimum certo tramite pandit iter.
Hunc igitur tibi sume ducem, qui iura tueri
Vis tua et ingrato victor abire foro.

---

[1] Conf. Cic. ad fam. XIII, 50, 2.

[2] Ex libro q. i. Bartłomiej Groicki, podwójci krakowski, Porządek sądów t. j. spraw miejskich práwa Mágdeburskiego ná wielu miejscách poprawiony. Kraków, Łazar. Andr. 1562 (prima edit. a. 1559. Exemplaria bibl. ossol. s. nn. 12932 et 12930). Carmen nostrum succedit in initio libri praefationi auctoris.

20.

In PETRUM ILICINUM[1].

I.[2]

Te legasse ferunt tabulis, Ilicine, supremis,
Profugiente anima, qui fugiunt, lepores;
Iussisse et deinde, ut valuisti et vita revertit,
Cum redeunte anima mox redeant lepores.
Asservas lepores puto summae ad tempora vitae,
Ut sit, quod leges profugiente anima.
Dumque canis stygius, fueras cui praeda futurus,
Persequitur lepores, tu in Styga tutus eas.

II.

Distraxit libros Ilicinus doctor, et aere
Quod tulit inde, pares quattuor emit equos.
Iungat equos curru tractasque apprendat habenas:
Qui modo doctor erat, nunc erit Automedon.

---

[1] Petrus Ilicinus Italus Senensis, iuris consultus erat in academia cracoviensi litterarum graecarum professor medio fere saeculo XVI. Conf. Liber diligentiorum (ed. Wisłocki) pg. 281—289; Hosii Epist. I, 383 (ed. Hipler et Zakrzewski); Acta histor. I 442 (epist. episc. Zebrzydowski); Ianociana I, 144; Jocher, Obraz bibliogr. hist. I, pg. VII, XXXI et 318. Petrus Ilicinus magis equis venationibusque quam litteris in Polonia deditus fuisse videtur. Cracovia relicta contulit se in Hungariam, ubi a. 1552 canonicus strigonensis, deinde praefectus scholae Quinque ecclesiarum fuit. Postremo canonicus fuit olomucensis.

[2] Carmen I exstat in corn. pg. 289 = oss. 122, carmen II cum titulo „In Ilicinum doctorem" in corn. 310 = oss. 215.

21.

EPITAPHIUM IANITII[1].

Hac sub mole cubat fato sublatus acerbo
Ianitius, quo non iustior alter erat,
Nullus amicitias coluit quo sanctius alter,
Nec meliore fide iunxit amicitias.
Sarmata, sarmaticas venit sive advena terras
Si quis amicus erat, aequus utrique fuit.
Cuius Ianitii memoras mihi funera? tuta
In cuius manibus regia gaza fuit.
Auri flexit amor quem non? auri inter acervos
Servavit puras attamen ille manus.
Quae tulit hunc, fera mors aulae solatia toti
Abstulit et laetos non sinit ire dies
Fare age, quisquis ades, discedens: Sede fruatur
Spiritus aetherea, molliter ossa cubent.

22.

NICOLAO IASSINIO[2].

Quod vivas valeasque et vanae murmura famae
Viceris, et nobis sospes et hospes ades,

---

[1] Non esse epitaphium Clementis Ianitii, poetae clari, qui obiit a. 1543, declarant vv. 7 sq. Ianitius, regis thesaurarius aliunde non est notus; si carmina respicis, inter quae collocatum est, epitaphium scriptum esse videtur circa a. 1560. Carmen exstat in solo corn. pg. 111 sq.

[2] Corn. 297 = oss. 194. Est sine dubio Nicolaus Iasieński, Adalberti filius, quem a. 1568 aulicum regium, a. 1591 succamerarium vil-

Gaudeo, Iassini. Sparsit qui talia, falsa
Pro fama veram sentiat ille famem,
Qua tandem enectus mediisque inhumatus in agris
Corvorum fiat, fiat et esca canum.

23.

Ad MATTHIAM IESSOVIUM,

regii thesauri custodem [1].

I. [2]

Unde fluunt, primis quod debent fontibus amnes,
Quod Padus, unde fluit, quod Tagus, unde fluit,
Hoc tibi posteritas debet tua, debet honores,
Et quocunque es gens clara futura tua.
Obscura urbs, genus unde tibi, Iessovia, nuper,
Matthia, celebris nomine facta tuo est.
Vicino fuerat modo quae vix limite nota,
Sarmatico late nunc celebrata solo est.
Gratus, Matthia, es patriaeque tuisque; dedere
Vitam illi, tu das maius habere decus.
Das nomen famamque hominumque volare per ora,
Et claro ponis constituisque loco.
Quam tribuere tibi, fatis obnoxia vita est;
Sed quam das illis, fama perennis erit.

---

nensem fuisse tradit Boniecki (Poczet rodów, pg. 106). Res, quam tangit Royzius, ignota est.

[1] Conf. Niesiecki — Bobr. Herb. IV, 494 n. Scripsi cognomen duobus *s* ad speciem nominis infra v. 5 expressam.

[2] Corn. 72.

II.[1]

Eiusdem epitaphium.

Matthias iacet hic Iessovius. Addere plura
Me prohibent lacrimae nec manus aegra potest.
Scribere plura viri virtus me cogit eundem,
Virtutique viri debitus urget amor.
Heu! nequeo. Qui flere vides me plura volentem,
Mecum, si nosti, qui fuit ille, fleas.

24.

KIESGALI[2].

I.

Et tu magnus eris; virtuti debita maior
Est fortuna tuae; nec mora longa dabit.

II.[3]

Promissum nuper, Kisgal, tibi trado libellum,
Fallere promissam qui puto turpe fidem.
Principis hic artes, studia hic illustria regum,
Magnorumque leges hic benefacta ducum.
Porrigis Augusto dum regi pocula, Kisgal,
Hic, quae commemores, plurima, Kisgal, habes,

---

[1] Corn. 45 sq., ubi in titulo legitur „Mathiae Iesovii".

[2] Corn. 28. Stanislaus Kieżgajło erat a. 1552 pincerna regis atque capitaneus mohilevensis tykotinensisque. Obiit a. 1556 (Boniecki, Poczet rodów, pg. 124; Niesiecki — Bobrow., Herb. V, 92). Nobilem eius originem virtutemque tangit Górnicki (Dzieje pg. 45. Sanok 1855). Carmen scriptum esse videtur circa a. 1550.

[3] Hoc carmen proximumque (corn. 278 sq. = oss. 167 sq.) caret in utroque msto. titulo. Liber, qui una cum hoc carmine mittitur, idem esse videtur, atque Stanislao Kiscae oblatus. Carmen scriptum est circa a. 1552 (conf. v. 5). In textu est ubique forma „Kisgal".

Seu pacem, seu bella iuvat laudare loquendo.
Cumque toga [1], Kisgal, plus saga fortis amas,
Et sedet Augusto fines producere regni,
Erigere et forti pulchra tropaea manu:
Continet exiguus studia haec pulcherrima codex.
Quem non ingratum, fac, tibi munus habe.

III.

Vegetius, qui bella suis et proelia chartis [2],
Frontinus, qui res edocet arte geri [3];
Tertius et, quem Musa negat succedere versu,
Mirificis qui acies instruit ordinibus [4],
Quique aperit martis secreta vocabula quartus [5]:
Promissum, Kisgal, en tibi munus eunt.
Nostraque, crede, tuas tamquam venisset in aedes,
Quicquid praeterea bibliotheca capit.

---

[1] Ms. „Quamq. togam.“ Correxi dubitanter.

[2] Epitoma rei militaris.

[3] Strategematica.

[4] Aut Arriani τέχνη τακτική aut potius Aelianus (τακτικά) fuisse videtur.

[5] Est sine dubio ille Modesti libellus de vocabulis rei militaris ad Tacitum Augustum, quem scriptum esse a Pomponio Laeto aut quodam eiusdem discipulo satis constat. Corpus scriptorum de re militari prelo impressum est aliquoties XV et XVI saeculo (Romae 1494; Bononiae 1496 et 1505; Parisiis 1515 et 1532 alibi). Haec corpora complectebantur Aeliani opus latine versum, Vegetii, Frontini, Pseudomodesti libros. Conf. Hoffmann, Lexic. bibliograph., Lips. 1832.

25.

KOSMOVIO[1].

O utinam multos vivat Kosmovius annos,
Dissimilis pravis, persimilisque bonis,
Veri semper amans, pietatis cultor avitae,
Ut possis vere dicere Masovium.

26.

Ad MARTINUM KRCZONOVICIUM[2].

I.[3]

Nostra tuos thalamos, hoc te poscente, iugales
Et proceres cecinit iussa Thalia tuos,
Lauta quibus praebes plenis convivia mensis,
Est deducta domum cum nova nupta tuam.
Dictus equus fuerat nostri fore certa laboris
Merces, sed nullus est mihi visus equus.
Ultro promissum cur non quoque mittitur ultro,
Mi Krczonovici, si[4] nihil est vitii[5].
Sed, puto, vel stabulis fugit vel tarda podagra
Languida promissi crura ligavit equi.

---

[1] Corn. 348 = oss. 275, ubi titulus desideratur. Videtur esse ille Kosmowski, fortis aulicus regius, quem in ludis equestribus a. 1553, in nuptiis Sigismundi Augusti et Catharinae celebratis, victoriam secundam reportasse tradit Górnicki (Dzieje w Koronie, Sanok 1855, pg. 45 sq.).

[2] In corn. „Krczonovium". Idem infra appellatur in ossol. Krczonovicius, in corn. Krczenovius addito praenomine Martini. Secundum Niesiecki (V, 411) potius Krczonowicz armorum Szeliga. Conf. v. 8.

[3] Corn. 302 = oss. 202 sq.

[4] Cornic.: „sed".

[5] Voce „vitii" tangit R. ultimas duas syllabas vocativi „Krczonovici".

Si nihil est horum meruereque carmina quicquam,
Succedat stabulis, dic, equus iste meis,
Ne se fraudatam mercede Thalia queratur,
Iratus thalamis et sit Apollo tuis.

II.[1]

Promissum si mittis equum, Martine, poetae,
Qui cecinit, coniux cum[2] tibi ducta domum est,
Aequus eris dictique tenax et carmine dignus,
Intonsis tibi quod cantet Apollo comis.
Promissum nisi mittis equum pro carmine vati,
Qui cecinit, coniux cum tibi ducta domum est,
Contemptis musis habearis iniquus oportet,
Auspiciis quarum carmina nostra fluunt.
Promissum sed equum mittes, Martine, poetae,
Martine, arctoi fama decusque soli,
Nec patiere tuis abeuntem dicere terris:
„Est mihi promissus, nec mihi missus equus".

27.

EPITAPHIA KUREK

id est Galli[3].

I.[4]

Gallus eram, cecini. Me audito flevit amare,
Qui Christum factis infitiatus erat.

---

[1] Corn. 310 = oss. 215.

[2] Cornic.: „dum".

[3] Kurek verum fuisse nomen illius sacerdotis et contionatoris ex ipsis carminibus elucere videtur. Est fortasse Ioannes Kurek, parochus greboviensis (Grybów), quem commemorat Iul. Bukowski (Dzieje reformacyi I, 589).

[4] Corn. 128 sq. ubi praescribitur „Epitaphium..."

Perditus et, duro cui sunt mala crimina cordi,
Ante aras madidis procidit, ille, genis,
Ultoremque Deum metuens, meliora secutus,
Quam male neglexit, coepit amare viam.
Quid non promerui dulci, pie Sarmata, cantu?
In rem rauserunt guttura saepe tuam.
Saepe mihi mensas et pocula grata negavi,
Dum tibi de caelo carmina laeta paro,
Te quibus attollam terra et super aethera sistam
Atque animo doceam speque tenere polos.
Vos cantu a vitiis revocavi vestraque saevis
Corda meo solvi carmine criminibus.
Me cantante mali ceciderunt daemonis astus,
Discussae et, male quas nexuit, insidiae.
Me cantante viam celsi didicistis Olympi,
Ad superos cantu semita nota meo est.
Pro me alius cantet; post tot mihi carmina cantu
Defesso vocis mors fera clausit iter.

II.[1]

En humili, modo quem sublimi e sede tonantem
In vitia audisti, conditus hoc tumulo est.
Ille, Polone, tuus, cecinit qui dulcia, Gallus,
Carmina, quae vitae norma fuere tuae,
Quae sequerere, docens, sunt quae fugienda, recensens,
A vitiis animum terruit ille tuum.
Virtutemque sequi iussit, non laedere quemquam,
A vetitisque avidas abstinuisse manus.
Ista docens faciensque[2] eadem, monstrarat ad astra,
Quod tibi praecurrens, ecce tetendit iter:
Prisca tenere patrum vestigia nota, relicta,
Invia quae ad sontes semita ducit agros.

[1] Corn. 349 — oss. 276 cum hoc titulo: „Epitaphium Gallo vel Kurek".

[2] Corn. exhibet: fugiensque.

28.

L A X philolosophus laudatur[1].

Non Lax, lex posthac artis dicere disertae:
Epsilon accipiat, quem tenet ἄλφα locum.

29.

EPITAPHIA NICOLAI LESINTII[2].

I.

Occidit heu primo raptus Lesintius[3] aevo,
Ora probant iuvenem, vita fuisse senem.
Fata pii quid fles iuvenis? quibus advenit olim
Ante diem senium, mors venit ante diem.

II.

Cum populum docet in primis Lesintius annis,
Immortale hominesque et probat esse genus:
Iniicit atra manus mors illi, et corripit amens,
Scilicet ipsa suum dum timet interitum.

---

[1] Carm. 430. Lax ille aliunde mihi non innotuit.
[2] Carm. 362 = om. 297.
[3] In cod. hoc loco et proximo carmine „Liesintius".

30.

EPITAPHIA ALEXANDRI LIGENZAE[1].

I.

Clausus Alexander tumulo Ligenza sub isto est,
Ille domi clarus, clarior ille foris.
Mors morbo absumpsit, quem Mars non abstulit armis,
Non aliter potuit mors superare virum.

II.

Quaesivi bello pulchram per vulnera mortem,
Dum magni miles caesaris arma sequor.
Cesserat armato Mars; mors ubi vidit inermem,
Me saeva ex ipsis occupat insidiis.

III.

Nuper Alexander, tua, caesar, signa secutus,
Ille tuus miles, hac requiescit humo.
Felix qui in patria occubuit; felicior idem,
Bello extra patriam si cecidisset, erat.

31.

SIMONI LUGOVIO[2].

I.

Incolumem gaudet Petrus advenisse Simonem.
Cur non? sint idem cum Petrus atque Simon.

---

[1] Corn. 363 sq. = oss. 297 sq., ubi nomen caret littera „n".

[2] Simon Ługowski, canonicus cracoviensis et posnaniensis, inde ab a. 1562 Sigismundi Augusti regis secretarius et regni scriba fuit. Royzius commendat ei causam pensionis suae, inde ab a. 1568 denegatae.

Idem sint animo, o utinam! numerare paratus
Sit Simon, ut promptus est Petrus accipere.

II.

Aris praefectus Simon est, praefectus et auro:
Ut corpus servet, hinc habet, inde animam.

III.

Fert ut opem Petro Simon, in se commoda vertit:
Namque idem Cephas[1] est Petrus atque Simon.

32.

Ad JOANNEM LUTOMIRSCIUM

regium thesaurarium[2].

Inclita teutonicos quae magnus bella per agros
Caesar victrici gessit ubique manu,
Hic, generose, leges, Lutomirsci[3], et Saxo rebellis
Est patrii ut rapidas captus ad Albis aquas[4].
Utque[5] alter, non par opibus sed pectore maior,
Victoris supplex procidit ante pedes.

---

[1] Est cognomen Petri apostoli idemque significat ac Petrus.

[2] Corn. 351 = oss. 279 sq. Lutomirski. Obiit a. 1554.

[3] Royzius Lutomirscio libellum quendam de bello smalkaldensi cum hoc carmine misit.

[4] Ioannes Fridericus, elector Saxoniae, sociorum smalkaldensium alter dux a. 1547 ab imperatore Carolo V ad Mühlberg devictus et captus est. In ossolineo est „ab albis", sed utrumque correctum; in cornicen. „ad albis".

[5] In libris est „Ut quae". Hoc et proximo versu notatur Philippus, Hessiae landgrafus, alter sociorum smalkaldensium dux, qui a. 1547 supplex a Carolo petiit, ut sibi ignoscatur, nihilo minus tamen in custodiam datus est.

Caesaris hic quantum, Lutomirsci, dextera, quantum
Et fortuna valet caesare digna vides.
Ante invicta viris, una Germania bruma[1],
Quod misera excussit, dat sua colla iugo.
O animos utinam tales rex noster in hostem
Augustus forti sumat et arma manu,
Pubeque sarmatica veniat populator in urbes,
Seu vestras, Moschi, sive, Valache, tuas,
Fidentesque Scythas arcu recutitaque castra
Spargat per medios strageque fundat agros.
Victrices aquilas referentem et signa canamus!
Iucundum Augustus tunc mihi carmen erit.

33.

Ad ANDREAM FRICIUM MODREVIUM[2].

Ergo tuus, Frici, contemptus Lascius[3] ibit
Consiliumque viri? Nihil oris grande diserti
Proderit eloquium, ratio nihil, omnia frustra?
Omnia, quis tollenda fuit lex sanguine gaudens,
Exsultans lex caede virum, caede omnia complens?
Altera cuius habet ingulum manus, altera ferrum,
Quod strictum sonti pro parvo porrigat aere?
Factum immane potes, Frici, ferre istud? nec iram
Sanguinolenta tuam lex sentiet, omnibus una

[1] In corn. est „una".

[2] Praemissum est hoc carmen libro q. i. Ad senatum equites populumque polonum Andreae Frici Modrevii oratio secunda de poena homicidii. Ex off. M. Scharffenberger Cracoviae 1545. Exemplar bibliothecae ossolineae (10333) in mediis tribus ultimis versibus rasuram exhibet. Lacunas ex coniectura dubitanter supplevi uncisque notavi.

[3] Sive prima oratio de poena homicidii Hieronymi Lascii, ex cuius animo profertur, nomine signata, a. 1541 edita.

Digna odiis, magnis odiis et vindice saevo;
Stringe iterum, Frici, calamum et armare veneno,
Ima petat penetretque ipsa invida Tartara. Postquam
Numina nil meliora iuvant, Acheronta movendum [1].

34.

Ad HIERONYMUM MYSINIUM [2].

Mite tibi ingenium tribuit natura, Mysini,
Nec miror, [illegible] [illegible] tulit inde [illegible] [3]
Ergo iuvent semper te mitia, mitiaque serva
Dogma, quod a prisco tempore Roma colit.
Et quicquid nostris error temerarius annis
Intulit, ut [illegible] [illegible] [illegible] cave.
Vulgus amet [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]:
Haec certe varias res [illegible] illa docet.

---

[1] Hoc loco publicaturus fui carmen „Ad lectorem" [illegible] Ad regem, pontifices, presbyteros... de legatis ad concilium [illegible] P. R. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

[2] [illegible] = [illegible]

[3] [illegible] „Lagenis" [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

35.

EPITAPHIUM

NICOLAI ORLOVII.[1]

Orlovius situs est hac miles strenuus urna:
Condidit hoc illum marmore Tarnovius.
Qui bene re gesta vivo decrevit honores,
Idem defuncto praebuit et tumulum.
Virtutemque viri testans ait inclitus heros:
„Agnum stemma tulit, sed fuit ille leo.
Littera stemma suum et dominum discriminat una:
Velliger est agnus, belliger ille fuit“.

36.

Ad M. TULLIUM

de ANDREA PATRICIO.[2]

Ut pius Aeneas humeris succedere iussum
Fumanti Troiae sustulit ante patrem:
Sic nunc te, Tulli, multa caligine mersum,
Eripuit tetris Patricius tenebris.
Ergo, quod Anchises Aeneae debuit, hoc tu
Patricio debes, maxime Marce, meo.

---

[1] Corn. 370 = oss. 309. Nicolaus Orlovius armorum Iunossa mortuus est a. 1549. Epitaphium honorifice inscriptum in eius memoriam positum est Sandomiriae.

[2] Corn. 353 = oss. 282. Andreas Patricius Nidecki primam fragmentorum Ciceronis editionem in villa Bierzanów a. 1560 composuit, a. 1561 Venetiis edidit, alteram a. 1565 in lucem emisit. His fere temporibus etiam hoc epigramma scriptum est (Morawski, Nidecki 2 wyd. p. 98).

37.

Ad PETRUM REGIUM MEDICUM [1].

Quod, Petre, me medica vitae prope reddis ademptae
Arte, machaoniae doctor et auctor opis,
A te, Petre, precor, morbus procul omnis abesto,
Cura molesta tuum nesciat ulla caput.
Augusto carus vivas, moriaris amicus,
Et veniat segni lenta senecta pede;
Ius habeat quae sola tuos, sed lenis, in artus,
Metaque sit vitae scilicet una tuae.
Olim sera tibi caelos quae ostendat apertos,
Decrepito dicet cum tibi Christus: „adi,"
Christus „adi" tibi cum dicet, „regna invia vivis,
Regna parata bonis, regna negata malis."
Unde procul iubet esse malos, ubi praemia iustis
Dat Deus, haud ulla deperitura die.
Degitur aeternum nullis ubi finibus aevum,
Gaudet ubi semper nescia vita mori.

38.

De PICARIO contionatore [2].

Picarii sancto nihil est pretiosius ore,
Ad superas homines quo vocat ille domos.

---

[1] Corn. 363 = oss. 296. Est, ni fallor, Petrus Posnaniensis, celeberrimus professor universitatis cracov., praepositus ecclesiae sti. Floriani cracov., utriusque Sigismundi regis Pol. medicus (conf. v. 5), de quo refert Oettinger (Rys dawnych dziejów wydz. lek. jag. Kraków 1878 p. 146.

[2] Corn. 152 = Oss. 16. Picarius Ioannes erat contionator Sigismundi Augusti regis (post a. 1551), eloquentia studiisque fidei catholicae celeberrimus. Conf. Hosii Epistul. edit. a Hiplero et Zakrzewski.

Hunc, Auguste, aris, hunc amplis praefice templis,
In caelum e terris qui docet unus iter.

39.

Ad PODLODOVIUM LUPAM[1].

Dilectum fratrem quid fles, Lupa, maestus ademptum,
Ausonio qui nunc venit ab orbe domum?
Turbatam late patriam cum cerneret omnem,
Vivere quam tristis, maluit ille mori.

II.

Vis, Lupa, laeta tibi, non tristia carmina mittam?
Parebo, laetam da mihi materiam.
Nunc maestum regem, distractum cerno senatum,
Nil laeti vestras pectore versat eques.
Flet civis, plebisque volant suspiria caelo:
Et laetum scribam vis, Lupa, carmen ego?

40.

URSULAE PODLOVIAE

AMISSO VISU MORTUAE

EPITAPHIA[2].

I.

Mors oculos clausit mihi, ne se cernere possem,
In me cum saevas tenderet atra manus.

---

[1] Stanislaum, eundem, qui aa. 1547 et 1548 in comitiis piotrkoviensibus et varsaviensibus rogationem tulit, ut Sigismundus Augustus rex Barbaram de domo Radziwiłł e matrimonio dimitteret. Utrumque carmen exstat in corn. 369 sq., in oss. 308.

[2] Corn. 12, ubi adiunctum est: „clarissimae feminae".

Tot fortunatam ductam per gaudia me mors
Ingratum in vita cernere nil voluit[1].

II.

Non habuit postquam maius, mihi quod daret, orbis,
Quid facerem? morior; gaudia quaero nova.

41.

EPITAPHIUM
P O D O V I I.[2]

Podovius situs est hac Bartholomaeus in urna:
Vestibat teneras vix nova barba genas.
Ore puer tenero, maturus cetera nondum,
Eheu! bis denas viderat ille nives.
Mors decepta tulit prima illum saeva iuventa:
Ingenium spectans credidit esse senem.

42.

Ad PETRUM POREMBIUM[3].

Sis licet et iustus, pius et sis, Petre Porembi,
Iustitiaque aeques et pietate polos,
Pontificum heu frustra bifidos sperabis honores,
Prensabit crines nulla tiara tuos.

---

[1] Ms. potuit (?)

[2] Filii Ioannis, succamerarii ciechanoviensis. Carmen exstat in corn. pag. 370, in oss. pg. 308.

[3] Videtur esse Petrus, praepositus oświecimensis, a. 1564 mortuus. Carmen legitur in solo corn. pg. 34 sq.

Non, si etiam Paulo similis rapiaris ad astra,
Ictam nec laedat vipera pressa manum,
Non, si calcatum pedibus gradiare per aequor,
Iussa ferat plantas et maris unda tuas,
Non, si vel fidens iaculere per aëra montes
Et verbo ponas dimoveasque loco.
Si et mortalis adhuc templis sis dignus et aris,
Inde hodie spes est nulla petenda tibi.
Hoc saeclo his annis aliud maris aequor arandum est,
Non hoc, quo tendis, te, Petre, ducet iter.
Illa secanda via est, nostris bene cognita. Quod non
Religione potes, ambitione pete:
Illa mitra cinget bifida tibi tempora; magnus
Praesul eris; magnus, si ambitiosus eris.

43.

Ad ANDREAM PRECLAVIUM.[1]

Sic tua, Preclavi, virtus te tollat in altum,
Iam dudum ut summo dignus es esse gradu.
Nec fallet fortuna tuos illustris honores;
Dignus ut es, digno constituere loco.

---

[1] Corn. 154 = oss. 18. In ossol. titulus posteriore manu praescriptus est. Ceterum in titulo ossolinei legitur „Preslavium", in textu „Praecslavi", in cornic. „Prseslavium" et „Preslavi". Edidi „Preclavium" dubitanter.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

IN [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] I [illegible] II [illegible]

Tertiaque accessi, hinc caput in certamine perdo:
Auctaque eo facta est caesariana biceps.
Illa Iovis regnat. Clemens me Iuppiter auro
Illustrem stellam iussit habere caput.

45.

* Ad AUGUSTINUM ROTUNDUM.[1]

I.[2]

In effigiem eius.

Haec Augustini, quam cernis, imago Rotundi est;
Adde comam, barbam demito: Phoebus erat.[3]
Ingenium, qua parte valet magis iste, requiris?
Tantum non potuit pingere pictor opus.

In stemma eiusdem.[4]

II.

Alba voluptates et arandis commoda terris
Maxima vomeribus dat rosa iuncta tribus.

---

[1] Augustinus Rotundus sive Augustinus Mielecki (Mielicki, Mieleski, Milewski), Cracoviensis, iuris utriusque doctor, primum Cracoviae procurator causarum publicarum, deinde secretarius Sigismundi Augusti regis, et inde ab a. fere 1550 advocatus sive praetor Vilnae urbis (wójt) erat. Conf. Carm. VI. Iuris peritissimus fuit, adeo ut a. 1569 in numero eorum adscisceretur, quibus statuti lituanici corrigendi negotium datum erat, regi vero ipsi ita acceptus erat, ut ad testamentum conscribendum ab eo adhiberetur. Quaedam typis evulgasse, alia manu scripta reliquisse traditur. Cum Royzio intimo amicitiae vinculo erat coniunctus. Uberius scripsi de Rotundo in polona de Royzio dissertatione pg. 50 = (90). Conf. Baliński Historya miasta Wilna II. 96—101; Ossoliński, Wiad. hist. kryt. II, pg. 174, Ianociana I, LXXXVIII: Hosii Epistulae ed. Hippler et Zakrzewski; Sobieszczański, Encykl. pow. XVIII, 593 sq.

[2] Corn. 154 = oss. 18.

[3] Fortasse „erit" scripsit Royzius.

[4] Corn. 154 = Oss. 19. Stemma Rotundi erat Rola, quod insigne exhibet in campo rubro rosam albam atque tres vomeres.

Tuque voluptates et commoda, stemma secutus,
Responsis praestas iuris et eloquio.

III.[1]

Vomer findit agros, gratum rosa fundit odorem:
Findat hic an[2] magis haec fundat, utrumque iuvat.

IV

Ut flores alios suavi rosa vincit odore,
Tu suavi praestas omnibus eloquio;
Scissis vomer agris ut nutrit corpora, mentes
Tu sic. Ipse tuo stemmate maius habes.

V.[3]

AD EUNDEM.

Lucceium supplex orabat Tullius olim
Nec multa erubuit fundere verba prece.
Laudis amor vicit famaeque insana cupido:
Crevit amor laudis, crevit epistolium.
Luccei quid agis? te supplex Tullius orat;
Pars cupit esse tuae Tullius historiae.[4]
A te vult scribi. Calamisne[5] peperceris udis
Et vanas tantas has patiere preces?
Durus Lucceius voces non audiit aequas.
Quid dicam? leges solvit amicitiae.[6]
Te quoque nos, te nos, docte Augustine, rogamus,
Non pars nempe tuae simus ut historiae,
Augusti sed quae regis clementia donat,
Haec Augustini scribat amica manus.
Luccei non tu duras imitaberis aures;
Admittes nostras, culte Rotunde, preces.

---

[1] Hoc epigramma in ossolineo in margine est adscriptum.
[2] Msti. exhibent „aut".
[3] Corn. 253 = oss. 135.
[4] Conf. Cic. Epist. ad Att. IV, 6, 4; V, 12, 1 sqq.
[5] Msti. „calamis ne".
[6] Hic versus in ossol. posteriore manu adscriptus est.

Augustus mihi rex magnum dat habere tribunal,
Inque palatini parte sedere fori,
Urbanasque inter proceres decidere lites,
Seu, Prutene, tuas, sive, Polone, tuas.[1]
Hinc ego nil tulero, cum, quod[2] rogo, feceris? ecquid?
Verba dabis rebus, non mihi verba dabis.

VI.[3]

Exsultat genti praelata, Rotunde, polonae
Vilna magistratu facta superba tuo.
Ipsa sed amisso stat regia maesta Rotundo,
Ereptumque querens „non meus," inquit, „eris.
Non meus: heu fotum gremio te Vilna tenebit
Laeta suo, studiis culta futura tuis."
Urbs quoque Gracchorum tales dabit aegra querelas,
Cum facti tristis nuntius huius erit,
Ablatumque sibi absentem te mente requiret,
Hanc gentem indignans ante tulisse suae.
Longaque prae multis vix scripta legenda lituris
Mittet amicorum non bene laeta cohors.
Undique lamentis pulsabere tristibus aures
Atque tuum feriet multa querela caput.
At dum quisque gemit te et lamentatur ademptum,
Praesentesque dolet non habuisse Deos:
Assurgens contra, „questus, quicunque doletis,
Fundite; noster," ait Vilna, „Rotundus erit."

VII.[4]

Nostras si qua rudes manet camenas
Forsan gloria, quas volens amici

[1] Hoc carmen circa a. 1550 scriptum esse videtur, cum Augustinus Rotundus Cracoviae regis secretarii munere fungebatur, Royzius autem causarum ad iudicia post curiam delatarum cognitor factus est.
[2] In ossol. „quod" correctum ex „quid".
[3] Corn. 290 = oss. 184.
[4] Corn. 221 = oss. 99.

Condo iussa sequens mei Rotundi:
Quam nostra, — his tenuis licet petatur —
Tanto gloria maior est Rotundi,
Quanto est milite maior imperator.

VII.

Ad eundem
in LUCAM MUNDIUM.[1]

Si leget haec[2], scripsit qua in te male sobrius, illa
Mundius in mundo desinet esse manu.[3]

VIII.

Est calumnia mundiana mundo
Docta edocta manu tua, Rotunde.
Augustus, superest, reum peractum
Poena vindice persequatur acri.
Sumpto de sene perfido, scelesto
Digno supplicio quiescet aegra
Vilna vulnere Mundii peresa.
Quo facto est opus, et nefas negare,
Si quid iura volunt valentque, postquam
Est calumnia mundiana mundo
Docta edocta manu tua, Rotunde.

IX.

In Mundii criminationes.

Mundius, in mundo est quo non immundior alter,
Sarmatico scripsit hoc malo sanus opus.

---

[1] In ossol. titulus hic una cum primo carmine in margine adscriptus exstat, in cornic. additur ad Rotundum „Mielieski". Ceterum verba „in Lucam Mundium" in utroque msto. proximo demum carmini praescripta sunt. Neque persona, neque causa libellusque illius Mundii senis aliunde mihi innotuerunt. Carmina VII—X exstant in corn. pg. 295 sq., in oss. pg. 191 sq.

[2] Defensionem Rotundi, qua ipse calumnias a Mundio polone scriptas, a quodam homine latine male versas, diluit.

[3] qua — illa — manu scil. illius mali interpretis.

Quod post, nescio quis, precibus pretioque redemptus
Fecit romano, nec satis, ore loqui.
Sunt ergo verba alterius, mendacia Mundi,
Quae illoto vecors protulit ore senex.

X.

Ad defensionem in Mundium.

Qui tibi de patrio fecit sermone latinum,
Quod modo mentis inops es meditatus opus,
Sermonem in patrium librum hunc [1] si verterit idem,
Aut lectu abstineas, aut tibi fige crucem.

XI. [2]

In villa stocliscensi Augustino Rotundo a rege donata.

Nullum Augustino Augustus rex iustius auxit,
Praeposuit terris, praeposuitque viris.
Multa dedit, det plura; datis decet addere regem:
Ergo Augustinum plus det habere suum.

XII. [3]

Manes Nicolai Rotundi ad patrem.

Parce pater lacrimis; cunis puer astra relictis
Et superas tenero iam pede calco domos.
Fert alium, qui te soletur, mater in alvo,
Me caelo, terris hunc genuisse puta.

---

[1] Illam Rotundi refutationem.
[2] Corn. 347 = oss. 274.
[3] Corn. 314 sq. = oss. 223.

46.

ROYZIUS de se ipso.

I.[1]

Ad Alcagnitium.[2]

Lux Alcagnitium, terrae ceu sidus iberae,
Dulce mihi natale solum, te cernere multas
Post messes ardent oculi propiusque videre!
Sed compressa gelu saevisque aquilonibus usta
Distinet hospitii illecebra nos sarmatis ora.

II.[3]

In effigiem suam.

Effigiem Petri miraris et ora Royzi:
Quid, si expressisset pictor et ingenium?

III.[4]

Quando rarus ego vocor ad consulta senatus,
Scireque defuncto nil Samuele meum est,
Et sine me accipiunt lites et iurgia finem
Teutonicoque anceps credita causa foro,

---

[1] Corn. 148 = oss. 10. Idem sed sine titulo corn. 338 = oss. 259 (deletum).

[2] Natus est Petrus Royzius Alcagnitii (Alcagniz) in oppido Hispaniae terraconensis prope fluvium Guadalope (gadalophaeus poeta) in Iberum aquas suas offundentem sito. — Titulo huius versus adscripta sunt in mstis. haec: „patriam Royzii ironia". Quae cum a librario, qui Royzii desiderium esse simulatum designare voluisset, addita esse suspicatus essem, praesertim cum in ossolineo totus titulus posteriore manu scriptus esset, omittenda esse censui.

[3] Corn. 154 = oss. 19. Carmen superbius, quam pro ingenio Royzii speraveris. Effigies est fortasse eadem, quam Andreas Tricesius sua impensa faciendam curavit, ut elucet ex carmine ad eum scripto quod infra proponitur.

[4] Corn. 128. Carmen scriptum est brevi post a. 1550, quo Maciejowski (Samuel) mortuus est. Praescribitur huic carmini in mstis. „De se."

Nec, papa quid caesarve suo vult iure, rogamur,
Ad quorum leges Saxo recurrit inops:
Otia, ceu pestem, studiis inimica, perosus
Pango aliquid, ne nil desidiosus agam.

IV.[1]

De alea.

Fundere parce merum, Petre, perdere parce falernum,
Discere si mores huius et huius amas.
Sume manu talos, aut pictas sume tabellas:[2]
Quo quisque ingenio est, alea sola docet.

V.[3]

Plurima carminibus merui, dum laudibus aequat
Musa virum caelo fert et in astra virum.
Duratura ratum decepit opinio; litis
Nam iustae amisi cuncta patrocinio.
Ergo quam Clio spem, quam dedit almus Apollo,
Abstulit hanc nobis ab Iove nata Dice.
Hei mihi! quae cunctis se fert mortalibus aequam,
Illa, ah, fortunis imminet una meis.

VI.

De suo desiderio.[4]

Tutari possum si a frigore corpus et aestu,
Urat nec me aestas, dura nec urat hiems,
Suppetat et facilis victus brevis urna levetque,
Mensa brevisque famem, mensa brevisque sitim,

---

[1] Corn. 222 = oss. 100 cum titulo: „Ad se ipsum de alea."

[2] Tabellarum pictarum sive chartarum (karty) ludum, aliquoties synodorum ecclesiasticarum placitis simul cum alea improbatum, qui tamen a nostra ratione et specie chartarum et ipso ludi genere aliquantum differebat, hoc loco tangit.

[3] Corn. 291 = oss. 186 cum titulo: „Ad se ipsum". Carmen scriptum esse videtur circa a. 1560.

[4] Corn. 14 sq. Roysius scripsisset potius „De meo desiderio".

Vivere si possum paribus iucundus amicis,
Exigat et socia nulla querela domo, —
Pauca loquor, vitae sed sunt satis ista beatae:
His ego maiores non peto divitias.
Ista mihi satis esse puto; nimis esse, quod ultra est.
Non peto plus. Satis est, quod satis esse potest.

VII.

MATERIA EPIGRAMMATUM.[1]

Scribimus irati placidique epigrammata, si quid
Dignum odio aut dignum vidimus esse ioco.
Laudamus quandoque, tamen fit rarius illud,
Nam duo phoenices ducere nescit Arabs.

VIII.

TEMPUS SCRIBENDI.[2]

Otia dum talis hic, pictis ille tabellis
Fallit et in vacuo tempore quaerit opus,
Dum fictas buxo hic acies committit et ardens
Mutua populeis proelia miscet agris:
Liber ego studiis, cum nullus limina pulsat
Consultor, passus damna dolosve malos,
Cum nec caesarei spatiosa volumina iuris
Commentaturus scitave sancta tero,
Denique cum, quod agam, non est: epigrammata condo.
Quid me reprendis? nescio nil facere.

IX.

Ad lectorem.[3]

Qui mihi sit Priscus, quae sit mihi Lesbia, parce,
Non dicam, lector, sed scio, qui mihi sunt.[4]

---

[1] Corn. 6.
[2] Corn. 6.
[3] Corn. 6. Conf. Martial. II, 23.
[4] Sic in libro hic et v. 4.

Qui mihi sit Marsus, qui pleraque nomina, parce,
Non dicam, lector, sed scio, qui mihi sunt.
Dicere, da veniam, nolo: si dixero, non sum.
Non dicam, parcas: vivere, lector, amo.

X.

Ad lectorem.[1]

Quos laudo, vero accipies sub nomine, lector;
Quos carpo, externis hos loquor, odi odia.

XI.

In quendam.[2]

Nomina ficta[3] leges, sed pro quis carmine salvo
Saepe queas illo ponere vera loco.
Annibalem potui, potui securus Achillem
Tangere carminibus, pungere carminibus.
Sed te non potui male, non bene, nuper agaso
Qui fueras custos et grave olentis harae.
Hoc tibi vita dedit, fatumque negavit Achilli
Annibalique. Feres hoc male: cras morere.

XII.

In Priscum.[4]

Quod bona sint quaedam, quaedam mala, Prisce, videri
Eiusdem auctoris carmina nostra negas.
Nobis eiusdem auctoris tua, Prisce, videntur
Et tua; nam tua sunt omnia, Prisce, mala.

XIII

In Laelium.[5]

Te longo, quereris, Laeli, sermone moramur,[6]
Ferre et dicentis vix duo verba potes.

[1] Corn. 58.
[2] Corn. 73 sq.
[3] mst. „facta."
[4] Corn. 69.
[5] Corn. 88.
[6] Conf. Horat. Epist. II, 2, 4.

Sum fateor longus, longa est iniuria; verbo
Totas me Iliadas posse referre putas?

XIV.

In LINUM.[1]

Vis centum expediam lites tibi, stans pede in uno,[2]
Protinus; o, non est ius, Line, quod cyathi.

XV.

In SYLLANUM.[3]

Vis nos esse breves, cum quid te poscimus, illud
At longum est titulos enumerare tuos.
Quorum si minimum quis praetermiserit, inde
Est maiestatis criminis ille reus.
Addet si titulos omnes, longissimus ille est,
Voxque ingrata eius perque molesta tibi est.
Difficiles aures tibi sunt, Syllane, sed, heus, non
Vis dare: difficiles sunt magis ergo manus.

XVI.

In quendam.[4]

Plurima dicturum vis uno dicere verbo:
Plurima dicturo non licet esse brevi.

XVII.

In quendam.[5]

Nos nimium longos quereris, cum scribimus ad te,
Dignarisque oculis vix mea scripta tuis.
Sum brevis astrictusque, tuos si demis honores,
Si titulos, si tot sint quasi dicta Deo.
Parce ergo longis, appellarive latine
Disce: nimis nos sic possumus esse breves.

---

[1] Corn. 17.
[2] Horat. Sat. I, 4, 10.
[3] Corn. 18.
[4] Corn. 18.
[5] Corn. 19.

XVIII.

Ad Aulum.[1]

Aule, tu poscis carmen funebre sepulcro:
Accipe; securus iam potes, Aule, mori.

XIX.

Ad Priscum[2]

De te mentiri me vis, qui scribere vivo
Me tibi vis carmen funebre. Non faciam.
Si scribam, tibi quae placeant, heu! mentiar, ausim
Si verum, periit, Prisce, poëta tuus.

XX.

Ad Pamphilum.[3]

Scribere me carmen tibi vis funebre petisque
Sollicitus; precibus iam prope et imperiis
Urges me. Scribam iam, prima et, Pamphile, nocte
Mittam hodie tibi. Vis? spondeo, mittam hodie.
Ne dubita, scribam et prima tibi, Pamphile, nocte
Mittam: sed te opus est, Pamphile, mane mori.

XXI.

Conscientia mille testes.[4]

Reprendi crimen, carmen sine nomine finxi[5].
Omnium erat carmen: hic legit, ille legit.
Non hunc, non illum, non ullum carmine signo::
Reprensum tamen hoc[6] carmine crimen erat.
Hic ridet lecto, lecto ille irascitur: ille
Non hic peccavit. Iam scio; nescieram.

---

[1] Corn. 85.
[2] Corn. 51.
[3] Corn. 19.
[4] Corn. 47.
[5] Ms. „fixi".
[6] „hoc" addidi ex coniectura.

Sed scivi, scivi tamen hoc sine teste. Probatum
Est crimen, testis si satis auctor erit.

XXII.

Ad Zoilum.[1]

„Multa“ ais „hic errata“. Istud mihi, Zoile, debes;
Nam quid carpsurus, si nihil esset, eras?
Carpe hoc, carpe illud, numeros, epigrammata: „piget
Hoc, illud fatuum est, non sapit istud et hoc“.
Hic cultum tua lima, aliud desideret illic,
Insulsos nostros non patiare sales.
„Celtiber hic quid habet fuscus? quid caeculus illic?“[2]
Quaeras. „Ridiculum quid notat ista caput?“
Ride! oculis risu lacrimas excusseris alto,
Saevus et infensus vociferare meos.[3]
Nil bene, nil nostro mediocriter esse libello
Clama; clamorem moverit omnis apex.
Alta feri, tamquam sectus, clamoribus astra.
Cum bene clamaris, Zoile, raucus eris.

XXIII.

Ad Zoilum.[4]

Prodiit ecce liber. „Non est liber“. Esto libellus
Aut aliud, bella[5], Zoile, ne qua ferat.
Sit modo ne codex, sublato iniuria cappa
Ne fiat, pater et cogat[6] habere nates,
Ater et ipse libro sit, ut haec iniuria fiat.
Sed tu non capis haec, Zoile, qui rudis es.

---

[1] Corn. 51 sq.

[2] Colorem corporis sui atque infirmitatem oculorum, quos vitro adiuvabat, hoc loco tangit.

[3] Versus corruptus. Royzius scripsit fortasse: „Sensus et in-sensus vociferare meos“ nova sane voce „insensus“ usurpata.

[4] Corn. 92.

[5] ms: belli.

[6] sc. librum, si p codici post sublatam litteram k (c) dederit, ita ut ipse amisso libri gratia illo p ater fiat. Patrem semet ipsum, utpote libri auctorem, dicit.

Sed capis ista: Meo fiat ne iniuria libro!
Aut nares libro, Zoile, fige meo.[1]

XXIV.

Ad Zoilum.[2]

Carmina nostra, scio, legisti, Zoile, nuper,
Illa a te quamvis, Zoile, visa neges.
Legisti et legisse negas. Scio, Zoile, quare:
Carmina ne dicas nostra placere tibi.

XXV.

Ad Attalum.[3]

Te nunc reprendo; laudabam te, Attale, nuper:
Hinc me inconstantem terque quaterque vocas.
Qui ventis mare iactatum saevum, Attale, dixit,
Qui placidum, venti cum posuere, vocat,
Inconstansne hic est? mare non magis, Attale, non hic,
Non ego inconstans; Attale, tu magis es.
Nosce tuum crimen. Quid ego? si te, Attale, dico,
Qua bonus es, „bonus es", qua malus es, „malus es"[4]

XXVI.

Ad Glabreonem.[5]

In summos si quid tentatum est dicere, ferrum,
Aurum laudum olim, Glabreo, munus erat.
Mordaces sua damna manent hoc tempore chartas,
Egregiae laudes nil nisi nomen habent.

---

[1] ut intellegas eum non esse podicem utque aequus sis in iudicando.
[2] Corn. 72.
[3] Corn. 12 sq.
[4] Distinxi verba interpungendo non sine haesitatione. Fortasse mendum alicubi delitescit.
[5] Corn. 88.

XXVII.

Ad se ipsum.[1]

Portasti huc leges: vives, Petre, semper egenus;
Portasses idem pharmaca, dives eras.

XXVIII.

In Syllanum[2]

Cur ad te nunquam veniam, Syllane, requiris?
Causam non longum est dicere: Nolo queri.

XXIX.

Ad Auctum[3]

Cum quid delinquit, cum quid sine legibus audet,
Cum quid, sitque illud fasve nefasve, facit,
Obiectare Deos nostro vis me, Aucte, Neroni.[4]
An, male qui vivit, credit hic esse Deos?

XXX.

In quendam.[5]

Ora hominum vitans quidam in me scribere fertur:
Si sciero, qui sit, vae tibi, lucifuga.

XXXI.[6]

Iussisti: scripsi. Numeris distamus in istis,
Imperium quantum distat ab obsequio.

---

[1] Corn. 69.
[2] Corn. 66.
[3] Corn. 67.
[4] Quis sit ille Nero, conicere non audeo.
[5] Oss. 214 = corn. 309.
[6] Oss. 214 = corn. 309. In ossolineo exstat ante haec duo disticha titulo destituta carmen, quod inscribitur: „In praesulem quendam", octo illud versibus elegiacis constans, sed tam diligenter lineis superductis deletum, ut legi fere nequeat.

XXXII.

Aut ita.

Iussisti: scripsi; superas me hoc carmine, quanto
Scipio romano milite maior erat.[1]

XXXIII.

In ignotum.[2]

Cassum lumine corpus atque vita,
Mentitus titulos meos meumque
Nomen, carmine rumpis insolenti
Gamratum et numeris ineruditis,
Quales aut Baviusve Maeviusve
Vena condidit ante contumaci.
Nec manes pateris sua quiete,
Nec vivos pateris sua quiete,
Illos in tumulo, domi frui nos.
Versus me facis esse bis scelesti
Auctorem, facis et malum poëtam;
Auctores scelerum facis sepultos.
Qui sis, nescio, sed scio, — quid? inquis, —
Es quod vir malus, et malus poëta.

XXXIV.

Ad Petrum.[3]

Malo unam Italiam, quam septem, Petre, triones.
„Errasti." Rudis o, sum, Petre, arithmeticus.

---

[1] His duobus distichis (XXXI et XXXII) Roysius cuidam carmine ipsum provocanti respondere videtur.

[2] Corn. 16. Carmen hoc scriptum est post mortem Gamrati i. e. post a. 1545.

[3] Corn. 68.

XXXV.

Ad Scaevolam[1]

Discedo hinc; annos speravi, Scaevola, quinque;
Annos spe erravi, Scaevola, quinque: sat est.
Promissis abeo plenus, quae non ferat Atlas,
Sed re, quam possit ferre et araneolus
Nec metuat, laxos ne rumpant pondera casses,
Neu tardet nentes sarcina iuncta manus.
Papilio, levibus metuens occurrere pappis,[2]
Impositum hoc humeris perleve dicat onus.
Sic mihi nec Cacus speluncis abditus atris,
Sic Ballista mihi nec metuendus erit.
Ni promissa velint tua duri auferre latrones,
Fecisti, in patriam, Scaevola, tutus eam.

XXXVI.

Ad Pollionem.[3]

In patriam discessurus te, Pollio, adivi[4]
Terque quaterque. Aberas terque quaterque domo.
Nunc rus, nunc peregre mihi dicebare profectus,
Dicturoque vale, ianua clausa mihi est.
Pollio, non aberas, — aberas mihi, Pollio, tantum:
Pollio, res ad me pertinet ista nihil.
Hoc fiat, quod vis, nil, Pollio, pugno. Valere
Te volui: non vis, Pollio: non valeas.

XXXVII.

Ad Papilum.[5]

Ut funebre tibi, componam, Papile, carmen,
Quid me urges totos sollicitasque dies?

---

[1] Corn. 82 sq.

[2] Seminibus quarundam plantaram, quae ita levia sunt, ut ventis facile ferantur.

[3] Corn. 37.

[4] Ms. „audivi".

[5] Corn. 73.

Scribam; non puto vis tumulari, Papile, vivus;
Ut scribam, duo da, Papile, tresve dies.
Promitto — ne me torque — et, me Castore,[1] faxo;
Si moriare hodie, Papile, cras habebis.

XXXVIII.

In Antiochum.[2]

Vivis, sollicitusque petis funebre sepulcro
Componam carmen. Nescio, quid faciam.
Mentiar, „Antiochus", si scribam, „hac conditur urna",
Mentiar et si sic: „mortuus hic habitat".
Ut verum de te scribam, moriare necesse est.
Iam morere. En carmen: „hic iacet Antiochus".

XXXIX.

De Caeciliano.[3]

Cum plumis apponit aves mihi Caecilianus.
Scribam vult, non vult Caecilianus edam.
Scribam non edam; nam si, quae[4] scripsero de te,
Edam, vae[5] capiti, Caeciliane, tuo.[6]

XL.

In Pyrrhum.[7]

Carmine te nostro perstrinximus. Aethera terris
Misces inque meum multa minare caput.
Laudes dissimulas nostra et nil carmina curas,
Talia sint tanquam debita, Pyrrhe, tibi.
O male prudentem, qui laudes fecit inanes,
Inque probra exitium multa minantis habet!

---

[1] sic ms.
[2] Corn. 20.
[3] Corn. 18.
[4] Ms. qua.
[5] In msto. ductus huius vocis incerti sunt.
[6] Ludit in edendi duplici significatione.
[7] Corn. 90.

XLI.

In Caecilianum.[1]

Fingere multa meo dicis me carmine. Factum
Cum te laudavi, forsitan illud erat.
Carpmero sed si te, si te reprendero nostro
Carmine, tunc fingam, Caeciliane, nihil.
„Caecilianus amat sacrata cubilia Vestae“
Si dicam, fingam, Caeciliane, nihil.
„Sustulit incesto tres natos Caecilianus“
Tunc etiam fingam, Caeciliane, nihil.
Omnia si de te scribam mala, Caeciliane,
Carmine nil fingam, Caeciliane, meo.
Dicere parce meo me fingere carmine, dicam
Ne si, quod verum est, Caeciliane, fleas.

XLII.

In Phoebum.[2]

Laudari vis, Phoebe: facis nil laudibus idem
Dignum. Laudabo, fac modo, Phoebe, prius.

XLIII.

Ad Polyphemum.[3]

Laudavi sic te, ut multis, Polypheme, viderer
Mentitus iusto et plus tribuisse tibi.
Tu calamos tamen esse meos es questus avaros,
Laudatum et versu te minus esse meo.
Laudibus adieci laudes te et ad aethera vexi,
Ut facerem tandem sat, Polypheme, tibi.
Nec satis hoc; quereris laudis, Polypheme, deesse
Nescio quid, dicis nec, Polypheme, mihi.
Largum non scripsi; hoc memini, Polypheme, deesse,
Scribendum et nobis hoc, Polypheme, fuit.

[1] [illegible]
[2] [illegible]
[3] [illegible]

Largus eras; oleo sed me scribente lucerna
Defecta[1] est. Mittis si mihi, largus eris.

XLIV.

In Fabium.[2]

Ad cenam modo me, Fabi, rogasti,
Iucundum veterem tuum sodalem.
Exspecto sed ego tuas ut escas,
Dum dormito meridiationem,
Securus gelidae meae culinae,
Cum fumare tuam puto culinam:
Hic visum mihi somnium negavit
Ullam te penitus parare cenam.
Paucis — quid facerem? — famem repressi,
Nobis ne esuries neget quietem,
Et mensa cubitum brevi levatus
Pergo, non remorans tuum salinum.
Factum quid velit hoc meum, requiris?
Ipsis, quam tibi, quippe vaniori
Credendum mage somniis putavi.

XLV.

In Codrum.[3]

Promisit mihi Codrus equum; iamque exiit annus:
Oblitus misit nec mihi Codrus equum.
Pollicitus mihi Codrus equam si forte fuisset,
Debitus in pratis iam mihi pullus erat.

XLVI.

Ad Phoebum.[4]

Quod praesens peto, Phoebe, negas; promittis at idem
Argentum, mensas, praedia, rura, domos.

---

[1] Ms. „deficta":
[2] Oss. 204 = corn. 305.
[3] Oss. 136 = corn. 254.
[4] Oss. 119 = corn. 238.

Res nos, Phoebe, iuvat, nil grandia verba moramur;
Pasce oculos, aures pascere parce meas.

XLVII.[1]

Frigora dum pellam, qua pellam frigora pelle,
Non curae est; curae est, quo toleretur hiems.

XLVIII.[2]

Pelliceum scripti mercedem carminis esse
Iussisti; missum est nec mihi pelliceum.
Cur non, inquis, opus dicis iam pellibus? istud
Sat pro me veniens frigida clamat hiems.

XLIX.[3]

Qui sperare senem iussit, si vera fatetur,
Verbis promittit, re tamen ille negat.

L.[4]

Barba quibus cana est, illos sperare iubere
Decipere est; mortis spes manet una senem.

LI.

De senibus exspectare iussis.[5]

Qui exspectare iubet canum, si vera fatetur,
Verbis promittit, re tamen ille negat.
Rex, iuvenes sperare iube, rem cana senectus
Exposcit; iuvenes spes alat, ara senes.

---

[1] Oss. 23 = corn. 157.
[2] Oss. 168 = corn. 279.
[3] Oss. 168 = corn. 279.
[4] Oss. 168 = corn. 280.
[5] Oss. 144 = corn. 259. Eadem videtur esse ratio huius carminis, atque illius „De crastino regio". Agitur, ni fallor, de archipresbyteri ecclesiae vilnensis Sti. Ioannis munere Royzio committendo.

LII.

In quendam.[1]

Largus eras; factus nunc es contractior; arta,
Quae modo laxa fuit, est tua facta manus.
Si pergis, dicam, multam dum dico salutem:
Me tibi larga tulit, sustulit arta manus.

LIII.[2]

Plurima qui debet, nec paucula reddit iniquus,
Cum non dicit: „habe", tunc mihi dicit: „abi".

LIV.

In quendam.[3]

Dives pollicitis abs te sum factus. Ut ore,
Si sic aere facis, vere ego dives ero.

LV.[4]

Promittis centena mihi numerare quotannis;
Idque tua loquitur charta notata manu.
At, centena mihi, — iam plurimus exiit annus, —
Nulla tua veniunt enumerata manu.
Pavisti scriptis oculos satis hactenus, heros,
Post pastos oculos aere reple loculos.

LVI.

Ad Pamphilum.[5]

Cum nil debebas mihi, visere saepe solebas
Me mecum et longos ducere saepe dies.
At, postquam centum dedimus tibi mutua, cessas.
Ut redeas, centum, Pamphile, redde mihi.

---

[1] Oss. 120 = corn. 239.
[2] Oss. 120 = corn. 240.
[3] Oss. 121 = corn. 240.
[4] Oss. 121 = corn. 240.
[5] Corn. 18.

LVII.

In Castricum.[1]

Parce sacros factis dictisve lacessere vates,
Si clarum in terris, Castrice, nomen amas.
Quippe malum fama possunt[2] inspergere virus,
Quasque haud posteritas deleat ulla, notas.
Casta fuit Dido phrygioque incognita regi,
Quam ruere in ferrum iustus adegit amor,
Gaetuli thalamos ne invita sequatur Iarbae,
Sychaei viduos linquere iussa toros.
Speluncam sed Minciadae[3] devenit eandem
Cum Phryge, et in ferrum turpis adegit amor.
Perfida Penelope lectum vulgavit Ulyssis,[4]
Credita sed vulgo est nulla pudica magis.
Prodidit Aeneas patriam, — quid carmina possunt?—
Fert tamen Aeneam fama fuisse pium.
Erudiit docuitque novem quem Iuppiter annos,
Iniustus Minos, durus, agrestis erat.
Tanti est dilectos Phoebo laesisse poetas
In cornu foenum nam genus illud habet[5].
Cui laus est studio, cui famam extendere curae,
Ille colat vatum blandus amicitias.

LVIII.

In Umbrum.[6]

Vis te, Umber, metuam? volui qui te, Umber, amare,
Vis metuam? Metuo, non tamen, Umber, amo.

---

[1] Oss. 209 = corn. 306.

[2] scil. vates hominibus, nisi fortasse „famae“ scripsit ipse R.

[3] Vergilio ad Mincium flumen nato. Conf. Aen. IV, 160 sqq.

[4] Contra morem latinorum scriptorum utitur Royzius hac forma pro forma: Ulixis.

[5] Conf. Horat. Sat. I, 4, 34.

[6] Corn. 66.

LIX.

In Rubellium.[1]

Dicis, quod faveas mihi, Rubelli;
Credo, quod faveas mihi, sed ore;
Rebus si faveas, facis quod ore,
Dicam, quod faveas mihi, Rubelli.

LX.[2]

„Ob sonnum“[3] dixi. Me ceu non rite loquentem
Rides. Ob sonnum rideor anne tuum?[4]
Si[5] non est sonnus, quae sunt mihi dicta latine,
Haec mihi sarmatico crede redicta[6] sono.

LXI[7]

Si qua tibi domus est, tibi corrige, parcito nostrae,
Non habitanda tibi est, est habitanda mihi.

---

[1] In utroque msto (corn. 216 = oss. 92) inscribitur „in Rubellum“, sed ipso textu traditur forma „Rubellius“. In ossolineo praemittitur huic carmini carmen ad Radivilum scriptum, ipse tamen librarius in margine ordinem perperam a se mutatum notavit. Nihilominus Royzius hoc epigrammate ipsum Radivilum, cui Rubro erat cognomen, tangere videtur.

[2] Oss. 23 = corn. 157. In cornicensis margine haec pro titulo adscripta leguntur: „Pro osobny obsomny.“ Quae ficta esse ab interprete putavi et omisi.

[3] In oss. hoc loco et duobus proximis est: „somnum, somnum, somnus“, in corn. duobus primis „sonum“ tertio „somnus“ legitur. Edidi „sonnum, sonnus,“ quae ipsa scribendi insolens ratio librarios in errorem induxisse videtur. Etenim Royzius polonae linguae pronuntiandi rationem cavillando paenultinam vocis sŏnus fortius acuisse eaque ratione produxisse videtur, quam rationem festive duplici littera „n“ significavit.

[4] Loquitur enim cum Polono quodam.

[5] mss. „ni.“

[6] mss. „credere dicta.“ Redicta (conf. Sidon. Apoll. Epist. 9, 13), nam „sonus“ ter in hoc carmine redit.

[7] Oss. 315 = corn. 368.

LXII.

In Phoebum.[1]

Utere, Phoebe, tuis, nostris nisi parcere discas,
Non alius finis, quam tibi funis erit.

LXIII.

Poenitentis.[2]

Cur agitem in tenebris, quaeris? causam accipe iustam:
Peccavi in tenebris, punior in tenebris.
Una sed infelix nox hoc peccaverat; at vix
Triginta totos fit medicina dies.

LXIV.

In Priscum.[3]

Est mea furatus cristallina lumina Priscus:[4]
Illa utinam Prisco lumina conveniant!

LXV.

Ad Papilum.[5]

Quattuor, heus, inquis, cur gestas lumina? in aula,
Papile, non satis est lumina habere duo.

LXVI.

Ad Pamphilum.[6]

Ut pestem fugerem, veni malesanus ad aulam;
Servarem ut corpus, Pamphile, perdo animam.

---

[1] Oss. 303 = corn. 367.
[2] Oss. 179 = corn. 287.
[3] Corn. 29.
[4] Royzius, utpote hebetiore oculorum acumine praeditus, perspicillis utebatur. Conf. supra XXII, v. 7.
[5] Corn. 88.
[6] Corn. 89. Conf. meae polonae de Royzio dissertationis pg. 19 (=59).

LXVII.

Ad coquum.[1]

Cristatam mihi mittis avem sano atque valenti,
Perdicem aegroto: quid, coque, si moriar?
Attagenasne[2] dabis volueres post funera? Nostra
Stent tibi ne tanti prandia, nolo mori.

LXVIII.

De coquo.[3]

Ius coquus insulsum misit mihi; iure peritum
Scivit me; voluit ius ego corrigerem.
Esto; post misit pisces, puto, Deucalionis
Reliquias mensae. Quid petit iste coquus?

LXIX.

In archimagirum.[4]

Certa[5] promissa nec missa,[6] dicere possum
Certas incertas, archimagire, tuas.

LXX.[7]

Aulicus os gestat mellis, praecordia fellis.

LXXI.[8]

Fallere qui nescit, nostra procul absit ab aula,
Est ubi, qui nescit fallere, semper inops.

---

[1] Corn. 89.
[2] Abutitur forma „attagenas" vocalem „e" corripiendo.
[3] Corn. 62.
[4] Oss. 20 = corn. 155. Quem tangat, haud liquet.
[5] Certa sive cirta, piscis genus (Kromer, Polonia I: piscium genera)
[6] In oss. verbis „promissa nec" superscriptum est posteriore manu „mihi;" in corn. „mihi" iam in textu inter „promissa" et „nec" exstat.
[7] Oss. 102 = corn. 224.
[8] Oss. 110 = corn. 230.

LXXII.

Ad aulam.[1]

Aula vale, vale aula, illum — mihi parce, — suus qui est,
Esse tuum extrema est linea stultitiae.

LXXIII.

Ad aulam[2]

Aula, malum suave et spes desperanda! Futurum
Promittis, praesens das nihil. Aula, vale.

LXXIV.

De aulis.[3]

Promissis miseros retinent[4] ingentibus aulae.

47.

Ad BALTASAREM SIMOSEVIUM

astrologum et medicum.[5]

I.[6]

Baltasar, hinc patrias, nostri memor, ibis ad oras
Varsovi et repetes arva relicta soli;
Illic fortuna exsultans et divite gaza,
Arbitrio vives atque fruere tuo.

---

[1] Corn. 86.

[2] Corn. 88.

[3] Corn. 89.

[4] Var. lect. adscripta in codice: „implent."

[5] Erat medicus Sigismundi Augusti regis, astrologiae peritus, quam ipse quondam Patavii docuit. Polonus Masovia a Zimorzars oriundus fuit. Titulum sumpsi e carmine III, cui praescriptus est, nisi quod ibi legitur „artium astrologo medicum." Conf. Oettinger, Rys... n. 130.

[6] Corn. 29 sq., ubi praescribitur „Ad Balthasarem medicum."

Et tua dispositis compones otia curis,
Felix divitiis, dives amicitiis.
Coniugio dives, prole, agris, dives et aegris,
Aere potens, medica nec minus arte potens.
Stagnanti et dives salientis piscis in unda,
Varsova et si quid plus dare terra potest.
Nos desiderio absentis tangemur amici,
Nos desiderium, nos cruciabit amor.
Baltasar, ergo hinc, si,[1] si qua est tibi cura Royzi,
Aut ne ito, aut si ieris, ilico, quaeso, redi.

II.[2]

Pro equo donato.

Egregio donatus equo tibi carmina mitto,
Splendor apollineae, Baltasar, unus opis.
Munera mutamus; sunt Phoebi haec utraque: nobis
Carmina dat Phoebus, dat tibi Phoebus equos.

III.[3]

En tibi, quod nuper carmen funebre petisti,
Baltasar. Illo utinam tam cito non sit opus!
Sed cito ne sit opus, facias tu, Baltasar, illa,
Qua me, qua multos, Baltasar, arte iuvas.
Non opus his, non sit tot deinde sequentibus annis!
Astrologus sed tu, quam cito, scis, sit opus.

IV.[4]

Qui superesse potes triginta, Baltasar, annos,
Sollicitus carmen, quod ferat urna, petis.
Fata instare tibi te hinc cernere credimus omnes,
Baltasar, hoc caelum dicere et astra tibi.
Magnum o discrimen famae tua, Baltasar, ista
Quantum habeat, nescis, sollicitudo mali.

---

[1] Ms. „ergo hic si." — Baltasar Cracoviae tunc fuisse videtur.
[2] Corn. 30.
[3] Carmen III, IV et V exstat in corn. pg. 83 sq.
[4] Carmini IV et V praescribitur „locatur cum eodem".

Omnes dicemus, cito ni moriare[1] petitum
Post carmen: „Malus est Baltasar astrologus".

V.

Accipe sollicite toties funebre petitum
Carmen, habens titulos, quos gerat urna, tuos.
I morere, accelera, ne te lux crastina vivum
Cernat, ni credi vis malus astrologus.
Astrorum indoctis, rudibus sua noscere fata,
Instare extremum seu procul esse diem,
Fas superesse dies multos funebre petitum
Post carmen: vobis non licet astrologis.
Suspicio quippe est, male ne observaritis astra,
Ante suum carmen et petiisse diem.
Ergo iam moriare; dies si crastina vivum
Te cernat, malus es, Baltasar, astrologus.

VI.[2]

Epitaphium.

Baltasar hic situs est, medica vir quantus in arte
Seu fuit Hippocrates, sive Galenus erat.
Astrorum quondam patavina doctor in urbe,
Nunc regis medicus, vita salusque sui.
Occubuit nato iustaque uxore relicta:
Terra tenet corpus, spiritus astra colit.

---

[1] Correxi, quae ex msto. transcripta habui haec: „dicimus cito et moriare".

[2] Corn. 84.

48.

Ad STANISLAUM SCASSEVIUM[1].

I.[2]

Urbanam sic rem tractas, videatur ut esse
Nemo parandarum tam studiosus opum.
In caros idem sic parta profundis amicos,
Nemo ut contemptor tam videatur opum.
Sed non contemnis; nam quae largiris amicis,
Horum, Scassevi, nil periisse putas,
Illud saepe sonans toto haud inglorius ore:
„Quas damus, has solas semper habemus, opes“.

II.[3]

Tot me muneribus, tot usque donis
Haud cessans oneras, id illud addens,
Nunc hoc, nunc aliud, nihil merenti
Cellas, horrea, stagna. Munerando[4]
Exhauris bonus alitum cohortes
Ingentes et haras. Modum, rogamus,
Scassevi, reperi, vel esse nobis
Ingratis liceat; tibi nequimus
Par qui reddere, non Deus senectam
Addat si pyliam vel eius aevum,
Qui Aurorae croceum premit cubile.
Iis da munera, gratiam referre
Qui possunt aliis datis. Egenti
Qui dat, non reditura[5] dat nec olim

---

[1] Hoc loco in ossol. est: „Skaschevium“, in corn. „Skassevium“ et ita ubique in contextu.

[2] corn. 307 sq. — oss. 210.

[3] Ibidem.

[4] Cornic. perperam: „numerando“.

[5] Msti.: „rediturae“.

Nec mox. Si faciam, quod usque possum,
Non possum tibi gratiam referre.
Ni vis incipiam, quod est necesse,
Esse ingratus ego, tot auctus abs te
Donis, quot numerare nec valemus,
Scassevi, peto per Iovemque quaeso,
In me desine liberalis esse.

III.[1]

Currit in occasum rutilo dum Phoebus ab ortu,
Claraque phidiaco fulgebunt sidera caelo,
Perque vices nox atque dies mortalibus aegris
Usque alternantes referent opera atque quietem:[2]
Scassevii his semper decus et laus vivet[3] in oris.

EPITAPHIA
LAGANOVIAE[4]
coniugis Scassevii.

I.[5]

Hoc tumulo cum prole iacet Laganovia, coniux
  Scassevii, claro femina nata loco.
Fracta[6] puerperio, defuncta est optima mater.
  Filiaque est matrem mox comitata suam,
Dum, quae causa fuit mortis, superesse recusat.
  Matrem una et subolem continet urna duas.
Unaque defunctae sedes habitatur utrique,
  Una ambas iungunt sidera, iungit humus.

---

[1] Corn. 301 = oss. 200.
[2] Cornic.: „salutem".
[3] Corn. „viget".
[4] Annae, ut ex proximo poetae carmine patet.
[5] Corn. 301 = oss. 200.
[6] Corn.: „facta".

II.[1]

Anna Stanislai Scassevi hic conditur uxor;
Sanctior in terris femina nulla fuit.
Sic dilecta viro coniux erat optima, condi hic
Scassevi ut possis dicere dimidium.

49.

EPITAPHIUM

SCOSSEVII[2].

Hic cubo Scossevius, quem funere mersit acerbo,
Quae dare debuerat dextra medentis opem.
Vivo Deo; mater ne fle, ne flete sorores,
Quam vixi in terris, mortua vita fuit.

50.

EPITAPHIUM

FELICIS SOLIKOVII[3].

Felicem fatum infelix, et parcere nulli
Sueta Solicovium mors tulit ante diem.
Cumque sibi raptum Phoebus quereretur Apollo,
Spes qui esset magnae maxima Sarmatiae,
Et Musae iuvenis deflerent funus amati,
Quo nihil in terris vixit amabilius:

[1] Corn. 308 = oss. 211.
[2] Corn. 155 = oss. 19.
[3] Corn. 152 sq. = oss. 16.

„Parcite„, respondit, „tot me pulsare querelis,
Intulerim tamquam“, mors, „properata manum“.
Non ego florentem Solicovii stulta iuventam,
Quaque die in terras editus ille fuit,
Impubesve genas, verum, quo Nestora vicit,
Respexi canum“, mors ait, „ingenium“.

51.

Ad STANCICUM scurram[1].

I.

Stancice, te dominum appellant equitesque patresque,
Sed tantum dictus Stancicus es populo.
Stancicus et tantum es, dominus non; Stancice, nam nec
Servulus aut villa est ulla paterna tibi.
Ergo quod dominum dicunt equitesque patresque,
Iniciunt linguae, Stancice, vincla tuae.
Appellant dominum, ut taceas nec crimina dicas,
Ne dicas id, quod ille vel ille facit.
Hoc quoque si populus metuat, si, parva secuta,
Solvitur in populi crimina lingua tua,
Diceris dominus populo quoque, Stancice; egenum
Rerum te dominum, Stancice, lingua facit.

II.

Stancice, si dicam, quid peccet episcopus aut rex
Saevae me poenae suppliciumque manet.
Hoc tu si facias, rem, Stancice, propter eandem
Praemia fers: tanti est, Stancice, desipere.

[1] Carmen I est in corn. 61; carm. II ibidem 90. Titulum carminis II utrique dedi, in libro enim primo carmini praescribitur „In Stancicum“. Stancicus est celeber scurra regum Alexandri, Sigismundi I et Sigismundi Augusti. Utrumque carmen scriptum esse videtur regnante adhuc Sigismundo I“.

52.

* In TARNAVIUM[1].

Frigus ubi semper, semper calor exulat unde
Horridaque est placidi nescia veris hiems,
Hic vati hospitium Tarnavius avius omni,
Qua sapiunt homines, ab ratione dedit.
Cui vates contra ob meritum, ne frigeat, Aetnam
Aetnaeosque[2] optat datque habitare lares.

53.

Ad ANDREAM TRICESIUM[3].

I.[4]

Quae fuerat nuper pictura simillima nobis,
Aereque, Tricesi, facta tabella tuo,
Alterius dicas hominis, si videris aegrum;
Attulit haec nobis tristia damna febris.
Tu impensam, patiar morbi ipse incommoda, pictor
Iacturam nolit forsitan ingenii.

---

[1] Ex solo libro corn. pg. 193.

[2] Ms. Aethneosque.

[3] Andreas Tricesius (Trzycieski), Nicolai Reyi vitae enarratae auctor, clarus et eruditione et carminibus cum polonis tum etiam latinis inter aequales exstitit. Starovolscius (Hecatont.) librum eius epigrammatum atque epitaphiorum commemorat et inter alia haec scribit: „Amicos coluit Io. Cochanovium, Iac. Prilusium, Io. Macinium, Andream Patricium, Petrum Royzium Hispanum. Conf. Ianoc I, CIII. Cum Royzio iam Cracoviae ante a. 1552 amicitiam iunxisse videtur.

[4] Corn. 291 = oss. 185.

In ANDREAE TRICESII imaginem.

II. [1]

Sic oculos, sic pulchra tulit Tricesius ora,
Aurora exoritur qualis ab oceano.
Artes docta manus potuisset si addere, clausus
Cum musis hoc in vertice Phoebus erat.

III.

Tricesi hanc tabulam cernens Venus aurea dixit
Suspirans: „Noster talis Adonis erat".
Parce Venus, vestros nescit Tricesius ignes,
Non tuus ergo, Venus, talis Adonis erat.

IV.

Tricesi haec tabula est, quam quisquis cernis, ephebi
Ora videns iuvenis, pectora crede senis.

54.

Ad RAPHAELEM VARGAVIUM,

aerarii praefectum [2].

Sic tua, Vargavi, cingat diadema sacratum
Tempora et incurvum dextera prenset ebur,
Atque toro populum erudiens specteris in alto,
In caelum, monstrans, qua teneatur iter;
Denique contingat tibi, quicquid pectore versas,

---

[1] Carmina II, III et IV exstant in corn. pg. 348, in oss. pg. 274.

[2] Corn. 150 = oss. 13. Est ille amicus Ianitii poetae (conf. Ćwikliński, Kl. Janicki, Kraków, 1893, pg. 116 sq.). Vargavius, qui canonicus et praepositus cathedralis cracoviensis fuit, inde ab a. 1545 regni Poloniae thensauri notarius supremus. Carmen scriptum esse videtur circa a. 1550.

Quodque optas, facilis rex tibi dicat: „habe“:
Eripe me pesti, grandi non aere, furenti,
Vix passae aegroto tres superesse dies.
Ni facis, ah, nostri, si quid trux attulerit sors,
Casus, Vargavi, noxa futura tua est.

55.

In VICTORINUM [1].

In partes animo qui, Victorine, fuisti
Divisus, patriae proditor, ante duas,
Nunc, ut dignus eras, tanto pro crimine, duplum,
Quattuor in partes corpore scissus, habe.

56.

Ad VILLANOVANUM [2]

de peste praelegentem.

I.

Principio aggresso parvum de peste libellum
Plurimus auditor, Villanovane, fuit.
Post modo progresso vix unus restat et alter:
Fecisse hoc pestem, Villanovane, puto.

---

[1] Corn. 295 = oss. 191. Victorinus, de quo hoc carmine agitur, cum Moschorum imperatore clam contra patriam egit, proditionisque accusatus atque convictus c. a. 1563 Vilnae dilacerandum corpus dedit. Conf. Górnicki, Dzieje w k. pg. 162 sq. (Sanok, 1855).

[2] Carmen I asservatur in corn. pg. 18, II ibid. pg. 86. De Villanovano nihil aliunde cognitum habeo, et fortasse nomen est fictum. Fuisse eum sacerdotem, medicum et professorem ex carminibus sequi videtur.

* In EUNDEM.

II.

Villa negat decimam: sacris arcebitur aris
 Et diris flebit saucia carminibus.
In ius Fabricium, decima est mihi rapta, vocabo:
 Ni reddat, sacer hic inque sepultus erit.
Haec tua vox; totus sacro labat ariete mundus,
 Si tibi quis decimas, Villanovane, neget.
Caelo, tuas propter decimas armatur Olympus,
 Fulminaque has propter Iuppiter ultor habet.

57.

Ad ALBERTUM ZAKRZEVIUM [1].

Quae te, Alberte, tulit tellus Dobrinia, magnum
Illa tulit iuvenem, quo non praestantior alter
Sarmatia in tota est nec erit volventibus annis.
Illius [2] ingenium spectes animumque virilem,
Res pronum ad claras, — Macedum Pellaeus ut ille,
Exsultans armis olim victricibus, unus
Huic cordi est, persaepe viri monumenta legenti,
Curtius ille bonus memori quae tradidit aevo:
Iurabis vera haec et dignum pluribus illum
Dixeris et parcas de illo me scribere laudes.
Quod fateor, tempusque aliud nam [3] talibus opto,
Scribendis faveant musae modo et almus Apollo.

---

[1] Hic titulus in ossol. linea transversa simplici deletus est. Corn. 809 = oss. 213 sq.

[2] sc. Zakrzevii. Royzius minus apte mutat formam orationis, primum directe Zakrzevium allocutus, deinde de eo tractans.

[3] fortasse „iam“.

58.

Ad ZALEVIUM thesaurarium curiae[1].

Sic tibi Zalevi levi de marmore ponant
Pierides statuam, iungat Apollo lyram.
Exaltata necem cum passi ob crimina nostra
Crux erit, unde hominum dulce pependit onus,
Aera mihi numeres, Augusti iussa capessens;[2]
Sic annos possis vix numerare tuos.

59.

De ZAREMBA post Ulensem pugnam[3].

In pugna capti lituano a milite Moschi
Cum flerent sortem sic cecidisse suam,
Ecce Zaremba, suis castris procul inde relictis,
Ad pugnae famam Pannone cinctus adest.
Qui ut cessasse videt victis certamina Moschis,
Certare Augusto nec potuisse suo,
Indoluit lacrimisque gemens est visus obortis.
Ad quem captivus talia Moschus ait:
Quaeso, Zaremba, quid hoc? flentes spectamur utrique:
Tuque, quod abfueris, nosque, quod adfuimus.

---

[1] Corn. 292 = 186.

[2] Rex ipsa die Stae. Crucis exaltationis id est XIV mensis septembris pecuniam sive salarium Roysio numerandum mandasse videtur. Ceterum salaria professoribus inde a Casimiro Magno tertio quoque mense tempore ieiuniorum solvebantur.

[3] Corn. 341 = oss. 263. Verba „post Ulensem pugnam" in ossol. posteriore manu pallidiore atramento adscripta sunt. Carmen respicere videtur victoriam a. 1564 reportatam.

d.

IN POLONIAE MEMORABILIA.

1.

IN PRAEFECTUM SCHOLAE[1].

I.[2]

Ponere iussisti barbam, praefecte, magistros:
  Illi te contra ponere barbariem.

II.

IN PRAESIDEM QUENDAM[3].

Parce viris, praeses; barbatos ire magistros
  Sit fas: est[4] hirtas ferre virile genas.
Mascula res barba est; opifex hinc orbis et auctor
  Barbatas voluit pictus habere genas.
Incessit barbatus Adam, barbatus et Abel,
  Grata nimis caelo victima cuius erat.
Non illis tonsor fuit olim cognitus annis,
  Nec cultros aetas senserat illa graves.

[1] Quemnam his epigrammatis carpat, incertum est. Conf. meae polonae de Royzio dissertationis pg. 13 (= 53).
[2] Corn. 46.
[3] Corn. 62 sq.
[4] Ms. „ast".

Et quae deinde fuit post tempora longa secuta,
 Ferre viros tonsas est rata turpe genas.
Barbatus Moses, sanctus barbatus Aaron,
 Sic Abraam, Isaac, sic et Iacob erat.
Barbatus Baptista fuit, praecursor Iesu,
 Barbatus — nefas? — et quoque Christus erat.
Barbatus Petrus, barbata et cetera pubes,
 Discipuli rasas non habuere genas.
Barbatus Paulus, tolli qui dignus ad astra,
 Et qui nunc Petri numen et instar habet.
Romanus: barbam gestat, sacer ordo, senatus,
 Quem rarus tyrio murice vestit honos.
Omnia barbatis sunt plena: hic mundus et alter.
 Quod, quaeso, barbam tollere consilium est?[1]
Dic rogo. Saltantes, saltant si quando, magistros,
 An melius, ne quis crederet esse capros?

III[2].

Iussisti edicto barbam tondere minaci;
 Heu nos[3], invisis quos regis arbitriis!
Nec mora; continuo parendum est. Te, puto, praeses,
 Offendit, quod nos arguit esse viros.
Hei[4] mihi! ne iubeas caudam truncare, timendum est;
 Haec quoque nam nos pars arguit esse viros.
O stultum caput, o fatuum te, o ridiculum, qui
 Esse viris similes non patiare viros.

IV.[5]

DE SCHOLAE EIUS BARBARIE.

Barbara quod nimium vestra est schola, nemo latina
 Quod loquitur lingua, nemo quod argolica,

---

[1] addidi „est".
[2] Corn. 62 sq.
[3] Hoc atque proximum carmen declarare videntur agi hic de rectoris aut cancellarii academiae cracoviensis edicto.
[4] ms. „heu".
[5] Corn. 62 sq.

Omnia sed geticum resonant[1] incompositumque,
Inter agaso sues rudere quale solet,
Edictum vestri facit hoc rectoris acerbum:
Hostis barbatis et manus illa genis.
Namque procul, fugiens ipsum, discessit Apollo,
Nati ne tonsas cerneret ille genas,
Caesariemque suam eripuit. Nam quis sciat, iste
Hostis an, ut barbae est, sit quoque et ille comae?

V.[2]

Cur hirci scopulis semper visantur in altis,
Cur loca pascentes ardua semper ament,
Non magno sciat hoc Academia iuncta[3] Lycaeo,
Non doctus Plato, non acer Aristoteles,
Non alii, quoscunque olim prius attulit aevum,
Quis studium rerum scire reposta fuit.
Hoc sed ego dicam, nostris non maximus annis,
Dicam ego non illis cognita Apollinibus:
Edictum metuunt, cultrosque furentis acutos
Praesidis, in barbam quos rotat ille minax.
Praesidis ira trucis, metuunt, se tondeat, hirci,
Radat honoratas et senis ira genas.
O hominem durum plusque immitemque ferumque,
Per quem barbatis non licet esse — feris![4]

VI.[5]

Barbatos praeses ne siveris ire magistros
Tonsores, credo, consuluere tibi.

---

[1] Ms. „resonent".

[2] Corn. 62 sq. cum vix a Royzio superscripto titulo „Irridet eundem".

[3] Ex msto. transscriptum habui „vincta". Ceterum formam „Academia" brevi *i* usurpavit ex more posterioris aevi poetarum.

[4] „Feris" ad utrumque enuntiatum pertinere videtur.

[5] Corn. 85.



3.

AD GNEZNAM[1].

Est postquam Samuel praesul tibi, Gnezna, negatus;
Post hunc, quem possis poscere, nullus erit.

4.

DE REIPUBLICAE PERNICIE[2].

Indigni quod multa habeant, paucissima digni,
Omnis res est eo publica fracta malo.

5.

DE POENA HOMICIDII AD SARMATAM[3].

Occidunt passim, passim furantur et ipsi,
Non impune tui, Sarmata, Sauromatae.

---

[1] Corn. 46. Scriptum est hoc carmen brevi post a. 1545 vel ipso illo anno, quo Gamratus mortuus et Samuel Macieiovius episcopus cracoviensis ex chelmensi factus, Dzierzgowski autem gnesnensis episcopi munere donatus est.

[2] Corn. 66.

[3] Oss. 308 = corn. 369.

6.

AD ALEXIM[1].

Est in Sarmatia iurisconsultus, Alexi,
Pellio quod[2] nigros est apud Aethiopes.

7.

AD PRESBYTEROS CARMEN

pro sacrorum codice recens edito[3].

Sede sedens celsa, Divum Nicolaus[4] ad aras,
Dzirgoviae princeps ille decorque domus,
Ille Polonorum primus summusque sacerdos,
Cui cordi pietas religioque sedet,
Aspexit sancti cum longa silentia templi,
Nec sacra more legi, nec sacra more cani:
„Templa mihi commissa", gemens ait, „ergo silebunt,
Christe, crucem plangens nec canet ara tuam?
Difficilesque obitus crudelia funera passi,
Humani generis prodiit unde salus?
Copia sacrorum, quam sensi deesse, librorum,
Non deerit, non, me praesule, quicquid opus".
Continuoque ardens Lugdunum misit ad urbem,
Excusus[5] vobis hic venit unde liber.

---

[1] Corn. 68.

[2] Scil.: idem valet iurisc. in Sarmatia atque pellio apud Aethiopes.

[3] Corn. 107.

[4] Nicolaus Jastrzębiec Dzierzgowski successit a. 1545 in gnesnensi archiepiscopatu Gamrato. Liber, quem tangit hoc carmen, videtur editus esse post a. 1551, quo Dzierzgowski synodum provincialem Piotrkowiam convocavit. Obiit Dzierzgowski a. 1559.

[5] Ms. „excussus".

Quare pontifici grates persolvite vestro
  Presbyteri orantes et date tura Deo.
Ille diu vivat longumque supersit in aevum,
  Cuius tam sanctum munere venit opus.

8.

AD SARMATAS[1].

Sarmata quid properas una tot prandia mensa?
  Non edis, ut vivas: ut moriaris, edis.

9.

DE EBRIETATE[2].

Post tantas mensas repetitaque pocula bacchi
  Non homines credas, pocula crede loqui.

10.

AD SARMATAM
de Istulae inundatione[3].

Sarmata conquereris, quod damnum acceperis ingens,
  Istuleae[4] late dum populantur aquae.
Desine plura queri: vino quod fas fuit annos
  Omnes, cur uno non licuisset aquae?

---

[1] Corn. 20.
[2] Corn. 20.
[3] Corn. 28.
[4] Ms. „Istulae".

11.

DE PRANDIIS SARMATICIS[1].

Esuriunt pauci, nullus sitit, ebibit omnis;
Exhausto vini gutta nec ulla cado est.
Non aliter, solem vix non visura cadentem,
In nostra constant prandia Sarmatia.

12.

DE SARMATA[2].

Purgatur multis aliorum ambagibus error,
Creduntur longae nec satis esse preces.
Ut venia offensi cuiquam quaeratur amici,
Multus amicorum sudat in ista labor.
Sarmata, si quicquam deliquit, „parce“ duobus
Excusat verbis „ebrius“, inquit, „eram“.

13.

DE SARMATA[3].

Nocte bibit tota, surgit mens mane serena[4]:
Sarmata cum Baccho dividit ingenium.

---

[1] Oss. 256 = corn. 336.
[2] Oss. 256 = corn. 336.
[3] Oss. 307 = corn. 369.
[4] Sic in mstis. Durius subiectum mutatur.

14.

AD SARMATAM.

I.[1]

Deservit caelum tibi, Sarmata, vivere si vis.
Vivere tu non vis, Sarmata, sed bibere.

II[2].

Perpotare dies totos noctesque rigenti:
Hoc est in tota vivere Sarmatia.

15.

AD SARMATAM DE EBRIETATE.

I.[3]

Ecquid ob alterius certas potare salutem
Sarmata? complures perdidit ista salus.

II[4].

Ebrietas — tibi parce volens, fuge pocula plena —
Et censum et sensum perdere sola potest.

III[5].

Qui vis canitiem rugasque videre seniles,
Annos Tithoni quem superare iuvat,

---

[1] Oss. 301 = corn. 366.
[2] Oss. 304 = corn. 367.
[3] Oss. 299 = corn. 365.
[4] Ibid.
[5] Oss. 271 = corn. 346.

[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

17.

In bibulos sapphicum [1].

Est obyczajus [2] starus et receptus,
Alter ut potet sitiente drugi:
Nos sitim cudzam comitamur omnes:
Nasza niewola.
Ferre quis takum queat obyczajum!
Qui sitit niechaj bibat ille pełno,
Wolno sit drugim, tyle [3] quisque potet,
Ile potrzeba.
Sic erit zdrowus człowiek atque mądrus,
Nec suos quisquam iaciet pieniądzos
Darmo, szynkarkas faciens bogatas,
Sam się [4] ubogim.
Sed nos truciznam bibimus quod ipsi,
Ad przyjacielos modo [5] saepe centum
Portet ut zdrowios, faciles [5] medendo
Absque lekarstwa:

---

[1] Carmen hoc asservatur post carmen Roysii In lituanicam peregrinationemn (cof. I, pg. 240) in ultimo folio msti. bibliothecae Crassiniorum varsaviensis, qui continet A. Cricii carmina saec. XVI conscripta. Adscriptum est posteriore manu una cum illo altero Roysii carmine. Continebatur procul dubio olim etiam msto. cornicensi, dum is integer erat, desinit enim liber cornicensis carmine In lituanicam peregrinationem eademque pagina in imo margine, ut assolet, notatur carmen proximae paginae „In bibulos", quod deperiit. Ex msto. Crassiniorum transscriptum edidit a. 1887 Cas. Morawski in Dissertationibus actisque clas. philol. academiae litt. cracov. tomo XII pg. 403 sq., unde hoc loco textus repetitur. Carmen hoc circa a. 1555, quo tempore etiam alia eiusdem argumenti carmina composita sunt a R., scriptum esse videtur.

[2] mstus. crass. secundum edit. exhibet „obyczajusz".

[3] mstus.: „tilo".

[4] in msto.: „samo(e) ubogim".

[5] Bis textum msti. mutavi, nam et v. 14 mstus. exhibet „millia" pro „modo" et v. 15 „faciat" pro „faciles". Sed „milia" abhorret a metri

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

22.[1]

Inter se vivo Augusto movet arma Polonus
 In mediisque furens proelia miscet agris.
Sospite qui rege hoc audet nec sceptra veretur,
 Hic quid post regis funera non faciet?

23.

DE VARIO POLONORUM AMICTU[2].

Romanus, Graecus, Germanus, Iberus, ad Indos
 Gadibus a Tyriis quicquid ubique virum est,
Uno ceu gentis proprio noscuntur amictu:
 Omne genus vestes Sarmata solus habet.

24.

DE LONGIS COLLARIIS[3] TOLLENDIS[4].

Calfaciunt auras collaria longa. Coerces
 Haec nisi, rex, posthac nulla rigebit hiems,
Perpetuique luti cives dum taedet, abibunt,
 Proque iis advenient ad tua regna sues.

[1] Oss. 25 = corn. 159.
[2] Oss. 240 = corn. 325.
[3] Sic pro „collaribus". Royzius de lege quadam sumptuaria ferenda cogitasse videtur.
[4] Oss. 240 = corn. 326.

28.

AD VORNIAM [1].

I.

Qui cymbam rexit pelago vicitque procellas,
Cuius non olim naufraga puppis erit,
Ille tuas vectus felici, Vornia, lembo,
Ille tuas Petrus Bariona [2] sulcat aquas.
Hoc metuenda tibi tempestas nulla magistro est,
Navigat hoc quisquis remige, tutus erit.

II.

Ianitor en Divum stat Petrus Bariona; cuius
Arbitriis caeli ianua tota patet.
Hunc tibi laeta ducem legisti, Vornia, postquam,
Hoc duce sidereas, Vornia, carpe vias.

29.

AD CAPITULUM SAMOGITIENSE [3].

Iungite corda viri vosque inter amate volentes,
Araque coniungit quos sacra, iungat amor.
Vestro et pontifici meritos habeatis honores,
Vosque amet ille, solet ceu sua membra caput.
Fortunati omnes eritis perquamque beati,
Inter vos talis si coalescet amor.

---

[1] Oss. 102 = corn. 223. Vorniae (Wornie) sive Mednici (Miedniki), in capite dioecesis samogitiensis, erat templum cathedrale a. 1464 conditum sub patrocinio Storum. Apostolorum Petri et Pauli.

[2] Nomen Petri Apostoli.

[3] Oss. 121 = corn. 240 sq. Conf. Ossoliński Wiad. kryt. hist. II, pg. 175 sqq. et meae De Royzio pol. dissert. pg. 64 (=104).

30.

IN VORNIAM SEU MEDNICIUM[1].

Heu fuge crudeles terras, fuge barbara tecta
Mednicii, depulsa procul pax exsulat omnis
Unde gravisque bonis ubi sola licentia regnat,
Quam fugitans sese ad superos Astraea recepit
Indignata olim, haud nostris ventura sub annis[2].

31.

DE RUSTICIS SAMOGITICIS[3].

Ver quot habet flores, autumnus poma, quod aestas
Torrida fert spicas, horrida bruma nives:
Vana tot, ignarus veri, mendacia fingit
Rusticus et nectit tot Samogita[4] dolos.
Integra nobilibus, sit civibus integra:[5] nullam
Iis, qui rura colunt, discimus esse fidem.

[1] Oss. 126 = corn. 245.

[2] Ossoliński (Wiad. kryt. hist. II, 176 sq.) refert hoc carmen ad miseram ecclesiae vorniensis condicionem ex discidiis Petcunio episcopo (1566—1574) negligenti et ad calvinismum prono in ea exortis. Conf. supra pg. 132 et Ks. Wołonczewski, Biskupstwo żmujdzkie, Kraków 1898, pg. 43 sqq.

[3] Oss. 192 = corn. 296.

[4] Ossol. „Samogitta".

[5] scil. fides.

32.

FACIES URBIS VILNAE[1].

Saeva fames, saevus morbus, latro saevior omnem
Devexant Vilnam: compita, templa, domos.
Haec tria grassantur mala passim cunctaque complent
Funeribus. Quaeras si reperire modum:
Esca famem, morbos tollat medicina; latrones
Quae tollat, nulla est, hei mihi, iustitia.

33.

ECCLESIASTES VILNENSIS IN SICARIOS[2].

Sunt siccae[3] mihi iam fauces et guttura sicca,
Et sicco haud siccas persequor ore neces,
Dum clamo in madidas, sicarie, sanguine sicas,
Civo quibus caeso moenia nostra reples.
Clamo, sed, heu, frustra; et terris ego misceo caelum,
Tu, scelus, a caelo nil tibi triste times.

---

[1] Oss. 195 = corn. 297.
[2] Oss. 195 = corn. 297.
[3] Claud. „sicae".

Riga, tuus placido legat inclitus ore senatus,
Qua Dźwina velivolis [1] in mare fertur aquis [2].

37.

IN MILITES [3].

Vastat miles agros, sumpsit quibus arma tuendis,
Et vexat miseros impius agricolas.
Intactumque nihil manus illius unca relinquit,
Cui nihil occultum, nil satis esse potest.
Interea illaesos hostiles sustinet agros
Illa scelesta, rapax, illa oculata manus.
Consiliumne illi est, hostis quos perdere ferro
Festinat, prius hos perdat ut ille fame?

38.

IN AQUILAM REGIS POLONIAE [4].

Ales ego Augusti iustos tego suaviter alis,
Qui sons est, ungues sentiet ille meos.

---

[1] Ossol.: „velivelis".

[2] Scriptum est hoc carmen post a. 1563, quo Decisiones Lituanicae primum Cracoviae typis expressae sunt.

[3] Oss. 301 = corn. 366. Conf. supra pg. 29 sq.

[4] Oss. 93 = corn. 216.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Vilnae
[illegible] Vilnae[3]
[illegible]
[illegible] Lituania [illegible]

42.

De Polonis et Lituanis uno populo factis[4].

I.

Est postquam genti Lituania iuncta polonae,
Iamque his de terris una duabus erit:

[1] Ossol. 288 = 343. De re hoc carmine notata nihil aliunde comperiam nanu

[2] Ossol. 218 = cora. 312.

[3] „Magna est custodia Vilnae" idem valere videtur ac „magna custodia Vilnae opus est".

[4] Ossol. 189 = cora. 260. Unio Poloniae atque Lituaniae constituta est in comitiis lublinensibus a. d. III Kal. Iulias a. 1569.

Moschus, Turca, Scythae laqueum sibi nectere possunt,
Formidanda quibus unio facta coit.
Quin, quod eas metuant Moschus, Scytha, Turca, necesse est:
Tantum, quod nequeunt singula, iuncta valent.

II.

Audiit ut cladem Moschus stragemque suorum,
Qua Lituanorum est exsaturata manus,
Ingemuit duxitque sinu suspiria ab imo,
Et lacrimis maestae commaduere genae.
Audit at ut iunctos Lituanos esse Polonis
Et, duo quae fuerant corpora, corpus idem:
„Pectore non satis est suspiria ducere ab imo,
Non sat", ait, „lacrimas fundere cum gemitu.
Res venit ad restim; coepi miser ante perire,
His uno factis corpore, iam perii".

III.

Ad regem eadem de re.

Unio facta duum populorum, Auguste, tuorum
Est, quanti in terris unio nullus erit.

IV.[1]

Unum de geminis populis qui fecerit, errat,
Si caput hunc, illum si iubet esse pedes.
Nec durare potest; vis duret tempore longo?
Dextrum illum, laevum hunc iusseris esse latus.

V.

Iungere qui certo populos vult foedere, peccat
Si caput hunc, illum si iubet esse pedes.

[1] In ms. nihil praescribitur, spatio tantum intermisso (in ossol. etiam linea ducta) carmen hoc a proximo distinguitur.

44.

De Lituania et Polonia consensione utriusque gentis mutua pridie beatorum Petri et Pauli Apostolorum Lublini in comitio adunatis[1].

Vicenos solis numerabat Iunius ortus
Octoque: laeta dies omnibus illa fuit,
Unio qua facta est lituanaque iuncta polonae
Gens fortis forti est factaque corpus idem.
Serus ad occasum iam sol properabat, Ibero
Mersurus fessos flumine Phoebus equos.
Post ter quingentos, decies sex adde novemque
Annos a Christo, fulserat illa dies
Rege sub Augusto, facti cui gloria tanti est
Debita, qua divo cum patre vicit avum
Et proavum, qui, conatu coniungere magno
Annixi populos hos, potuere nihil.
Augusti sedenim postquam prudentia iunxit
Et maius tanto foedere robur habet,
Se Augustus toti metuendum reddidit orbi,
Qua Titana micans monstrat ab axe iubar.
Hinc Lituanus erit, quo Augustus ubique triumphet,
Quoque tropaea locet, inde Polonus erit.
Utraque gens felix Augusto est, rege; perenne
Rex feret Augustus gente ab utraque decus.

[1] Oss. 170 sq. = corn. 281 sq.

46.

AD SARMATAM
in dictionarium IOANNIS MĄCIŃSKI[1].

I.

Olim magna fuit romanae infantia linguae,
Frigida sarmatico qua riget aura solo,
Posteritas sedenim melioribus excita curis
Gaudet romanos edere docta sonos,
Transtulit hic chartis ex quo Mącinius omne
In vestram Latium, Sarmata, Sarmatiam.
Perdiscent pueri quo praeceptore quod olim
Aetate exacta vix didicere senes.

II.

Istud opus postquam Mącinius edidit ingens,
Sauromatas latio quod docet ore loqui,
Romanae linguae, qua claruit itala tellus,
Sarmatis ora decus, romula nomen habet.

III.

Hoc ubi vidit opus Mącini Roma politum,
Dixit: „Habentne suum Sauromatae Latium?"

IV.

Hoc libro lecto mox Thybridis accola: „nostra
Vincimur, heu, lingua" dixit et ingemuit.

V.

Flete senex; canus quae nescis, illa tenellus
Ante pilos discet et sciet illa puer.

---

[1] Exstant haec epigrammata typis expressa in Lexico latino-polonico Ioannis Mącińśki, quod prodiit in lucem Regiomontii Borussiae a. 1564. Conf. oss. 815 sq. = corn. 373.

48.

* EPIGRAMMATA TORMENTORUM[1].

I.

TORMENTUM

AUGUSTI nomine appellatum[2].

Augustus vocor; et minuo, quin destruo turres,
Disiectisque urbes moenibus aequo solo.
Unde ergo Augusti nomen mihi vindico?[3] crescunt[4]
Quod nostrae, hostiles dum minuuntur opes.

---

[1] Quae hoc loco proponuntur epigrammata, omnia praeter I tormentis, quae Sigismundus Augustus rex in Lituania fundi iusserat, incisa erant; de epigrammate vero I, cum idem demonstrari nequeat, tamen, quin ad eundem usum a Royzio compositum sit, non est dubitandum. Etenim, ut liberalissimo duce Dre. Ios. Korzeniowski cognovi, exstat adhuc in bibliotheca regia stockholmensi signo carens liber manu scriptus, continens polona lingua compositum indicem tormentorum armorumque a Sigismundo Augusto sua impensa inde ab a. 1551 paratorum. Cuius indicis apographum, in bibliotheca cornicensi asservatum, una cum aliis veteribus monumentis edidit Vilnae a. 1864 Nicol. Malinowski inde a pg. 252. In hoc indice enumerantur non solum singula tormenta, — erant autem in ipsa urbe Vilna 225, — sed etiam traduntur epigrammata eisdem incisa. In eo numero sunt omnia, quae hic ex mstis. ossol. et corn. proponuntur, praeter I, et insuper unum, quod desideratur in eisdem mstis. Quod cum et ipsum a Royzio compositum esse paene certum sit, inter cetera sub numeri XIV nota edidi. Epigrammata II, III et VII referuntur ad singula genera tormentorum, quae ad armaturam summorum exercitus Lituaniae imperatorum pertinebant (hetmańska strzelba), cetera erant tormentorum regii armamentarii vilnensis.

[2] Oss. 147 = corn. 263.

[3] ms. „vendico".

[4] ms. „crescant".

II.

TORMENTUM

SIGISMUNDUS dictum[1].

Saeva Sigismundus primus, rex, fulmina mitto:
An solos superos fulmen habere putas?

III.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS.

Arma Sigismundi patris en imitatus et ausus,
Hostiles acies fulmine sterno meo.

IV.

AUGUSTUS.

Augustus vocor ex Augusto, rege Polonum:
Non tamen augustum fulmen in ore fero.

V.

VITOLDUS.

Sum Vitoldus ego, Vitoldi ex nomine dictus;
Concutio turres, moenia sterno: cave.

VI.

BABA.

Baba vocor; bello surgunt mihi pectore flammae:
Dum speras lacrimas, fulmina mitto: cave.

VII.

SAXEA PARVA.[2]

Hostis in interitum saxum iaculamur et ignes,
Ut cadat et multo sanguine tingat humum.

---

[1] Epigrammata II—XIII exstant in ossol. pg. 227—230, in corn. dg. 316—318.

[2] In polono textu inscribuntur „Kamienne male dzialka".

VIII.

SAXEUM „MENDICUS“ [1].

Quos gemitus noster non flectit, fulmina flectant,
Atque ego victor per castra virosque vehar.

IX.

SCHARFFMECI.

Virgo severa gero funestum pectore bellum,
Pacis amore globo moenia sterno meo.

A L I U D.

Crudelis virgo, foedus pacemque perosa,
Bella sequor, vastans fulmine cuncta meo.

X.

KARTHUNI.

Siren [2] ego; ne tu tenearis carmine nostro;
Cantus sunt nostri, funera certa tua.

A L I U D.

Sirena, oceano quam astu contempsit Ulisses [3],
Terris contra astum fulmina porto modo.

XI.

PHILOMELAE [4].

Sum philomela et vim factam mihi conqueror ipsa,
Ipsa et hostiles vindico morte manus.

---

[1] In pol. textu „Żebrak“.

[2] Formam hanc ultima syllaba correpta contra morem hoc loco usurpat R.

[3] = Ulixes.

[4] Hoc loco et his proximis versibus exhibent msti. (etiam apud Malinowski) formam „Philomena“, qua cum R. usum esse vix sit credibile, rectam formam ubique restitui. In pol. textu inscr. „Słowiki“.

ALIUD.

Sum philomela tibi, sed dirus ad omnia bubo
Hosti; tu cantus, fulmen at hostis habet.

XII.

NOTSCHLANGI.

Immanis serpens; iratum sibila monstrant;
Omne perit, quicquid tangitur ore meo.

ALIUD.

Magnus ego serpens; sum magnus et hostibus hostis;
Faucis[1] sulfureum fulmina virus habent.

XIII.

MUSICI.

Hostibus exitium, tristes cantabo ruinas,
Et nullam obsessis stare salutis opem[2].

XIV.

(BEMBENICA)[3].

Thraeicio cantu muri crevisse feruntur,
Carmine nunc cernes dissiluisse[4] meo.

XV.

TIBICINES[5].

Thraeicio cantu muri crevisse feruntur,
At pulsu cernes dissiluisse meo.

---

[1] Ms. fauces.

[2] Singuli versus huius epigrammatis in editione vilnensi (Malinowski) falso duobus tormentis tribuuntur, epigramma autem inscribitur „Śpiewacski".

[3] Repetitur hoc carmen ex sola editione vilnensi a. 1564, quam curavit Malinowski, desideratur in libris mstis.

[4] Edit. „dissolvisse", mendose, ut etiam aliis locis.

[5] In pol. textu: „Piszczek".

XVI.
IGNITUS CATUS[1].

Ignitus catus flammas et fulmina iacto;
Mille dolis fugito; fulmina catus habet.

XVII.
MORTARIUM MAGNUM[2].

Nil vallum, murus, nil propugnacula prosunt;
Ex alto veniet fulmen, ut hostis eris.

XVIII.
FELTSCHLANGI.

Anguis ego; pomum mortemque in gutture porto;
Pomo captus Adam; poma caveto mea.

XIX.
FALCONES.

Falco vocor, rostro defalco cuncta recurvo,
Terrificumque gero fulmen in ore: cave.

XX.
QUARTIRSCHLANGI.

Serpens exiguus, sed saeva in vulnera velox,
Cogantur quo hostes ultima saepe pati.

XXI.
MORTARIUM PARVUM[3].

Et globus et flamma est, portant incendia flammae,
Et nostrum sequitur certa ruina globum.

[1] In pol. textu: „Ogniste działo".

[2] Hoc epigramma in cornic. postponitur epigrammati proximo. Inscrib. in pol. textu „Moździerz wielki".

[3] In pol. textu: „Moździerz średni" et „Moździerz mały".

ALIUD.

Saepe meum fulmen mirabitur impius hostis,
Et caelum iratum dicet habere sibi.

XXII.

FALCANETI MAIORES.

Sum falcanetes [1], hostis castrisque virisque;
Pello acies, turmas, agmina: victor ego.

XXIII.

FALCANETI MINORES.

Corpore parvus ego, sed magnis viribus hostes
Sterno, Auguste, tuos, qui tua castra petunt.

XXIV.

SERPENTINI [2].

Ipse ego cum sociis ulciscor foedera rupta,
Nostram et qui pacem depopulare volunt.

[1] Sic msti.
[2] Ossol.: „serpentiny".



B.

AD EXTEROS SPECTANTIA.



II.

Romulus aeternae qui moenia condidit urbis,
Ferre novi socium nescius imperii,
Ut solus sceptrum et regni moderetur habenas,
Fratrem crudeli sustulit ense Remum.
Romuleis sedenim Caraffa immanior ausis,
Pulchrum ut Parthenopes[1] occupet imperium,
Bellum infert nato regi crudele Philippo[2],
Scilicet ut[3] sancti nomina patris amet.

III.

Omnes te gentes sanctum, Caraffa, vocamus
Et patrem; in natos tu tamen arma capis.
Hui, gaudens bello et natorum sanguine, sanctus
Omnibus unde, rogo, gentibus? unde pater?[4]

IV.

In PAULUM QUARTUM.

Terrebant alii populos anathemate papae,
Tu Turcis[5]; hoc est, Paule, anathema tuum.
Scilicet haec magna est patris indulgentia, Turcis
Qui mavis homines tradere, quam satanae.

---

[1] Neapolis.

[2] Philippo II, Caroli V filio, ecclesiae catholicae fideliter dedito.

[3] Msti. „et".

[4] Et Hispaniae patriae, contra quam Paulus IV bellum gessit, et Bonae, reginae Polonorum, quae Philippum II contra Paulum IV pecunia adiuvit, studia adeo exacerbaverunt Royzium, ut debitae aliasque sibi propriae reverentiae in pontificem maximum oblitus carminibus in eum inveheretur. Adde quod teste Rescio in Vita Hosii c. XXII fin. pervulgata tum erat in Polonia opinio a Paulo neglegi ecclesiam prae studiis divitiarum bellorumque excitandorum.

[5] In bello contra Carolum V eiusque filium Philippum II una cum Henrico II, Francorum rege suscepto (1555—1557) Paulus IV, cum suos superari videret, Suleimanum I, Turcarum imperatorem ad Siciliam neapolitanumque regnum invadendum permovere conabatur (Ranke, Die roem. Paepste I, Berl. 1838, pg. 301).

2.

LIBRUM PIO IIII, pontifici maximo, mittit[1].

Romanae Pius imperator aulae,
Solvat sive liget, polo sub alto
Parent omnia cui genuque flectunt,
Qua Phoebus celerem regit quadrigam
Accedensque nigros adurit Indos,
Abscedensque gelu premit triones,
Et flamma medium diem tepenti
Afflavisse satis ratus, quietem
Quaerens oceanoque conditurus
Se flavumque caput, flagris volantes
Duris urget equos levemque currum,
Amnis quem lavat[2] unda celtiberi:
Antistes Pius, ille ter beatus,
Qui caelique solique principatum
Et Petri solium tenet supremum —
Antistes Pius, ille ter beatus,
Formidabile nomen, inferorum
Atque imae stygis incolae superbi[3],
Ditis regia quod perhorret atri,
Quod tristes erebi malaeque pestes,
Alecto et colubris soror Megaera
Comptae, Tisiphoneque trux flagello
Plus saeva Iovis extimescit ira
Latratuque canis leves trifauci

---

[1] Corn. 99—101. Pius IV praefuit sedi apostolicae a. 1559—1565. Royzius fortasse Decisiones Lituanicas cum hoc carmine ei misit (conf. vv. 40 sqq.).

[2] Ms.: „lavit".

[3] Ms.: „superbo".

Manes qui ciet, ora dira clausit,
Hausit nomen ut illud aure sanctum.
Antistes Pius, ille ter beatus,
Quem Di, carmine Caelites perenni
Laudantem, Thybris[1] assidere ripae
Gaudent, et dare tusque iusque templis,
Et fulcire Dei domum labantem,
Et purgare malis, quibus repleta est,
Et fontes aperire pro lacunis
Taetris ac grave olentibus lacunis,
Fontes limpidulos aquasque puras
Putas[2], quas bibat is, sitire nullis
Qui saeclis amat et videre vitam,
Quae Dis vivitur Angelisque, tristis
Mortis nescia, plena gaudiorum.
Antistes Pius ille ter beatus
Est, cui munus abis, rudis libelle.
At tu omnipotentis ora patris
Parce exhorrueris sacrosque vultus,
Quis claram placidus serenat aethram.
Figesque[3] oscula cernuus, decoris
Admissus pedibus, precesque fundes
Toto pectore numini superno,
Flexo et poplite procides utroque,
Si te respiciens humo levatum
Dignum, quem legat, esse quemve tractet
Acceptum manibus sacris putabit
Romanae Pius imperator aulae,
Antistes pius ille, ter beatus.

---

[1] Forma genetivi Thybris abutitur pro usitata Thybridis. Ex msto. transscriptum habui „Laudantes".

[2] Utitur in primo pede iambo ad exemplar Catulli, aut potius paenultima adiectivi putus pro longa abutitur. Conf. Ad Carncovium pg. 178, XVI, v. 14 (Corn. 120).

[3] Mstus. „figensque".

3.

In PII V, pont. max.[1], effigiem[2].

I.

Quintus ego[3] Pius, et terrae moderator et aethrae,
Insuper infernas claudo recludo domos.

II.

Pro Christo sedeo terrae moderator et aethrae,
Infernas idem claudo recludo domos.

4.

DE GEMINIS FARNESIIS[4].

I.

Fundarunt olim gemini tua moenia, Roma:
En geminos, qui eadem diruta restituant.

II.

Romulus est natus tibi, Roma, Remusque, gemelli:
Restituent arces, qui statuere tibi.

---

[1] Is erat pontifex aa. 1566—1572.

[2] Corn. 101.

[3] Ex msto. transscriptum habui „ergo".

[4] Corn. 85. Videntur haec epigrammata referri ad Alexandrum Farnesium, qui sub nomine Pauli III a. 1534—1549 ecclesiae Romanae praefuit clarasque aedes, quibus nomen est Farnesiis, Romae exstruxit easque antiquis monumentis complevit, et ad nepotem eius Octavium, qui inde ab a. 1547 usque ad a. 1585 Parmae regnavit.

In FARNESIUM, cardinalem[1].

III.

Iulius occubuit; Farnesius excubat urbis
Custos, sed Gallis excubat ille suis.
Heus malesane, cave! tibi caesaris excitus ales,
Farnesi, [2] Gallis incubet ipse tuis.

IV.

Iulius excessit; Farnesius occupat urbem
Milite, quod cunctis schismatis indicium est.
Farnesi, quid agis? Papam vix sustinet unum
Orbis; tu coges numquid habere duos?

V.

Audieras vim regna pati caelestia et inde,
Farnesi, admonitus vis papa vi fieri.
Si geritur res vi, obtingit papatus et armis:
Romanae, — incertum est, — latro quis urbis erit

5.

Librum mittit suum

FRANCISCO GONZAGAE[3].

I liber, i felix, altae pete moenia Romae,
Rex hominum rerumque potens ubi iura dat orbi

---

[1] Oss. 128 = carm. 247. Iulius III pontifex mortuus est mense martio a. 1555. Farnesii Francogallorum rebus studebant. Alexandri Farnesii, cardinalis, regni Poloniae protectoris, meminit Hosius Epist. I, pg. 772 sub a. 1544. Mortuo Iulio intra 17 dierum spatium cardinalis Marcellus Corvinus pontifex electus est (Marcellus II). (Berault-Bercastel, Geschichte der Kirche, VII, Innsbruck, 1848, pg. 103).

[2] Hoc loco libri interponunt „et".

[3] Oss. 83 sq. = carm. 207 sq. De Francisco Gonzaga cardinali conf. Rescianae Hosii vitae, II, cap. 4.

Urbis in aeternae solio, solvitque ligatque
In terris, rata quae in caelis iubet esse Deum Rex.
Ingressusque domos et celsa palatia dextro
Cautus adi pede Francisci, qui est gloria gentis
Gonzagae, quem puniceo decoravit honore
Romanae princeps trabeae, cui sidera parent
Tellusque tractusque sali et regna invia vivis.
Tempus ama, lege tempus, habet, scis, Roma negoti
Terris plus aliis, clarus quas despicit aether
Auricomusque sua collustrat lampade Titan.
Mane adiisse cave; magnis ea tempora rebus
Debentur, seu sacra facit sive audit et alta
Mente Deum meditans spatiosa volumina rerum
Volvit sacrarum seseque attollit olympo, —
Seu terras spectat, spoliataque templa ministris
Disiectasque aras et ademptos turis honores,
Quaeque inconsultum malesani dogma Lutheri
Cetera monstra tulit, quae plurimus[1] auxit alumnus
Praeceptore malo peior mageque auget in annos.
Dum super his, quae det patri responsa supremo,
Qui[2] sedet ad Tiberim praeses datus urbis et orbis,
Cogitat, occurrique malis sat possit ut illis:
Congredier parce; est aliis adeundus in horis,
Maiores posuit cum curas. Munus obire
Tum tibi mando meum, teque illi offerre, propago
Nostra, liber, gelida qualem generare sub arcto
Ingenio licuit segni, fora rauca sequenti[3],
Oblito, ah, Latii[4] multum melioris et aevi.
I liber, i felix, altae pete moenia Romae,
Gonzagamque adiens dominum submissus adora.
Cui si gratus eris, contemnam, quicquid honorum est
In terris et quicquid opum: Pactolus arena

[1] In ossolineo „plurius" correctum altera manu in margine.
[2] Corn. „Quae sedet".
[3] Decisiones suas lit. Royzium cum hoc carmine misisse ex his verbis elucet.
[4] Ms. „lati".

Fulva alios iuvet et pleno Tagus aurifer amne,
Gemmiferoque undas commiscens Hermus Hydaspi[1].
Haec alios, nos Gonzagae placuisse iuvabit.

6.

Ad librum suum[2],

quem Galesio mittit.

Vade liber; liber, aeternae pete moenia Romae,
Terrarum dominae, totus cui militat orbis,
Sacrae subiectus dextrae sceptroque potenti,
Qua sol flammivomas facto ciet orbe quadrigas
Ostenditque diem terris noctemque repellit.
  Vade liber; liber, aeternae pete moenia Romae,
Magnus ubi templis stellantis ianitor aulae
Iura Pius figit populisque dat esse beatis,
Priscorum ritus patrum et sua iusta secutis.
  Sacrarum dator[3] ararum sub moenibus illis
Est tibi quaerendus; non te labor iste gravabit,
Longisve errabis spatiis. Galesius urbi
Atque orbi notus, liber, est adeundus; euntem
Nec via te[4] fallat. Quem Roma frequentat et omnes
Externae gentes, caelo sub utroque iacentes,
Ille est, illius securo limina gressu
Prende, liber. Te sarmaticis si discet ab oris
Advenisse, via fessum fractumque labore,


---

[1] Eadem fere, quae vv. 34—37 leguntur etiam in propemptico ad Guilhelmum, episcopum olomucensem vv. 28—31.

[2] Oss. 124 = corn. 248. Librum hunc esse eius Decisiones Lituanicas patet ex vv. 22 sqq. Mittit autem librum Romam Galesio. Conf. v. 12.

[3] ms. „datur". Galesium datariae romanae praefectum sive prodatarium cardinalemque Pio IV pontifice regnante fuisse hic locus indicat (conf. v. 22 sq. et pg. 292), sed aliunde nihil de eo cognitum habeo.

[4] Ossol. „Ne via te", corn. „Nec via te".



Lecto[1], si modo legeris libellum,
Iuli, hunc, arbiter esto, sed benignus.

II.

Felsineas tecum quae sum molitus ad arces[2],
Omni iustitiam cum coleremus ope,
Haec eadem vigiles horrente sub axe secuti,
Hoc opus hic nostro cudimus ingenio.
Haec nostra fabricata manu monumenta sub auras
Misimus inque hominum iussimus ire manus.
Quae tibi munus eunt, si non quo dignus es, at quo,
Si coner, possum nil dare maius ego.
Tu vero, si sola legas te digna, futurum est,
Scribat cum nemo talia, nulla legas.

III.

Quod nuper carmen, Iuli, tibi misimus, illud
Scriberet ad carum Thesea Pirithous;
Ad Pyladen illud dulcis scripsisset Orestes,
Non illo Nisus laederet Euryalum;
Pollucem Castor non offendisset amicum,
Quo minus, ut fuerat, mutuus esset amor.
Tu tamen iratus lecto vix carmine primo es,
Ceu foret hostili charta notata manu.
Non istud placidi ingenii morumque tuorum,
Non mitisve tui pectoris istud erat.
Non te, non numeros nostros aut carmina culpo;
Excandens animo non venit inde furor.
Culpa magis, Iuli, est tectis habitare sub istis,
Frater ubi fratris nil nisi nomen habet[3].

---

[1] Uterque ms. „exhibet: „lector", sed in ossolineo r postea, fortasse alia manu, adscriptum est. Lecto scil. libro.

[2] Uterque ms. exhibet „artes", sed falso. Felsineae arces sunt arces Bononiae.

[3] Quaenam tecta cogitet, incertum est. De sarmaticis cogitasse Royzium conici potest ex carmine 19 pg. 265 (conf. pg. 336, 9). In v. 13 fortasse debui addere ex coniectura „te" ante „habitare".

8.

VINCENTIO a PORTICU,

sedis apostolicae protonotario nuntioque apostolico ad inclitum Poloniae regem, Sigismundum Augustum, librum suum Volborio mittit [1].

I.

Vincenti, Pius aeterna quem praesul ab urbe
Quintus sarmaticas legatum misit ad oras
Et mandata dedit, clarae Pius arbiter aethrae,
Terrarumque marisque nigri Pius ultor averni,
Omnia stant cuius nutu nutantve caduntve,
Matutina suos infert qua gentibus ortus
Tithoni croceum linquens Aurora cubile [2],
Illustratque oriens rutila sol lampade mundum,
Quaque dies medius micat, ac qua frigidus axis
Horret et algentes cana nive conspuit agros [3],
Quaque lavat fessus se flumine Phoebus Ibero:
Vincenti, salve et nostros ne sperne labores.
  Mittimus hoc quod, iuris opus rude [4], munus habeto
Fronteque suscipito laeta tibique assere dextra.
Volboria venit exiguum tibi munus ab arce,
Iustus ubi antistes sacris Carncovius aris

---

[1] Vincentius Portico, Lucae natus, nuntii Pii V pontif. maximi munere in Polonia et apud Maximilianum II caesarem fungebatur. In Polonia a. 1569 interfuit comitiis Lublini habitis. Sed iam a. 1568 comitiis varsaviensibus interfuisse ibique Royzio familiariter usus esse videtur. Ita factum est, ut Royzius, cum a. 1568 exeunte Volborium ad Carncovium legationis prussicae causa se contulisset, librum suum una cum his carminibus Vincentio Varsaviam miserit. Conf. infra carmen IV et meae polonae de Royzio dissertat. pg. 66 sq. (= 106 sq.). Hoc carmen et proxima (I—IV) exstant in libro corn. pg. 113—115.

[2] Conf. Verg. Aen. IV, 585.

[3] Conf. Horat. Sat. II, 5, 41 et Quintil. VIII, 6, 17.

[4] Videntur esse Decisiones Lituanicae.

Fac, te legato, manibus post terga ligatis
  In loca supplicii nota rebellis eat.
Det poenas, qui se Christo furatus et arae est,
  Arae, romani quam statuere patres.
Supplicium sontes, insontes iusta sequantur
  Praemia: sic sacra res publica stare potest.
Sic tibi, Vincenti, victori et munere functo
  Iure suum iubeat claudere papa latus,
Et tua svave rubens speciosa galerus inumbret
  Tempora, temporibus praemia digna tuis.

III.

Me, legate, ligas, — Vincenti, vincis, at idem
  Porticus[1] ultro umbra me tege, quaeso, tua.
Abs te dulce mihi est vinci, abs te dulce ligari,
  Dum tua me, qua est nil gratius, umbra tegat.

IV.

Vinci vincirique a legatoque ligari
  Scripsi dulce, una me tegat umbra modo.
Si verum hoc, nostri, quaeris, quae causa recessus?
  Pes facit hoc, vinctus non facit hoc animus.
It pes, vincla negant animum discedere, qua quis
  Est homo; nam corpus quid nisi putris humus?
Quisquis es ergo, ullum parce exprobrare recessum,
  Te a mente aut iurem volvere Volborium[2].

---

[1] Est nomen gentil. legati.

[2] Carmine hoc respondere videtur R. invido cuidam, qui carmine anonymo ipsum irriserit quasi vanum mendacemque, quod pervelle se una cum Vincentio esse scripsisset (carm. III), nihilominus tamen Varsavia a Vincentio Volborium ad Carncovium discessisset. Quam rem excusans R. suspicator malevolum hominem illum invidere ipsi amicum hospitemque Carncovium idque acute volvendi verbo (volvere a mente = deturbare de mente) ad Volborium alludendo exprimit.

II.

In victoriam caesaris[1].

Caesaris inde biceps atque hinc trux respicit ales,
Langravium[2] petit hinc, te hinc, Friderice[3], petit.
Unguibus arripiens Fridericum nuper ad Albim[4],
„Hic meus est“, inquit, „protinus alter erit“.
Langravius supplex: avium regina, quid optes?
Ecce cadit, praeda est hostis uterque tua.

III.

De cunctatione caesaris[5].

Iusta rebellantem potuissent caesaris arma
Teutona, victrici iam domuisse manu.
Ut subigat caesar tamen hostem caede minori,
Cunctando melior nexuit ille moras.
Hic promitte tibi nil: flebis, Saxo, canetque
Victrices aquilas nuntia veris avis.
Auctores sceleris caesar petit ultor; amicis
Parcere vult populis, Teutonibusque suis[6].
Auctores sceleris Germania desere, qui te
Heu miseram tantis implicuere malis.
Quos magni victos ubi caesaris hauserit ensis,
Materiam belli sustulit ille sui[7].

---

[1] Ex libro q. i.: Ioannes Langus Silesius, Carminum lyricorum liber. Augustae Vindelicorum 1548 (exempl. bibl. ossolin. 8343 in nostro carmine aliquot locis laesum). Nostrum carmen extremum libri tenet locum. Carmen hoc brevi post pugnam mühlbergensem a. 1547 conscriptum est.

[2] Philippum, Hessiae langravium.

[3] Fridericus II, Palatinati elector.

[4] in pugna ad Mühlberg a. 1547 commissa.

[5] Oss. 310 = corn. 370 sq.

[6] VV. 7 et 8 desiderantur in corniconsi.

[7] Hoc carmen referri videtur ad a. 1552, quo Mauritius, elector Saxoniae a Carolo V creatus, prodito caesare in fidei novatorum hostiumque eius partes transgressus est.

Et[1] toties obit haec toties data munia; regum
Austriadum ut possis dicere Mercurium.

II.

Hermes quod caelo, terris Herberstain hoc est:
Semideum hic regum nuntius, ille deum.

III[2].

Quas terras, quas non superavi navibus undas.
Arcibus orator missus ab austriacis,
Maxime, seu tua sum quondam, Aemiliane, secutus,
Seu Ferdinandi nunc data iussa sequor.
Vidit me Europa atque Asia et quae solibus ardet
Sulcantem libycas Africa sensit aquas.
Cuncta adii, quae divina sol lampade lustrat:
Solos non vidi, fateor[3], antipodas.

IV.[4]

Inclita me genuit tellus Sirimia: nostros
Ortus illa dedit, gremioque excepit amico.
Nascentem et primos vagitus audiit olim,
Quem nunc amissum luget; fatisque solutis
In terras celsis revocari optarit ab astris.

---

[1] Pro „et" exspectaveris „iam" aut anacoluthiam quandam commisit Roysius.

[2] Carmina III et IV exstant in corn. pg. 410. Utrumque carmen caret titulo, sed videtur spectare ad S. Herberstainum, praesertim carmen III.

[3] Ms. exhibet versu septimo: Cuncta adii, quae sol lustrat lampade, solos, — versu octavo desideratur „solos".

[4] Fortasse et haec referri possunt ad Sig. Herberstain, qui tamen natus est in urbe Crainae Wippach a. 1486; obiit Viennae a. 1566.

Exiguam fragilemque deae quid ponitis aedem,
Cui pro delubro vix satis orbis erit?

II.

Orbis Ioannae templum est, sol lampade lustrat:
Sic colitur divae numen Aragoniae.
Qui breviore deam circumdat limine nostram,
Pugillo aequoreas claudere tentat aquas.

III.

O quid Ioannae templis accenditis ignes?
Non opus externo est, sat micat illa suo.

IV.

Cui templum terras habitanti et ponimus aras,
Quo dignam remur, cum colet illa polos?

7.

Ad FERDINANDUM,

Quiritium regem [1].

I.

Inclite nobilium rex, Ferdinande, Quiritum,
Cuius pro caelo pugnat ubique manus,
Bella infers Turcae, malefido bella Luthero,
Quae te in cuncta vocat proelia, religio est.
Iactaris bellis, pugnas teque obicis hosti,
Ponis pro hac tua tu regna caputque tuum.
Esse Dei quos scis hostes, tua quae inclita laus est,
Ferdinande, putas hos quoque et esse tuos.

---

[1] Corn. 4 sq. Quae hoc loco (carm. I) de Ferdinando praedicantur, vix dici potuerunt post a. 1550, unde hoc carmen ante illum annum conscriptum esse elucet.

Rex, ne fle, indulsit quae natis Anna creandis,
Non aliter voluit, quam pariendo mori.

II.

Anna, puerperiis regum clarissima mater,
Per quam tot reges, sceptra tot orbis habet,
Occidit hic: terras pariens hominesque reliquit,
Et felix magnum sistitur ante Iovem.
Tot regum altrici reginae Iuppiter almae
Praemia si exsolvat debita, pauper erit.

III.

Debita fecundae dent ut Dii praemia matri,
Non satis est caelum, non Iovis aula satis.

IV.

Terrae reginis et regibus Anna creatis
In caelos it nunc: an genitura Deos?

V.

Replevit terras ubi Divum iussa secuta
Multiplici felix Anna puerperio,
Caelum adit exsultans partu terrasque reliquit.
Replevit terras, repleat Anna polos.

VI.

Excidit ut gremio suboles, obit optima mater;
Nascitur haec mundo, nascitur illa Deo.

VII.

Mortem olim et vitam discordes iunxit in ipso
Anna puerperio, funere facta parens.

VIII.

Exiret vacuum tempus ne foetibus ullum,
Luce sub extrema, cum cadit, Anna parit.

IX.

Anna parens fecunda, tori ne muneris hora
Ulla sit immunis, vult pariendo mori.

X.

Quae reges olim fecunda tot edidit Anna,
Ne in morte accuses, et moriendo parit.

XI.

Dum parit, egregiis quae terras regibus implet,
Regina in mediis nixibus Anna perit.
Una quot o luctus toti fert littera[1] mundo?
Damna quot et lacrimas? Dum parit Anna, perit.

XII.

Nascitur in partu regina atque occidit uno,
Iunxerunt cunis invida fata rogum.
Coguntur laetari oculi, et simul importuna
Non exspectati funera flere mali.
Gaudia cum luctu, cum pullo purpura iuncta est:
Laetandum et flendum est — sic tulit hora — simul.

XIII.

Altera cunctorum victrix, victa altera nulli,
Mors atque Anna graves conseruere manus.
Abstulit haec unam, ter quinas illa reliquit
Nixu animas. Utrius gloria martis erit?

XIV.

Difficili fessam ex partu mors tristis adorta est
Annam. „Nunc Annam vincere tempus“, ait,
„Quam non integram potui, aut suparare valentem.
Non fuerit fetam vincere difficile“;

[1] scil. littera, qua differunt voces „parit“ et „perit“.

Partu aegram superat, thalamo fixamque reliquit.
Non casura aliter tanta virago fuit.

XV.

Lanificam ut Lachesim vidit sua fila legentem
Anna, colum et calathos evoluisse suos,
Haec contra fata est, formosam enixa puellam:
„Pro me, quam tollis, accipe parca aliam“.

XVI.

Cogitat Anna suo solamen linquere regi,
Vidit ut extremum fata minata diem.
Prolem ergo egregiam suprema in luce reliquit,
Difficili nimium fracta puerperio.
Non adamasse virum, non observasse quis aiat?
Quis regem dicat non coluisse virum?
Cetera praetereat si, quae dedit optima coniux,
In morte eximium pignus amoris habet.

XVII.

Magna laboranti debetur gratia matri,
Laudeque digna sua est, quae pariendo perit.
Gratia sed maior reginam et summa secuta est
Laus Annam, contra quae pereundo parit.

XVIII.

Pontificem in sacris occumbere rebus honestum est,
Pastoremque suos inter obire greges;
Pugnando miles, devicto strenuus hoste
Dux cadere egregiam ducit uterque necem.
Non in deliciis, aulaeis tectus et ostro,
Quam sub marte gravi malit uterque mori.
Non nauta oppetere in mediis optaverit arvis,
Grata est mors, madido quae venit uda mari.
Si pulchra est mors cuique suo de munere, pulchrum est
Ergo mori matrem matris in officio.

XIX.

Verum si colimus, quo conditur Anna sepulcro,
„Hic bona“ dicemus „omnia et Anna iacent“.

XX.

Illa, qua terris Annam mors abstulit, hora
Virtutes omnes occubuisse puta.

XXI.

Hic iacet Anna, simul virtus hic conditur omnis;
Mors simul haerentes solvere non potuit.

XXII.

Hic, qua non melior, qua non formosior ulla,
Anna iacet, qua nec sanctior ulla fuit.
Egregiam cum mors speciem et sacra viderat ora,
Miror crudeles non tenuisse manus.

XXIII.

Reginam cum mors Annam truculenta petivit,
Missura audaci spicula saeva manu,
Crediderim a caede avertit sua lumina; coram
Nam tantumne esset ausa ferire caput?

XXIV.

Tristis ad augustam cum mors accesserat Annam,
Armata iaculis in mala damna manu,
Credibile est facie iaculatam spicula versa,
Nec coram infandum sustinuisse nefas.
Nam quem non esset species diva illa morata?
Iratas poterat quae cohibere feras!
Versa ergo facie telum iecisse necesse est:
Sive illud potius: mors, puto, caeca fuit.

XXV.

Vis rex, vis patres, vis Austria lugeat omnis?
Verbo si dicas: „occidit Anna“, sat est.

XXVI.

Sarmatia.

Occidit Elisabes mater, regina Quiritum,
Exemplar sancti et regula coniugii,
Reginae unde omnes, quae sint sua munera, discant.
Quid deceat, quid non, quaelibet inde petat.
Est reginarum toto usquam quicquid in orbe,
Una omnes huius vita docere potest.
Curavit privata, viro suo sceptra reliquit;
Ille suum tenuit munus, et illa suum.
Hanc ego reginam sed quid tibi, Sarmata laudo,
Filia nota modo cui fuit Elisabe?
Qui nosti Elisabem, potes inde ediscere, qualis
Mater erat, cuius filia talis erat.

XXVII.

ANNA.

Non mihi mors mors est; facilis iactura salutis:
Mors Ferdinando rege carere mea est.

XXVIII.

Danubius me flet, Tiber, Istula, Rhenus, Iberus,
Cum quibus et Ganges, si sciat, Indus erit.

c)[1]

Seu dux, seu rex est, seu, qui regit omnia, caesar:
Qualis ego falcem demitto, talis eris.

[1] Epigramma hoc excusum exstat in ultima editionis pagina sub imagine mortis ad idem exemplar atque pagina prima depictae. Clauditur pagina hac adnotatione:

Excusum Cracoviae anno post Christum natum
MDXLVII. Mense Februario. Diebus liberalibus.

Sed mihi nec falx est; sic me finxere poetae
   Carmine; sed nec sum: sic quoque tu nec eris.

III.

FERDINANDO (CAESARI)[1]

librum suum mittit.

Ferdinande, meum tibi libellum
Mitto de gelido procul trione,
Quem nobis faciles dedere musae;
Et qui splendidula leves Apollo
Auras caesarie facit nitentes,
Tam formosus Apollo, quam comatus.
   Hunc, proles medicea[2], tu libellum
Laeta suscipe fronte: sic faventes
Divos experiaris et senectam
Vincas nestoream nihilque triste
Ullis aspicias diebus olim,
O proles medicea, grande saecli
Ac illustre decus sacri senatus,
Non pars ultima Romuli nepotum,
Cuius[3] legibus omnis urbs et orbis

---

[1] Oss. 233 sq. = corn. 321. Carmen hoc pg. 297 proponendum fuisse serius Mediceorum gentis propagine examinata cognovi. In mstis. inscribitur quidem diserte „Ferdinando caesari“, quin tamen „caesari“ ab incauto librario additum sit, non dubito. Ferdinandus enim I, caesar Germaniae, recte „proles medicea“ vv. 7 et 12 dici non potuit a Royzio. Itaque nunc persuasum habeo Ferdinandum, cui liber missus est, esse Ferdinandum, Cosmi I filium de domo medicea, qui a. 1563 cardinalis curiae rom. factus sit, quique a. 1587 concedente pontifice max. cardinalis munere simulque sacerdotis condicione solutus Florentiae sub nomine Ferdinandi I regnaverit. Carmen hoc scriptum est a. 1563 aut paulo post, cum etiamtum Ferdinandus cardinalis erat, ut indicant vv. 13—16 = 39—41. — Pro „medicea“ vv. 7 et 12 scribere „medinaea“, quod Ferdinandus I caesar a quibusdam Medinae in Hispania natus esse tradatur (Zedler, Grosses Universallexicon Bd. IX: Ferdinand I), dissuadent argumenta vv. 2, 13–16, 39—41.

[2] Msti: „Medicaea“ hic et v. 12.

[3] „Cuius“ refer ad „senatus“ v. 14.

Fixis stare queant, cadant refixis,
Et quicquid videt axe sol citato,
Surgensve oceano diemve cernens
Invectus medium, aut rigens trionis
Et candens nive, quod dat arctos, arvum,
Instar marmoris et gelu ligatos
Amnes, invia nec fluenta plaustris,
Vel currum fluvio lavans Ibero.
　Munus si tibi qualecunque nostrum
Acceptum fuerit, putabo musas
Nostras esse aliquid nec indecoras,
Quae te, romulei decus senatus,
Delectentque iuventque. Consecutus
Istud si fuero tuo favore,
Haud me lydius, haud suis arenis
Pactolus beet, haud suas Hydaspes
Flavus fundat opes Tagusve dives,
Qui tartessiacis fluens ab oris
Sese praecipitat petitque pontum
Undis versicoloribus refulgens, —
Flumen non Arimaspus arva findens
Horrentis Scythiae lacu beato.
Haec contempsero prae tuo favore,
Ferdinande, decus sacri senatus,
Cuius legibus omnis urbs et orbis
Fixis stare queunt, cadant refixis.

IV.

FERDINANDO CAESARI EPITAPHIA[1].

I.

Ferdinandus, eo primus de nomine caesar,
　Quam stata relligio est, noluit ante mori.

[1] Oss. 241 = corn. 326. Ferdinandus I imperator obiit Vindobonae die 25 m. Iulii a. 1564.

Verum haec et praestas, deleto missus ab Istro,
Ingenio maior, maior et eloquio.
Felix o iterum felix, miracula rerum
Cui lingua artifici dicere posse datum est.

9.

CYRO, oratori caesaris [1], librum suum mittit.

Cyre pater, quem scire patet, pater inclita summus
Quae sanxit templis placita, et quae maximus orbi
Iura dat ille, suo qui claudit pectore, caesar,
Omnia iura, venis a quo tu missus in oras
Has gelidas septemque algentis ubique trionis
Augustum ad regem, quo non est iustior alter,
Unde venit Titan et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius terras face torret hiantes, —
[illegible] Cyre, pater, pietatis cultor avitae,
Munera sunt tibi quae nostri monumenta laboris,
Sume manu facili atque oculis lege, quaeso, benignis.
Hoc mihi si dederis nostroque accedet honori,
Non mihi dives opes, non gemmas India mittat,
Non pater ille, Pio [2] cui nomen, praesidet aris
Qui Divum, tellus cui paret et arduus aether,
Det mihi ferre pedum et diademate cingere crinem,
Aut si quid Romae maius queat aula potentis.

[1] Oss. 24 = corn. 157 sq. Ioannes Cyrus, Vratislaviae ad stum. Vincentium abbas (Epistulae virorum illustrium, lib. III, ep. 71 in editione Dlugossi operi Lipsiae 1712 annexo pg. 1835). Carmen scriptum esse videtur c. a. 1564.

[2] Pius, ni fallor, IV (aa. 1559—1565).

Illud ama tempus tibique illud delige, mensae
Dum pius accumbit praesul curisque solutus,
Hinc inde hospitibus cinctus, ieiunia solvit.
Si te hilari praesul laetoque aspexerit ore,
Dignum oculis ratus esse suis, est quicquid honorum,
Contemnam, est et quicquid opum: Pactolus arena
Fulva alios iuvet et pleno Tagus aurifer amne,
Gemmiferoque undas commiscens Hermus Hydaspi.
Haec alios, me pontifici placuisse Guilhelmo
Iuverit, excelsum qui animis iam pulsat Olympum,
Seque aris vivens dignum facit esse dicatis.

11.

Ad IOANNEM LANGUM

(Maximiliani Quiritium regis oratorem [1]).

Lange, poetarum clarissima fama sacrorum,
Maxima Silesiae gloria, Lange, tuae;
Lange, decus Phoebi, musarum, Lange, propago,
Quem magno anteferat Mantua Vergilio:

---

[1] Carmen hoc in ossol. semel (130 sq.), in cornic. bis pg. 92 et 249 scriptum legitur. Verba „Maximiliani, Quiritium regis oratorem" tantum in cornic. pg. 92 sunt adscripta. Scriptum est hoc carmen aut a. 1562, quo Maximilianus, Romanorum rex est declaratus, aut brevi post, ante a. 1564, quo idem imperator Germaniae est factus. De Ioanne Lango (Lange), Freistadii in urbe Silesiae nato, qui in cracoviensi universitate quondam educatus per multos annos, legatus Ferdinandi I et Maximiliani II imperatorum, in Sigismundi I et Sigismundi Augusti aula commorabatur multisque insignibus Polonis familiariter utebatur, fusius agit Ossoliński (Wiad. kryt. h. II, pg. 205. et Janocki, Miscell. I, LXI). Carmen eius graecum atque latinum in mortem Samuelis Maciejowski, quicum singulari amicitia erat coniunctus, a. 1550 compositum exstat in editione Royzii Neniae defuncto Maciejowio dicatae Cracoviaeque a. 1550 editae. Conf. huius editionis tomi II pg. 52 sq.

II.[1]

Quinque o pannonicis magnum decus addite templis,
Ingenio, incertum, maior an eloquio,
Doctrina, incertum, quotquot prior attulit aetas,
Anteeasne magis religione patres:
Sic tua, Duditi, te tollat ad aethera virtus,
Sic tua fama volet docta per ora virum[2],
Sic ortus, sic occasus te norit, ut arctos,
Sic norit medio quae[3] calet ora die;
Et maiore micat cum Phoebus sidere, clarus
Nomine sit terris non magis ille tuo;
Sic te caesar amet, sic te, qui romula servat
Templa, beet superae ianitor ille domus;
Sic Deus oranti faciles tibi praebeat aures,
Sicque tuas frustra non sinat ire preces:
Si vacat, iratae nostrae lege carmina musae[4],
Qualia vel possit scribere potor aquae[5].
Non at aquae, qua tu musarum e fontibus hausta,

Ad C. V. PETRUM ROYZIUM MAUREUM,
iurisconsultum regiae maiestatis etc., Andreas quinquecclesiensis episcopus,
pessimus optimo poetae.

Haec mihi, de sacro sophiae deprompta recessu,
Doctus largitur munera Royzius,
Quis non divitiae, non Croesi regia gaza,
Non mi aliud quicquam carius esse potest.
Sed tibi quas referam grates, dulcissime vatum,
Quove tuum munus carmine concelebrem?
Non mihi sunt tantae vires, non copia fandi,
Ut meritis possim digna referre tuis.
Nunc tamen, a grato ne munera nulla reportes,
En tibi munus habe meque animumque meum.

[1] Oss. 118 = corn. 237.

[2] Cic. Tusc. I, 34.

[3] ms. „qua".

[4] Videntur esse „Dirae in pontificis max. maiestatisque illius hostes" a Royzio scriptae. Conf. I, 263 sqq.

[5] Horat. Epist. I, 19, 3.

Caesar habet, caesarque habuit patruusque pate
Seu leges ferret populis, seu diceret ullis.
Quid leges? metuenda viris cum bella movere
Consilium fuit et tumidum dare classibus aequ
Quaerereque audaces superatis fluctibus Afros,
Ignotasque alio gentes sub sole iacentes,
Quas adit, has linquens terras et litora, Titan:
Seldius unus erat, sine quo nil caesar uterque,
Quod recte factum voluit factumque vigere,
Est fieri passus, nihil et molitus uterque.
Exemploque patris patruique id Maximus unum
Aemilianus [1] amat, pendetque loquentis ab ore.
Hunc adeas, studiis cum liber inambulat oti
Plenus. Qui si te lectu dignabitur unus,
Nostrum haud laudet opus superas revocatus ad
Scaevola, non et cui clarum dedit Africa nome
Quique altos iuris fert Papinianus honores,
Non aut prudentum est quicquid venerata vetu
Seldius esto mihi centum pro milibus unus.

14.

De PHILIPPO, principe Hispaniarum [3].

Egregiam Caroli subolem cum forte Philippum
  Armatum pictor pingeret in tabula,
„Nil gessi, abstineas; ecquid me pingis in armi
  Pictor? nulla obii munera martis ego.
Cum patris similis victor fera gessero bella,
  Armatum tunc me pinge“, Philippus ait.

---

[1] Maximilianum II, Germaniae caesarem, Maximum Aem
metri ratione coactus appellat.

[2] Sex. Caeselius Iulius Africanus scripsit de iure tempori
tonini Pii. Royzium Seldio misisse Decisiones lit. apparet.

[3] Scriptum est hoc carmen ante a. 1556; exstat in oss.
corn. 323.

15.

* Ad AIALAM[1].

Immites, Aiala[2], lupos qui stemmata praefers,
Mitis homo? Hos saevi sed, puto, Martis habes.

16.

PALATINO VALACHIAE[3].

Quae te praefecit, pulsis fortuna tyrannis
A certo patriam liberat, interitu.

17.

De CONDEI ducis nece[4].

I.

Condeus in pugna, dum regem[5] oppugnat et aras;
Percussis cecidit corde, manu atque oculo.

---


[1] Oss. 93 = corn. 216.

[2] Ioannes de Ajala, nuntius Philippi II, Hispaniarum regis. Post Bonae mortem erat inter eos, quibus barzensis illius hereditatis negotia erant commissa. Conf. Bibl. ordyn. Krasińskich a. 1869 pg. 324 et 329.

[3] Corn. 25. Górnicki (Dzieje 41) Alexandrum, Orzechowski autem (Annal. V fin.) *Petrum, natione Valachum, in Polonia exsulantem, occiso Stephano tyranno, a Nicolao Sieniawski, palatino rutheno, Valachiae pa*-latinum factum esse narrant.

[4] Oss. 259 = corn. 338. Ludovicus I de Bourbon, dux de Condé Hugenotarum exercitui in bello contra regem Francogallorum catholicosque praefuit. Infelici pugna ad Jarnac a. 1569 commissa vulneribus confectus captus et per fraudem interfectus est.

[5] Carolum IX.



Quae vincant Heliconis antra, turres:
Te Royzius inde, te salutat,
Doctum discipulus rudis magistrum,
Multos te iubet et suum per annos
Doctorem superare[1], Nestorisque,
Aevum vivere pertinaxque saeclum
Optat discipulus pius magistrum.
Aut si vita brevis videtur ista,
Quam vivas, decus, Alciate, iuris:
Septenum superes precatur aevum
Ex septem tibi septies trione.

2.

ANDREAE ALCIATO

* natu minori,

librum suum mittit[2].

Audaces nimium minusque cultas
Nostras mittimus, Alciate, chartas.
Si dignas oculis tuis, tuis si
Dignas auribus arbitraris esse,
Nostras, quaeso, lege, Alciate, chartas.
At septentrio quid, rigens quid arctos

---

[1] Iunge: et iubet te, suum doctorem, multos per annos superare (= superesse).

[2] Oss. 199 sq. = corn. 300. In utroque msto. legitur „praeceptori suo librum suum mittit"; in ossolineo verba haec deleta et deinde denuo adscripta leguntur. Quicquid est, verba „praeceptori suo" spuria sunt docentque manifesto non omnes carminum titulos Royzii manu esse scriptos. Nam carmen hoc scriptum est non ad Andream Alciatum natu maiorem, quem Roysius Bononiae c. a. 1537—1541 audierat, sed ad minorem, illius fratris filium, qui Paviae docuit, ut indicat v. 9 huius carminis, quique auctore pontifice Pio IV (?) (1559—1565) Romam se contulit (conf. v. 12) prodatarii curiae rom. munus obiturus (conf. v. 15). Huius auditorem Royzium non fuisse ex ipso hoc carmine elucet. Sed uterque Alciatus a viris doctis etiam nunc confundi videtur. Verba „natu minorem" ipse addidi.

Frigenti queat exarare dextra,
Urbs quod Roma legat, quod Alciatus?
Quem Ticinus aquis et amne toto
Consistens pater audiit docentem
Neptunoque suas negavit undas.
Quem celsae Pius imperator aethrae,
Terrarum dominus Stygisque nigrae,
Ad ripas Tibris[1] advocavit aurei,
Ararum dator esset ut sacrarum,
Quae dant tura Deo precesque fundunt
Ad sedesque viam parant perennes,
Ut, qua sol micat ortus occidensque
Ostenditque latus suum decorum
Dispensans iubar hinc et inde terris,
Illis inclitus Alciatus oris
Cantetur, celebretur et colatur.
Si septentrio nil rigens vel arctos
Frigenti queat exarare dextra,
Quod vel Roma legat vel Alciatus:
Romam mitto, legat quod Alciatus.
Nostra forsan erit manu notatum,
Nos alter docuit quod Alciatus,
Andreas, decus orbis, Alciatus,
A quo, quod sumus, esse nos fatemur.
Ergo si mea temnis, Alciate,
Doctrinam patrui cole Alciati,
Nostro si qua libro renidet usquam[2].

---

[1] Poetae romani potius forma „Thybridis" utebantur.

[2] Royzius Alciato Decisiones suas a. 1563 editas cum hoc carmine misisse videtur.

3.

Ad TRANQUILLUM ANDRONICUM[1].

Qui pacis leges, qui belli munera nosti,
Regnaque qua stent et qua ratione cadant,
Orator magnus, magnus, Tranquille, poeta,
Cosmographus magnus magnus et historicus:
Sis ubi quasve colas terras gentesque, tuosne,
Tranquille, externos aut[2] patiare lares,
Nescio: sis ubicunque tamen, salvere, valere
Fortuna et iubeo te meliore frui.
Te miles, te dux, te rex omnisque senatus,
Quique potest unus omnia, caesar amet.
Fortunam tibi finge, precor, Tranquille, quod ultra est,
Non desideriis est satis ulla meis.
Non desideriisque meis votisque sat ulla est,
Virtuti et merito nec satis ulla tuo est.
Vive, vale, Tranquille, tibi tranquilla·Dei dent
Omnia sint rebus nomina iuncta tuis.
Nos et ama; studio, scis, te ut sectemur eodem;
Citroque ac ultro sic parietur amor.

---

[1] Corn. 13. Tranquillus Parthemino Andronicus, Dalmatinus, vir eruditus et philosophiae peritus, peragratis variis Europae terris circa a. 1545 in Poloniam venit ibique benigne exceptus ab Andrea de Gorca, Ioanne Tarnovio aliisque proceribus ac eruditis Polonis aliquot doctos libros publicavit.

[2] Mallem „an".

4.

In obitu

generosi adolescentis, GEORGII BONA,

domini in Landsech,

magni archiepiscopi strigoniensis

NICOLAI OLACHI[1] ex sorore nepotis.

I.

Sambucus maestis[2].

Si quid nobilitas, si virtus maxima posset:
Haud vita annosa dignior ollus erat;
Si decus ingenii, pietas, si gratia formae:
Ne raperet iuvenem[3] mors properata, fuit.
Nemo Pannonius maior natalibus illo,
At virtute potest quilibet esse minor.
Doctrinam immensis opibus coniunxerat, omnes
Ut colerent patrii spemque decusque soli.
Boemos, Italiam, te, teutona terra, pererrans,
In propria duxit turpe latere domo.
Cuncta iacent tamen exitio poenaeque verendae:[4]
Vult cuius semper nos meminisse Deus.
Nam exspectata diu fratris sponsalia laetus
Dum celebrat, febri non remorante perit.
Id cupido licuit. Sed quid vidisse iuvabat?[5]
Nempe fuit caeli hoc conciliatus amor.
Quae votis toties et pura est mente precatus,
Promissa excipiunt gaudia; victor abit.

---

[1] Fuit archiepiscopus strig. aa. 1553—1568.

[2] Corn. 412 sq. In tumulo defuncti sambucus sata fuisse videtur eamque maestos necessarios alloquentem poeta fingit.

[3] Ms.: iuvene.

[4] ms. „poenaque verenda".

[5] Textus huius versus corruptus esse videtur. Pro „licuit" exspectares potius: „evenit", pro „vidisse" „vixisse".

Felix, constanter maculas qui effugerit eiusque [1]
Iram vitarit, qui nocuisse potest.
Quem luctum patriae afflictae, quem sanguine iunctis
Attulerit tanti mors inopina mali,
Et lacrimis passim fusis damnoque recepto
Aestimet ingenti et funere quisque velim.
Et lacrimae desunt nobis et verba, Georgi,
Laetitia nunquam deminuere, dolor.
Tu tamen ob dotes animi, moresque fidemque
Continuus vives [2], tectus inerti situ.
Nam corpus tantum terrae, sed spiritus astris
Redditur, unde ortus duxerat ille suos.
Namque ego [3], dum vivam, te nec genus omne silebo,
Apta geret nomen cantula quaeque tuum.
Vincto perpetuum iungent nos atria Christi,
Mens ubi cum socio corpore laeta manet [4]

II.

Epitaphium [5].

Hoc spes in tumulo patriae iuvenilibus annis
Conditur; aeternum est [6] sed valitura fides,
Qui, studio cunctis mirandus, moribus ante
Currens, in media concidit ille via.
O quantum eripuit misero mors improba regno
Et decus et famam, quaeque dolenda tulit!
Sed tamen optata superest semperque vigebit,
Quam illi propicius contulit, arce, Deus [7].
Haec posuit caro praesul monumenta nepoti
Strigonius, fletu prosequiturque locum.

---

[1] Versus hypermeter.

[2] ms. „vivus".

[3] ms. „nam ego".

[4] Et structura et ratio nexusque sententiarum extremi huius carminis mendorum suspicionem movent.

[5] Corn. 413.

[6] Addidi ex coniectura.

[7] Iunge: optata arce, quam contulit . . Deus.

Deque via fesso redeunti a finibus illis,
Quid, quod ei mensis vix satis esse potest?

7.

Ad BERNARDINUM GOMEZIUM [1].

Ergo tuos pateris romana negotia sensus
Captandique artes et habendi insana cupido
In diversa trahant [2] studia et non prima, Gomezi,
Illa placent, laetam quae versavere iuventam
Et curis illud vacuum mordacibus aevum,
Exactum ad patrios fontes et amoena vireta,
Pronus ubi fulvas volvit Gadalophus arenas,
Non ripis olim assuetus, non parcere demens
Aggeribus, tumidus subitos cum concipit imbres.
Illae animis subeant artes, ea discere curae [3],
Scilicet hos pulchros libeat tractare labores.
Culta tibi reddit satis una Valentia census,
Omnibus et quondam saeclis memoranda Saguntus
Illa, tuos templis primos quae agnoscit honores.
Ecquid adhuc inhies opibus, gazamque requiras
Maiorem? Studiis ergo melioribus aevum
Transige, quod superest. Veterum monumenta virorum
Nocturnaque manu versa, versaque diurna [4].

---

[1] Corn. 105 sq. Bern. Gomezius, ut ex hoc carmine conicias, una cum Royzio in civitate alcagnicensi ad Guadalophum (Guadalopeo, Guadalope) natus (v. 7) et Alcagnitii educatus (v. 41), Valenciae et Sagunti (Murviedro) sacerdotalibus quibusdam muneribus (v. 12 sq.) fungebatur, quibus non contentus, ut ad ampliora feracioraque promoveretur, curiam romanam ambiundo sollicitabat (v. 1 sq.).

[2] Iunge: „puteris Romana negotia captandique artes et hab. ins. cupido trahant tuos sensus.

[3] scil. sit.

[4] Horat. Epist. II, 3, v. 269.

8.

In LUTHERUM[1].

Inter Plutonem dirumque exorta Lutherum
  Ad stygias fertur lis Acherontis aquas.
Sceptra petit soliumque et Ditis iura Lutherus,
  Deberi illa alii quam sibi regna negat.

9.

In VINCENTIUM MAXILLAM[2].

Italia, Maxilla, potes procul esse relicta
  Extremosque inter vivere Sauromatas?
Esse procul Bario, caris procul esse propinquis?
  Esse procul dulci coniuge, lare procul,
Nudus amicitiis? Nam si hic quas iunxeris, illas
  Ad primum boream diriguisse puta;
Dissipet aut aquilo primus verratque per auras,
  Solvanturve illo, quo coiere, die.
Ergo tuos repetas; caelo, mihi crede, sub isto
  Difficile est veras nectere amicitias[3].

---

[1] Obiit a. 1546. Oss. 225 = corn. 315.

[2] Oss. 205 sq. = corn. 304. Vinc. Maxilla e ducatu Bari (conf. v. 3) Bonam reginam secutus venisse in Poloniam videtur. Ceterum idem esse videtur, ad quem Sigismundus Augustus rex scripsit Neapolim de pecunia quadam (Bibl. ordyn. Krasińskich a. 1870, n. 97).

[3] Conf. pg. 265, 19.

3.

De IOVE et CAESARE[1].

Terrarum caesar, caelorum Iuppiter est rex;
Parent huic homines: imperat ille Diis.

4.

De PETRO clavigero et PAULO ensifero[2].

I.

Accepit claves Petrus; comes additus illi
Est Paulus ferro cinctus et ense ferox,
Ut, si quando Petri claves nil tendere contra
Evaleant, Pauli tunc ferat ensis opem.

II.

Omnia turbantem contra sacra Saxona et aras
Sumptae nil claves evaluere Petri[3].
Nil valuere Petri claves ubi Saxona contra,
Strictum Pauli ensem in Saxona caesar agit.

III.

Postquam Saxo Petri non vis agnoscere claves,
Cogeris Pauli saucius arma pati.

---

[1] Oss. 233 = corn. 321.

[2] Oss. 139 = corn. 256. Haec carmina scripta esse videntur circa a. 1547, quo Carolus V imperator arma contra socios smalcaldenses movit eosque ad Mühlberg urbem vicit. De pontificis Pauli IV bellis vix cogitari potest, quandoquidem Royzius aliis carminibus inimicitiam odiumque in eum prae se fert. Conf. pg. 289—291. Ceterum titulus hic in ossol. posteriore manu adscriptus est.

[3] De concilio tridentino cogitat.

En gladium strinxit Pauli in tua viscera caesar,
Crudelis Saulus; Bariona [1] mitis erat.
(Praestabat claves Saxo cognoscere Petri [2]).

IV.

Accepit claves Petrus, ensem Paulus; uterque
Tutari socia templa paratus ope.
Usus hic est: claves primum Petrus exserit; hac s:
Non possunt, Paulus protinus arma rapit.
(Ut si quando Petri claves nil tendere contra
Evaleant, Pauli tunc ferat ensis opem.
Nil valuere Petri claves ubi Saxona contra,
Strictum Pauli ensem in Saxona caesar agit [3]).

5.

* DE LUTHERO.

I.

De pertinacia Lutheri [4].

Miramur persuasa, malo quae haesere Luthero,
Avelli nulla vi potuisse virum:
Iidem miremur, duro, si nulla potest vis,
Quod saxo incisum est, tollere? Saxo fuit.

II.

De obitu eiusdem [5].

Occidit, ut patres vidit coiisse, Lutherus;
Non aliter potuit concilium effugere.

---

[1] Sti. Petri apostoli cognomen.

[2] In ossolineo adiuncta est huic loco chartula, in qua legitur hic versus, eadem manu, quae multa correxit atque supplevit, scriptus: „Quam stricto Pauli excidium ense pati".

[3] Hi quattuor versus ex proximis carminibus (I et II) repetuntur.

[4] Corn. 124.

[5] Corn. 124. Obiit anno 1546 Islebiae (Eisleben), in urbe Saxoniae.

DE EODEM[1].

III.

Ne posses mortem malefidi, Saxo, Lutheri
Scribere, foeda illum sustulit ebrietas.
Non efflasse animam, non emisisse Lutherum,
Dicere sed possis evomuisse animam.

IV.

Annua sollemni redeunt ieiunia more;
„Explere, heu, cogar illa", Lutherus ait;
„Sic veteres iussere patres; decreta Tridenti
Proxima, nil dubium est, sic quoque et ipsa volent.
O moriar potius, quam ventrem romula nostrum
In tales adigat regula dura dapes".
In dicto cecidit, seu mors exaudiit illum,
Acer seu vicit saucia corda dolor.
Quam frenare gulam, quam ieiunare, Lutherus,
Infelix Saxo, maluit ille mori.

V.

Sacra vocas, Teuto, Martini scripta Lutheri,
Scripturasque inter dicis habenda sacras.
Sacra negem? fateor, sed sic sacra, Teuto, poetae
Auri ut Vergilio[2] est sacra vocata fames.

---

[1] Carmina III—V exstant in corn. pg. 124 sq.
[2] Aeneid. III, 56.

8.

De excidio urbis WITTEMBERGAE[1].

Infelix ergo magnae cadis aemula Romae,
Wittemberga, caput multorum et causa malorum,
Demens heu quae non patris mandata Quirini
Audieris, toti princeps qui iura dat orbi,
Ter quondam afflatus geminorum flamine Divum,
Maximus ille pater rerum suprema potestas,
Qui caelos verbo claudit, qui claudit averna
Arbitriisque aperit, caeli dominator et orci.
Audisses utinam! staret venerabile nomen
Gentis honosque tuae et tu Wittemberga maneres.
Orsa nefas maius, quam priscis accidit annis,
Turbasti Divumque domos spoliare nefanda
Ausa manu pravos mutatis rebus in usus
Atque novis passim temerasti legibus urbes.
Omnia tempsisti veterum vestigia patrum,
Prisci antiquati ritus, irrisa vetustas.
Nil tibi, nil placuit — praeter tua — quicquid avitum est
Firmatumque annis meliori venit ab aevo.
Inventis contenta tuis, quae fudit acerbis
Exagitata odiis, furialis[2] lingua Lutheri
Sive quod ambiguus, variat qui dicta, Melanchthon[3],
Non malus ingenio, sed iudex futilis, audet
Aut prior his quondam, sed non truculentior Hussus[4],
Traxisti sacras variatis ritibus aedes

[1] Corn. 122.

[2] ms. „furiali". Sed fortasse „furiati" scripsit R.

[3] ms. „Melancton" (passim).

[4] ms. „usus". Correxi ex coniectura. Ioannes Hussus, Boemus a. 1369 natus, auctoritatem stae. scripturae eis, quae ab ecclesia sta. traduntur, decretisque pontificum max. praeferebat. Combustus est ex concilii constancensis decreto a. 1415.

10.

IN TEUTONAS MEDICOS[1].

I.

Aegrotis Teuton aurum potabile praebet,
Hac una cunctis illo medetur ope.
Exstinxit multos, aurum portabile quaerens,
Atque sua nullos ille levavit ope.
Auro igitur qui vis pariterque carere salute,
Teutonicas languens experiare manus.

II.

Aegrotis Teuton aurum potabile praebens,
Radit ab aegrotis aurum portabile Teuton.

III.

Latro homines ferro, Teuton interficit auro.
Qui refert? magno hic, vilius ille necat.

---

[1] Oss. 222 sq. = corn. 314. In ossol. caret hoc carmen titulo. Alchymistae sive chymistae, quorum ars praecipue saec. XIV—XVI floruit, invenisse se praedicabant materiam, qua admixta metalla viliora in aurum mutarentur. Materiae illi, quam sapientium lapidem, magisterium, varie appellabant, assignabatur etiam vis medendi cunctis morbis viriumque corporis restituendarum, quem ad usum eadem liquefacta auri potabilis nomine aegrotis invalidisque bibenda a medicis praebebatur. Castigat hanc temerariam fallacemque medendi rationem etiam Fontanus, academiae cracov. circa a. 1599 professor. Conf. Oettinger, Rys dawnych dziejów wydz. lekarskiego uniw. jagiellońskiego, Kraków 1878, pg. 218.

Sidus perque hominum manus volare,
Ad te, Felsina, nos adire iussit,
Cui, si quid sapit, illud usque gratus
Acceptum rettulit feretque, fusos
Torquebit Lachesis quoad benigna.
Mox dicta tibi iussit ut salute
Doctam Albornotii insulam petamus[1],
Unde in Hesperiae ultimos recessus
Troiano velut ex equo, virorum
Ingens copia prodit inclitorum,
Terras qui occiduas regant volentes.
Illo me fero, si patebit ullus
In tanta sinus insula libello,
Haud docto, horridulo parumque compto.

13.

IN MOSCHUM[2].

Barbarus est Moschus, quo non immanior alter
Omnibus in terris ante tyrannus erat.
Ipse manu saevitque sua ferroque trucidat,
Quos duri mansit dextera carnificis.
Vivere quam tali sub principe, praestat in auras
Non missum aut mitti sub Phlegethontis aquas.

---

[1] Designat collegium hispanum, ab Albornotio cardinale hoc nomine saec. XIV conditum. Gil Alvarez Carillo Albornoz, archiepiscopus toledanus, Hispania relicta Avinionem ad exulantes ibi tum temporis pontifices maximos se contulit, cardinalisque electus virtute et sapientia sua ipsis regnum romanum recuperavit. Ceterum illius collegii hispani pars fuisse videtur collegium ab Andrea Vives, Alcagnicensi saeculo XVI ad sustentandos educandosque Alcagnicenses fundatum. In illo Andreae Vives collegio et ipse Roysius, utpote Alcagnicensis, exceptus litteris in Bononia operam navasse fertur. Conf. Ossoliński, Wiad. hist. kryt. II, 156, ubi Albernotius dicitur; Ciampi, Bibliogr. crit. II, Firenze 1842 pg. 35.

[2] Oss. 165 = corn. 277.

A.

RELIGIOSA.

RELIGIOSA[1].

1.

Ad lectorem hymnorum ecclesiasticorum[2].

I.

Auctorem, lector, nescis et scire laboras,
Est hoc tam sanctum qui modulatus opus.
Si ad carmen spectes, aut scripsit Horatius istud
Dixeris aut scripsit Pindarus istud opus;
Maximus aut aliquis nostra de gente poeta,
A magno ducens forte Davide genus.
Sed quia tota sonant Christum sacra carmina, dicas
Esse hominis numeros, verba sed esse Dei.

II.

Pagina plena Deo est: non aevi ficta prioris
Foeda vetustatis monstra nec ulla leges.

---

[1] Titulum hunc ipse Royzius carminibus „De vita christiana" et „Christiana admonitio" praescripsit.

[2] Ex libro q. i. Hymni aliquot ecclesiastici . . . Cracoviae apud viduam Hier. Victoris. A. d. 1548 (exempl. bibl. Ossolineae 6066). Leguntur haec in initio libri praefationis specie. In aversa pagina eiusdem folii depictum est gentilicium insigne episcopi Sam. Maciejowski (Vitulus), cui subscribitur eiusdem Royzii epigramma, quod pg. 54 sq. per errorem omissum hoc loco adscribo:

Sum mitis: nemo timeat mea cornua iustus,
Illa bonis non sunt, sunt metuenda malis.

Saucius hoc, cruce pro nobis defixus in alta,
Argumentum ingens, implet Iesus opus.
Flagra leges Christi et caedem nostramque salutem,
Iusti quae abluta sanguine, parta nece est.
Ros caeli sacer, haud huius divina poetae
Bellerophontaeus proluit ore latex.
Quam doctus sene maeonio potes esse relecto,
Tam bonus hoc lecto, tam pius esse potes.

2.

In horologum et theologum[1].

Machina, quae signat properantes civibus horas,
Servaret cursus cum minus apta suos,
A medioque die vix index isset, Ibero
Et iam sol fessos amne levaret equos:
Horologo: „Lento vadit tua machina motu,
Nec solis se aequat cursibus" hospes ait.
Quem contra horologus: „Recte mea machina vadit,
Carpere parce; citus sol male currit" ait.
Theologus huic similis quidam, quem dogma novantem[2],
Quod veteres quondam nos docuere patres,
Audentemque sacris opicos inducere ritus,
Haud Boeotus amet quos rudis ingenio,
Cui cum quondam alius contra: „sacra" diceret „obstant
Romula tota tuis obvia dogmatibus",
„Nos spectelis", ait, „nos; romula sacra facessant;
Nos bene, non bene vos romula templa docent".

---

[1] Corn. 112 sq.
[2] Exspectaveris „cui dogma novanti... audentique"..

3.

In mulieres sacra procurantes[1].

„Templa regunt", dixit, „calathi et sacraria fusus;
 Adveniunt, video, iam mea regna" satan.

4.

Auctoritas summi pontificis[2].

Sive Petrus, qui olim, dum terras Christus obibat,
 Piscator salsas puppe secabat aquas,
Seu qui aquilae fert ora et clangens sidera pulsat,
 Sive leonis hians qui gerit ora trucis,
Sive hominis, seu qui nitidi fert ora iuvenci:[3]
 Hos tales firmat littera nulla toros.
Sola papae lex est, iusti quae iura dat isti;
 Qui nothus est, iustus, si papa iussit, erit[4].

---

[1] Corn. 111.

[2] Sic in cornic., sed a posteriore manu; in ossol. titulus desideratur (oss. 11 = corn. 148).

[3] Quattuor evangelistas vv. 3—5 designat.

[4] Quorsum hoc carmen spectet et num integrum sit, non est perspicuum.

5.

De Neptuno haereticum mergente [1].

I.

Haereticus quod mersus aquis in fluminis alveo
Neptuno sontem reddit hians animam,
Debita fata negas: non undis, scilicet, igni
Debuit in mediis ille perire rogis.
At fatis constat ratio. Quid? crimine multo
Quam male pollurerat, abluit amne animam.

II.

Haereticum mediis mergens Neptunus in undis,
„Parce, meo, Lemni [2], munere fungor", ait.
„Qui potui primi maculam purgare parentis,
Stultitiam haeretici non potero abluere?" [3]

6.

De LUTHERO
ad sacros theologos [4].

Cum Deus e summo terram spectaret olympo
Atque opera humanae cuncta videret opis:
Sacra ubi respexit loca consona disciplinis,
Quarum materies causaque solus erat,
Ingemuit, vanas sua dum schola vidit ut isset
In rixas, et quae nil pietatis habent.

---

[1] Oss. 136 corn. 254.
[2] sollemnis forma est „Lemnie".
[3] In cornicensi perperam hoc distichon atque secundum primi carminis inter se locum mutaverunt.
[4] Corn. 30 sqq

Scripturis opus est sacris et numine Divum.
   Quae Christus dixit, quae quoque Paulus opus.
Quae et veteres olim iussi cecinere prophetae,
   Et quaecunque sacrum pagina nomen habet.
Ergo vos, veteris ritus fideique magistri,
   Linquite barbaricos, nomina vana, duces.
Cedat Ocam, cedat Mairons et turbidus Olcot,
   Totque illaudati, barbara turba, viri.
Hinc nullus Scotus, Thomas hinc nullus in ore,
   Nullus Aristoteles, nullus in ore Plato.
Scripturas proferte sacras, sanctosque prophetas:
   Paulus in ore frequens, Christus in ore frequens.
Ferte referte patrum veterum monimenta piorum,
   Et quaecunque sacrum pagina nomen habet.
Hoc Deus, hoc vestrum studium vult esse relictis,
   Qui male vos antehac detinuere, dolis.
Vincere sic facile atque loco exturbare Lutherum,
   Et demoliri, quas male iunxit, opes.
Aspiciat Deus, et populos miseratus egenos
   Pacata det nos religione frui.

7.

De triplici magorum munere.

I.[1]

Tres reges regi regum dant munera Christo
   Aurum, tus, myrrham. Quo tria dona trium?
Aurum sceptra, Deum tus, monstrat myrrha sepulcrum:
   Apta tribus tria sunt munera muneribus.

II[2].

Cur hodie Christo reges tria dona tulerunt?
   Si quaeres, non est dicere difficile.

---

[1] Oss. 28 = corn. 161.
[2] Corn. 47.

Saucius hoc, cruce pro nobis defixus in alta,
Argumentum ingens, implet Iesus opus.
Flagra leges Christi et caedem nostramque salutem,
Iusti quae abluta sanguine, parta nece est.
Ros caeli sacer, haud huius divina poetae
Bellerophontaeus proluit ore latex.
Quam doctus sene maeonio potes esse relecto,
Tam bonus hoc lecto, tam pius esse potes.

2.

In horologum et theologum [1].

Machina, quae signat properantes civibus horas,
Servaret cursus cum minus apta suos,
A medioque die vix index isset, Ibero
Et iam sol fessos amne levaret equos:
Horologo: „Lento vadit tua machina motu,
Nec solis se aequat cursibus“ hospes ait.
Quem contra horologus: „Recte mea machina vadit,
Carpere parce; citus sol male currit“ ait.
Theologus huic similis quidam, quem dogma novantem [2],
Quod veteres quondam nos docuere patres,
Audentemque sacris opicos inducere ritus,
Haud Boeotus amet quos rudis ingenio,
Cui cum quondam alius contra: „sacra“ diceret „obstant
Romula tota tuis obvia dogmatibus“,
„Nos spectelis“, ait, „nos; romula sacra facessant;
Nos bene, non bene vos romula templa docent“.

---

[1] Corn. 112 sq.

[2] Exspectaveris „cui dogma novanti... audentique“..

5.

De Neptuno haereticum mergente [1].

I.

Haereticus quod mersus aquis in fluminis alveo
Neptuno sontem reddit hians animam,
Debita fata negas: non undis, scilicet, igni
Debuit in mediis ille perire rogis.
At fatis constat ratio. Quid? crimine multo
Quam male pollurerat, abluit amne animam.

II.

Haereticum mediis mergens Neptunus in undis,
„Parce, meo, Lemni [2], munere fungor“, ait.
„Qui potui primi maculam purgare parentis,
Stultitiam haeretici non potero abluere?“ [3]

6.

De LUTHERO
ad sacros theologos [4].

Cum Deus e summo terram spectaret olympo
Atque opera humanae cuncta videret opis:
Sacra ubi respexit loca consona disciplinis,
Quarum materies causaque solus erat,
Ingemuit, vanas sua dum schola vidit ut isset
In rixas, et quae nil pietatis habent.

---

[1] Oss. 136 corn. 254.
[2] sollemnis forma est „Lemnio“.
[3] In corniconsi perperam hoc distichon atque secundum primi carminis inter se locum mutaverunt.
[4] Corn. 30 sqq

Scripturis opus est sacris et numine Divum,
Quae Christus dixit, quae quoque Paulus, opus,
Quae et veteres olim iussi cecinere prophetae,
Et quaecunque sacrum pagina nomen habet.
Ergo vos, veteris ritus fideique magistri,
Linquite barbaricos, nomina vana, duces.
Cedat Ocam, cedat Mairons et turbidus Olcot,
Totque illaudati, barbara turba, viri.
Hinc nullus Scotus, Thomas hinc nullus in ore,
Nullus Aristoteles, nullus in ore Plato.
Scripturas proferte sacras, sanctosque prophetas:
Paulus in ore frequens. Christus in ore frequens.
Ferte referte patrum veterum monimenta piorum,
Et quaecunque sacrum pagina nomen habet.
Hoc Deus, hoc vestrum studium vult esse relictis,
Qui male vos antehac detinuere, dolis.
Vincere sic facile atque loco exturbare Lutherum,
Et demoliri, quas male iunxit, opes.
Aspiciat Deus, et populos miseratus egenos
Pacata det nos religione frui.

7.

De triplici magorum munere.

I.[1]

Tres reges regi regum dant munera Christo
Aurum, tus, myrrham. Quo tria dona trium?
Aurum sceptra, Deum tus, monstrat myrrha sepulcrum:
Apta tribus tria sunt munera muneribus.

II[2].

Cur hodie Christo reges tria dona tulerunt?
Si quaeres, non est dicere difficile.

[1] Oss. 28 = corn. 161.
[2] Corn. 47.

Natali attulerant nil luce novisque calendis;
Dandum nunc. Strena est pro tribus una data.

8.

De primi parentis peccato[1].

Mala malum malo malum male fregit ab alta
Patris Adae; ex malo hoc prodiit omne malum.

9.

In peccatores[2].

Surrexit Christus dominus, manesque piorum
Exsurgens caecis eripuit tenebris.
Tu tamen usque lates. Tua num maiora Dei vi
Crimina sunt, qui te solvere non potuit?

10.

Adam primus et secundus[3].

Primus Adam genus humanum damnaverat orco,
Sanguine quod fuso liberat alter Adam;
Invexit miseris mortem mortalibus ille,
Hic obitu vitam rettulit ipse suo.

---

[1] Oss. 28 = corn. 161.
[2] Ibid.
[3] Corn. 193.

11.

Ad Christum [1].

Ablue Christe Tuo me sanguine, morteque mortem
Nostram perde Tua, fiat et inde salus,
Ut, quae peccato occiderat, mox vita resurgat
Caelestesque petat te duce laeta domos.

12.

* Sub imagine Christi cruci adfixi.

Vivus eram Christus supplex, nunc cernuus idem
Inflecto, vita cassus, utrumque [2] genu.
Si pietatem animi potuisset fingere pictor,
Hoc nullum in terris pulchrius esset opus [3].

13.

De vita christiana.

Vitam vivere qui cupit perennem,
Toto corde Deum colat potentem,

---

[1] Ibid.

[2] Ossol. „utrunque", qui plerumque ante *q* consonantem *n* pro *m* exhibet.

[3] His quattuor versibus exceptis, qui tantum semel in utroque msto. leguntur (ossol. pg. 67 = corn. pg. 194) duo poemata, quae sequuntur, De vita christiana atque Christiana admonitio bis descripta exstant in utroque libro (ossol. pg. 67 sqq. = 319 sqq. = corn. pg. 194 sqq. =

Toto pectore viribusque totis:
Christum cum Patre Spirituque sancto,
Tres unum fateatur ore toto.
Vitam vivere qui cupit perennem,
Abraam Deus, Isaac, Iacob
Imis haereat ossium medullis;
Christum, — cetera vana sunt, — adoret:
Christum cum Patre Spirituque sancto
Tres unum fateatur ore toto.
Vitam vivere qui cupit perennem,
Illud deinde sibi putet sequendum:
— Non huic dissimile est, quod ante dictum, —
Igni proximus hinc ametur aequo.
Vitam vivere qui cupit perennem,
Aequalem sibi proximum putabit
Affectuque volens sequatur uno,
Et, quantum sibi, proximo favebit [1],
Et, quantum sibi, proximo timebit.
Vitam vivere qui cupit perennem,
— Lex implebitur omnis his duobus,
Lex implebitur omnis et prophetae, —
His iussis faciat satis duobus.
Vitam vivere qui cupit perennem,
Aeternaque frui beatitate .... [2].

---

374 sqq.) id quod iam in ossol. altero loco posterior manus verbis „scripsit..." adnotavit.

[1] Alteris librorum locis hic versus desideratur.

[2] Hi duo versus, qui imperfectum esse carmen indicant, leguntur tantum posterioribus librorum locis.

14.

Christiana admonitio.

Mane toro surgens, plumis sit prima relictis
Cura Deum laudare[1]; Dei primordia lucis
Accipiant laudes, cuius stat numine caelum
Terraeque tractusque maris locaque aethere cassa.
Concipe mente Deum praeque illo cetera temne.
Proximus ignis homo est, qua tu quoque, sorte creatus:
Illum iussus ama et, quo te, amplectaris amore.
Odit ficta Deus: ne blando arriseris ore,
Corde premens odium; procul ira facessat et ardor
Ulciscendi animo, pronaque in vulnera dextra.
Officiis certare iuvet, prodesseque pulchrum
Esse puta magnumque nefas offendere quemquam.
Verum semper ama, nec inani prodiga lingua
Ora move; pudeat vanas effundere voces,
Et nulli credenda loqui; periuria vita
Ceu pestem, sacrasque Dei ne laeseris aures.
Tus adole, credasque pium procumbere ad aras
Et veniam superos multa prece poscere Divos.
Esto te melior semper; te vincere cura
Semper; avaritiam fugias, fuge turpia lucra,
Paucis contentus, vitae quae postulat usus.
Sis contemptor opum... [2].
Arcanum serves et amica silentia linguae.
Disce tacere, bonus tacituro quicquid amicus
Credidit; effutire grave est, tua quae audiit auris.
Noxia, si prodas, magno vox constitit olim,
Edita quae auctori nocuit, nec profuit illi,
Qui sparsit fecitque alienas iret in aures.

---

[1] Per anacoluthiam quotidiano sermoni propriam „surgens" pro „surgenti" dixit.

[2] Sic utrisque locis mstorum.

Inde inimicitias atque iras gliscere saevas
Discimus et fratres in fratres surgere, patres
In natos subolemque[1] suam. Parsque[2] una mariti
Uxor et uxoris caput arma ciere maritus
In fata alterius: diris furit illa venenis,
Hic telis et fuste minax....[3].

15.

De conceptione Beatae Virginis Mariae[4].

Concepta est expers labis, quae postea Christum,
Expers concubitus, concepit et edidit orbi,
Erepturum imis mortales sedibus aegros
Morte sua, et victor secum illaturus Olympo[5],
Aeternum nullis ubi degant finibus aevum.
Ergo tuis illi precibus nos assere regno,
Virgo parens, spectet non nos, non crimina natus
Nostra tuus, largi sed rivos sanguinis, alta
Quo cruce dependens gentes a morte redenit.

16.

Ad effigiem Christi[6].

Hac iter in caelum est, est Christus ianua caeli;
  Hoc duce sidereas tendere disce vias.

---

[1] Ms. „sobolemque", ut vulgo.

[2] „Parsque" scripsi dubitanter; in ms. legitur „parque". „Ciere" infinitivi historici loco habui.

[3] Hoc hemistichio clauditur carmen.

[4] Corn. 102.

[5] Locus mendosus aut quaedam anacoluthia durior.

[6] Corn. 72.

Certum iter est: non te fallet, qui fallere nescit;
Commorere huic, quisquis vivere semper amas.

17.

De ascensione Domini [1].

Ascendit Dominus: valete terrae,
Mundus personet omnis, Alleluia!
Limbo patribus erutis silenti,
Quos Adae patris obruit reatus,
Et regno stygii patris subacto
Dextrae filius assidet potenti
Supremi patris, unde gloriosus
Vivos adveniet dieque functos
Iudicare, suam beatitatem
Largiturus et illa sempiterna
Iustis gaudia, quae paravit olim
Caeli conditor ultimis ab annis.
Idem sontibus, impiis Deique
Ignaris, male vita quos peracta
Dignos suppliciis facit gehennae,
Aeterni properare Christus ignis
In incendia turbidos [2] iubebit.
A quo nos Deus arceat benignus
Malo, detque suam beatitatem
Et quae gaudia praeparavit olim
Sanctis manibus ultimis ab annis.

---

[1] Corn. 102 sq.
[2] Ms. „turbidus".

18.

In adulteros[1].

I.

Qui corpus scortis deserta coniuge miscet,
Iratumque sibi non putat esse Deum,
Insanit, dignus vinclis, quia vincula solvit,
Quae Deus ipse sua nexuit ante manu.

II.

Quam quis abest procul a deserta coniuge coniux,
Tam procul hic a se credat abesse Deum.

19.

De virgine et nupta[2].

Virgo uni servire Deo solique placere
Cogitat; hoc unum pectore versat opus.
Nupta uni servire viro, solique placere
Cogitat; hoc unum pectore versat opus.
Quanto homine est maior Deus, hoc et coniuge virgo;
Hoc et coniugium virginitate minus.

[1] Oss. 215 = corn. 810.
[2] Oss. 83 = corn. 206.

20.

De triplici vita
caelibe, coniugali et fornicaria
carmina [1].

I.

Laus prima est viduo iacere lecto,
Laus est coniugii sequens; quod ultra est,
Non laus, sed scelus est nefasque triste,
Dignum tartarea nefas Megaera.

II.

Felix, qui Veneris faces nocentis
Auratasque Cupidinis sagittas
Forti pectore viribusque vincit,
Felix o nimis et beatus unus!
Felix unus et Angelis amicus,
Carus Caelitibus Deoque carus,
Cuius non ope, non caret favore,
Qui vincit Veneris faces nocentis
Auratasque Cupidinis sagittas.
Felix ille, minus sed ille felix,
Qui cedit Veneri Cupidinique,
Et flagrans sequitur toros iugales.
Fortunatus et hic, at ille vincit,
Qui vincit Veneris faces nocentis
Auratasque Cupidinis sagittas.
Invisus superis at ille Divis,
Quisquis concubitus amat solutos;

[1] Carmina I—LXXXVII exstant in oss. pg. 71—82, in corn. pg. 196—206; prima quattuor carmina exstant etiam typis excusa ad calcem Carminis consolatorii ad Sigismundum Augustum Cracoviae a. 1553 editi. Pro „carmina“ legitur in mstis. „experientiae copia“ Omnia haec carmina ante a. 1553 scripta esse videntur.

Quae iusta est, terras habitat, quae iniusta, barathrum,[1]
Et patitur manes sub phlegethonte suos.

VI.

Virginitas caelos replet, conubia terras;
Innuba tartareo volvitur amne venus.

VII.

Virginitas super astra volat, conubia iuxta;
Altera si qua venus, sub phlegethonte iacet.

VIII.

Astra tenet virgo, terras colit alma marita;
Tartareas quaerat tertia vita domos.

IX.

Laudamus thalamos, stant virginitatis honores;
Impermissa venus nil nisi crimen habet.

X.

Maxima virginitas laus est, laus altera taedae;
Post has laus vitam tertia nulla manet.

XI.

Virgo placet caelo, terris hymenaeus; averno
Vix placet infamis lege soluta venus.

XII.

Eunuchi ob Christum primos meruistis honores,
Proxima coniugio est Penelopea [1] suo.
Cetera deinde venus procul, o procul, esto profana:
Tartara cultores volvit in ima suos.

---

[1] Substantivi forma antiquis non usitata, sed recte ad graecam formam Πηνελόπεια efficta.

Cetera praeterea damnatio vita putanda est;
Invisos supero nos facit illa Deo.

XXII.

Virginitas laudi est, sunt vincla iugalia laudi,
Sed nil praeterea, quod celebremus, adest.

XXIII.

Eunuchos caelebs iustumve sequare cubile;
Vivendi nullus deinde relictus honor.

XXIIII.

Caelebs vita placet, iustus non displicet hymen;
Tertia vivendi nulla relicta via est.

XXV.

Caelibe nil melius vita, post ordine coniux;
Vivendi ratio cetera laude caret.

XXVI.

Felix, qui caelebs valet esse; secundus ab illo
Est coniux; magnum est tertia vita nefas.

XXVII.

Abstineas thalamis, vita nil sanctius illa est,
Sisve vir et iusti foedera iunge tori.
Nil tibi praeterea, quod deinde sequare, relictum est;
Vae misero, quem non altera vita iuvat.

XXVIII.

Vive Deo caelebs. sociamve require maritus;
Nil carmen deinceps, quod tibi laudet, habet.

XXIX.

Vive exsors thalami: multos ea vita labores
Fert homini; si non hoc potes, illud age:

Quaere tori sociam, flammamque exstingue nocentem;
Est tibi praeterea nulla relicta salus.

XXX.

Virgo placere potest superis iustusque maritus;
Hos extra superis nemo placere potest.

XXXI.

Vive Deo viduus vel, si pharetratus amantem
Vincit Amor, iustus foedere fiat amor.
Qui non alterutram sequitur sine crimine vitam,
Elysium nunquam viderit ille nemus.

XXXII.

Vincla tori fugias. Quodsi venus urit amantem,
Tunc modo vitati foedera quaere tori.
Nam cuicunque hominum non vivitur altera vita,
Tartareus stygias Pluto minatur aquas.

XXXIII.

Elige vivendi genus; hoc illudve sequendum est,
Quod placeat terris, quod placeatve Deo.
Qui non vult caelebs, qui non vult esse maritus,
Plutonis saevas sentiet ille manus.

XXXIIII.

Solum [1] quaere torum; si non potes, esto maritus;
Convenit obscoenis tertia vita foris.

XXXV.

Solus vive; puer Veneris si te improbus urit,
Foedere legitimus fac coeatur amor.
Hoc sequere aut illud, si qua est tibi cura salutis,
Exspectet stygios tertia vita lacus.

---

[1] audacius hanc vocem hoc loco usurpasse videtur poeta.

XXXVI.

Nubat virgo, nequit veneris quae vincere flammas;
Nulla etenim Christo tertia vita placet.

XXXVII.

Qui non est caelebs et se negat esse maritum,
Gratum idem supero se negat esse Deo.

XXXVIII.

Quem non vita iuvat caelebs, conubia quaerat:
Praeterea est homini noxius omnis amor.

XXXIX.

Non quaerat thalamos, suboles cui victa Diones;
Illa etenim multum vita laboris habet.

XL.

Uritur: exstinguat permisso incendia lecto;
Non est praeterea, quam secet ille viam.

XLI.

Virgineam tollas vitam et quae deinde marita est,
Ulterius nil, quod vita sequatur, habet.

XLII.

Virgo placet, placet et coniux; quae tertia vita est,
Mors est, interitu dissoluenda suo.

XLIII.

Caelebs esto torive sequare maritus honorem;
Nil dehinc, quod varius mundus honestet habet.

XLIIII.

Tu Christum caelebs taedasve imitare iugales:
Sancta haec; tartareo cetera redde patri.

XLV.

Sis virgo coniuxve; nocet quae tertia vita est,
Nil haec praeterea terra nec aether amat.

XLVI.

Integritas placeat, placeant conubia nobis;
Displiceat, quicquid tertia vita probat.

XLVII.

Esse potes caelebs, esto; negat illud Olympus,
Sis coniux; nil, quod deinde sequaris, habes.

XLVIII.

Ni virgo sis vel coniux, tua mortua vita est;
Ni alterutrum sequeris, mortua vita tua est.

XLIX.

Christus erat virgo: Christum tu, virgo, sequare;
Non potes, est socius vita secunda torus.
Tertia non ulla est, quam vel sciat ultima Thule,
Quaerenda est stygio sub phlegethonte tibi.

L.

Felix ille vir est, potis est qui vivere caelebs;
Qui non, ne pereat, curet hic esse pater.
Tertia praeterea non ulli vita sequenda est;
Qui nequit alterutram, salvus hic esse nequit.

LI.

Sit caelebs, ignes cui Dii superare dedere;
Cui non, legitimus foedera iungat amor.
Vita dehinc, si vita dehinc mortalibus ulla est,
Tertia perpetuae crimina mortis habet.

LII.

Caelibibus stellans ultro reseratur olympus,
Coniugibusque Dei regia tota patet.
Tertia, quae traxit foedum de fornice nomen,
Vita, suum praeceps in styga tendit iter.

LIII.

Aurea caelibibus patet alti ianua caeli,
Nec clausa est caeli regia coniugibus.
Qui sine conubiis vitam coluere solutam,
Hos, heu, in poenas tota gehenna manet.

LIIII.

Virgo tenet caelum, iustus tenet astra maritus;
Infernas sedes lege soluta venus.

LV.

Caelestes sedes caelebs petit atque maritus;
Interiit, cui non altera vita placet.

LVI.

Caelibibus splendens olim debetur olympus,
Caelum coniugibus nocte dieque patet.
Cui non prima placet, cui non placet altera vita,
It praeceps rapidas in Phlegethontis aquas.

LVII.

Qui vita functus celsi petere ardua caeli
Optat, sit caelebs coniugiove vacet;
Nam quisquis non hanc vitamve amplectitur illam,
Ille videns[1] fertur in Phlegethontis aquas.

LVIII.

Assurgens terris caeli petit ardua caelebs
Atria, coniugio proximus exstat honos.

[1] = manifesto.

At quae impermissis venus uritur innuba flammis,
In tetras hominem fert Acherontis aquas.

LIX.

Cui venus ignota est aut iustus cognitus hymen,
Pulsabit certo sidera celsa pede;
Qui vero vetitae veneri se dedidit amens,
Hic vivens stygias iam prope pulsat aquas.

LX.

Caelibibus, mox coniugibus Deus aethera pandit;
Exlex exspectet ditia [1] regna venus.

LXI.

Debita caelibibus sunt regna superna, maritis
Debita sunt eadem, styxque vagae veneri.

LXII.

Qui nullam novit venerem et qui novit honestam,
Caelum amat, infernum [2], cui vaga nota venus.

LXIII.

Est cui nota venus nulla, et cui nota iugalis,
Caelorum: moechus atria Ditis amat.

LXIIII.

In caelum caelebs, in caeli regna maritus
Ibit, tartareas moechus inibit aquas.

LXV.

Dis gratus superis caelebs gratusque maritus
Creditur; infernis improba grata venus.

---

[1] Contra morem veterum hoc adiectivum usurpatur.
[2] „infernum" vi substantiva usurpatur demum IV post Chr. n. saeculo.

LXVI.

Quem nescit venus et quem scit, sed casta, supernas
Hi sedes, moechus tartara nigra colet.

LXVII.

Vitato venerem, aut eam iugato,
Qui vis aethereas adire sedes;
Fert nam concubitus amor soluti
In flammas tetricae suos gehennae.

LXVIII.

Si veneri parces aut iusti foedus inibis
Infirmus thalami, sidera celsa petes.
Idem, si vetito malesanus cesseris igni,
Mergeris tetras in Phlegethontis aquas.

LXIX.

Caelibibus caelos Di coniugibusque dedere,
Infernas sedes moechia[1] turpis habet.

LXX.

Nulla sit his aut casta venus, quos scandere Divum
Tecta iuvat; moechis Styx adeunda palus.

LXXI.

Virginitatis honos primus taedaeque secundus
Fertur, habet nullum tertia vita decus.

LXXII.

Esse tibi, caelebs, caelos tibi crede paratos
Esse, marite; malus tartara moechus amat.

---

[1] moechia = μοιχεία hoc loco paenultima correpta usurpavit Royzius.

LXXIII.

Caelibis altus honos, non infitianda mariti
Proxima laus; magnum est sponda soluta nefas.

LXXIIII.

Caelebs, prima tua est laus commemoranda; marite,
Sponda sequens decus est immaculata tuum[1].
Altera proposita est cui non via forte secanda,
Ille secat demens in phlegethonta viam.

LXXV.

Qui non est caelebs aut icto foedere coniux,
Infernis poenas manibus ille dabit.

LXXVI.

Caelibibus, mox coniugibus, quorum ultima laus est,
Defunctis caeli regia tota patet.
Qui non caelibibus vult adiungive maritis,
Hauriet infernas hic Acherontis aquas.

LXXVII.

Caelibibus patet immensi domus aurea caeli,
Haec eademque patent atria coniugibus.
Quae clausit moechis Deus, et reseravit avernum,
Infernis mergat quos Acherontis aquis.

LXXVIII.

Expertes veneris iustique pudica secuti
Iura tori, Superum promeruere domos.
Impuros sed enim qui consectantur amores,
Hauriet hos fluctu Styx grave olentis aquae.

LXXIX.

Corporis integritas, supero gratissima caelo,
Gaudet honoratis se prope coniugiis,

[1] durius haec copulantur.

Amplexusque vagos odit, quorum infera cultor
  Ditis habet poenis atria feta suis[1].

LXXX.

Sponda libidinibus nullis temerata iugato
  Cum thalamo in caelos ardua tendit iter,
Sed, quae plena probro est vita ingratissima Divis,
  Tertia se stygiis iam prope mersit aquis.

LXXXI.

Ite grate Deo, caelebs, itoque, marite,
  Grate Deo; vobis regna superna patent.
Ite et vos, alio verum, venus improba quondam
  Grata quibus: vobis infera regna patent.

LXXXII.

Caelebs et coniux, caelis illatus uterque,
  Restinguent dulci nectaris imbre sitim.
At violare torum veneris cultoribus ausae
  Cocytus piceae flumina servat aquae.

LXXXIII.

Dilectus caelo est caelebs, mox ordine coniux;
  Cui moechus placeat, non habet aula Iovis.

LXXXIIII.

Gaudia Divorum caelebs castusque maritus
  Exspectent; moechos styx acheronque manent.

LXXXV.

Est carus caelebs superis carusque maritus;
  Cui moechus carus sit, phlegethonta roga.

---

[1] Iunge: quorum (amplexuum v.) cultor habet Ditis atria feta poenis suis.

LXXXVI.

Aether caelitibus patet usque patetque maritis,
Ut moechis Ditis ianua tota patet.

LXXXVII.

Ite Deo grati, caelebs coniuxque, Dei sors;
Exspectet stygios moechus ametque lacus.





B.

SATIRICA.

SATIRICA.

1.

Ad Aulum[1].

Si vis esse inter domini dilectus amores,
Te tenere appellet, te vocet, Aule, suum,
Te ditet, beet, unum et omnes inter honoret,
Ori vis escas inferat ille tuo,
Esse tui domini vis omnia: frater, amicus,
Deliciae, — esse tui vis domini dominus:
Qualem vult dominus, te finge per omnia talem,
Si non, qualem vult, tu quoque talis eris.
Ad domini ingenium ingenium te flectere oportet,
Et facere illius omnia ad ingenium.
Arma placent, loquere Annibalem; placet alea pernox,
Lude; placent domino pocula plena, bibe.
Quae facit ille, licet nec more aut legibus ullis,
Ipsa haec tu, tanquam sint sacrosancta, proba.
Quae negat ille, nega, et iuri contraria iura.
Vox tua ab illius pendeat arbitrio.
Quos amat ille, colas magno et digneris honore;
Illos, quos odit, oderis ipse magis.
Eius ama arbitrio, arbitrio simul oderis eius,
Haec placeant, domino quae placuere tuo.

[1] Corn. 40—42.

Seria vis tractare: iocos et ludicra tracta,
Sis contra Curius, cum placuere ioci [1].
Grata venus domino et parvus sine veste cupido,
Sit tibi grata venus et sine veste puer.
Cum ridet ride, cum maeret, tristior esto;
Cum gaudet, salta, cum dolet ille, geme.
At clamat tota et violentior intonat aula:
Ad quaecunque furor pertinet ille, treme.
Fulminat horrendum et saevo te dissecat ore,
Pallidulus, tremulus quaelibet illa feras.
Sunt dominorum irae iustae iniustaeque ferendae,
Quas, si causa deest, quae facit, aura facit.
Irasci dominis sine re et ratione licere
Ius vetus est; dominis, quod libuit, licuit.
Dehinc si te laeto aspiciat post nubila vultu,
Hoc debet magni muneris esse loco.
Haec studia, hi mores, modus est hic, Aule, sequendus,
Ius vis in dominum si quod habere tuum.

2.

De servitute aulica [2].

Multa ferenda tibi, misera qui vivis in aula;
Sed nequeas, quamvis ferreus, illa pati.
Cum tibi grata quies, currendum est; currere iam [3] vis:
Pigra tibi longum longa ferenda quies.
Forte sedere placet: standum est; vis stare: sedendum;
Vivendum alterius corporis arbitrio est.
Obrepsit somnus defessosque occupat artus:
Surge, queas aut non, nox vigilanda tibi est.

---

[1] Aut locus corruptus est, aut ita verba iungenda: Cum placuere ioci (domino), quamvis sis c. Curius (= vir gravis et modestus), iocos et ludicra tracta.

[2] Corn. 81 sq.

[3] ms. „non“. Fortasse „nunc“ scripsit R.

Non gemuere tui, quos sanguis iunxerat idem,
Aut finxisse illos, si gemuere, putem.
Cum tempus tumulo frigentia condere membra,
Qui vellet lacrimas vendere, nullus erat.
Exstincto quae flere potest turbata catello,
Non tua flevit anus funera; vidit anus,
Risit anus — dicturus eram; natura sed illud
Non fert, laetata est, dico, sed illud anus.
Totus et est populus laetatus plebsque patresque,
Et laudes pueri concinuere Deo.
Laudavere Deum pueri, quod te abstulit, illis
Esset visa licet mors tua sera nimis.
Hos quid quidque illos memoro? est laetatus et aether:
„In stygia a nobis longius“, inquit, „erit“.

4.

Ne sutor ultra crepidam [1].

Theologus, aethereas qua fert via, dicat, ad oras;
Monstratum indoctis continuetur iter.
Cui non est lectus Draco cumque Solone Lycurgus,
Abstineat dubio reddere iura foro.
Cui non Hippocratis, cui non sunt scita Galeni
Cognita, nil medicae polliceatur opis.
Alta, colant pacem, quos claudunt moenia, cives,
Martis opus miles tractet et arma manu:
Hoc Aiax, Hector maiorque ambobus Achilles
Esse suum, liceat, confiteantur opus.
Bellorum ignarus parcat fera bella sonare,
Nec sit dux, qui non audiit ante tubam.
Pygmaeus ne humeros caelo velut arduus Atlas
Submittat; nixu corruet ipse suo.

---

[1] Oss. 120 = corn. 239.

Cura domus subeat, duro ne parta labore
Dispereant segni postmodo desidia.
Primus eat cubitum; postremum sponda remittat,
Impigraque assuctum dextra resumat opus.
Nemo diu, haec servans, alieno mersus in aere est,
Qui non, ille, quoad vita manebit, erit.

6.

Ad Decumanum [1].

Non eadem, quae te, nos pascunt fercula: panis
Non idem [2], vinum non quoque potat [3] idem.
Et dicis tamen hoc: „mensa hunc admittimus una“ [4].
O vanas voces ridiculumque caput!
Tu vitulos, agnos et ademptos matribus haedos
Praecipis esse tuae fercula prima gulae:
Terga bovis vetulae, quae Caci immugiit antris,
Prandia sed nobis dant iugulantque famem:
Dorca [5] tibi ponetur, heri quae pabula carpsit:
Putentis nobis tergora ponis apri.
Pavones caposque voras sapidumque volantum
Omne genus: laxa nos cute gallus alit.
Salmo [6] tibi, quocunque coco bonus ostreaque ingens
Ponitur et rhombis mixtus in orbe lupus: [7]

---

[1] Oss. 137 sq. = corn. 254 sq.

[2] scil. me pascit.

[3] Potandi verbum vi transitiva ab ecclesiasticis demum scriptoribus usurpatur.

[4] Ex consuetudine Romanorum potius „ad mensam hunc admittimus unam“.

[5] Dorca, ex graeco δόρκη pro usitata forma dorcas-adis, significat capream nostrarum silvarum, ut iam in Diocletiani edicto secundum Mommseni sententiam.

[6] = łosoś.

[7] Rhombi videntur esse karasie, lupi szczupaki (lucii). Vide Cromeri Polon. I, pg. 488 (Colon. Agr. 1589).

Astrologum non, Ile, tuos sed consule mores,
Consulito vitam tu magis, Ile, tuam.
Inde scies, cinctura tuos an infula crines
Debetur. Raris pontificale decus
Debetur iustis, doctis, prudentibus: illis
Debetur, quorum crimine vita vacat,
Non impacatis, non percussoribus, Ile,
Non cupidis et qui iurgia litis amant.
Pontificale pedum non stringit inhospita dextra,
Non inconcessi dextra ministra tori.
Non udo cingit fumantia tempora baccho
Halantesque comas pontificalis apex.
Noli indignari astrologo, quin aure benigna
Illa cape, astrologus quae tibi cunque refert.
De vita querere, Ile, tua et de moribus, Ile,
Istis, de astrologo nil potes, Ile, queri.
Rettulit astrologus, quae volvere viderat astra,
Astrorum nutus vox fuit astrologi.
Venturi gnaro scelus est non credere caelo,
Irasci iustis vatibus, Ile, nefas.
Astra aliter vis, Ile, loqui, vis, Ile, referre
Astrologos aliter: vixeris, Ile, aliter.

8.

In quendam [1].

Fatorum impatiens parvi flet funera nati
Non cessaturus nocte dieque pater.
Luget, et insano dat tristes ore querelas,
Cum domino lugent atria pulla suo.
Sordidus it, laxa cinctus sine lege lacerna,
Neglecto languens et pede figit humum.

---

[1] Oss. 313 sq. = corn. 372 sq.

Pallidula, haec cernens, victa referre pedem.
Hippocrates crepuit sed ut ille, suosque Galenos,
Intellecta parum dictaque multa dedit,
Ad morbum quod pertineat, nil: suscitat aestus
Ergo fere exstinctos febris acerba suos,
Multaque iucumbens urit praecordia flamma.
Nequicquam medicam postulat aeger opem.
Infelix, eheu, febri cadit ustus anhela
Et pulchri medici volvitur ante pedes.
Frustra aurum, tyriae frustra micuere lacernae,
Quaeque onerat leves plurima gemma manus.
Si sanare aegros, si vis depellere morbos,
Deinde alia non hac ingrediare via.
Non ostrum, non, stulte, aurum, non anulus ingens,
Adversus morbos, sed valet Hippocrates.

10.

In Paulum[1].

Inter vina facis qui tot discrimina, Paule,
Ver quot fert flores Hyblaque pascit apes,
Sacra idem nescis et Pauli Paulus in ore
Est nunquam, nisi cum fors sacra, Paule, facis.
Nostra aetas, nescis, prisco quid distet ab aevo,
Regula cui quondam pagina Mosis erat.
Cum dicis Mosen, musam te dicere credis,
Ignores musas tu licet esse novem.
Quid census sacris consumis inutilis aris?
Indignas prensat quid diadema comas?
Sacrorum et[2] rudis es, scis et discernere vina,
Hoc quo, quo natum, Paule, sit illud agro.

[1] Oss. 132 = corn. 250 sq. Nomen fictum esse videtur, neque, quemnam notet poeta, perspicuum est.

[2] mss. „ut“.

[illegible] magna rapiuntur ab aula
[illegible] ire culina domos.
[illegible] certant tibicine; raptus
[illegible] dominos sed citharoedus habet.
[illegible]usque senex altus pede pumilus [illegible]
[illegible] in matris rursus abire sinus.
[illegible] tangit qui vertice paene lacunar.
[illegible]serunt avidas, raptus uterque, manus.
[illegible] lugenti non ultimus exit ab aula:
[illegible]veniunt dominos talia monstra suos.
[illegible] vos, qui studiis docto valuistis et ore,
[illegible] ornamentum totius omne domus,
[illegible]gias animas, qui tota optaverit urbe,
[illegible]que suos cupiat dicere, nemo fuit.
[illegible] placent et naturae ludibria nobis:
Insanire quis haec saecula nostra neget?

13.

De ambitione [2].

Quae non stat dictis, gens illa simillima vento est,
Qui flat ab eoo, qui flat ab occiduo,
Quique flat a septem, stringens sua rura, trione,
Quique flat a medio, qua calet ora, die.
Diversis tamen haud ullus flat ventus ab oris,
Contentusque suo quilibet orbe venit.
In ventis haec cum fiant, homo vanus eodem
Ore, — nefas, — cur non flat quoque semper idem?
Cur regione suas voces non mittit ab una?
Quaeque ait, haec aiat, quae negat, illa neget?

[1] Apud optimos poetas „doin“ una syllaba enuntiatur.
[2] Oss. 197 sq. = corn. 298—300.

Vix homo erit mihi, qui ceu Deus ante fuit".
Fingere qui nescit, qui dissimulare videtur
In frontemque suam non habet imperium,
Ille procul, procul ille vafra discedat ab aula,
Impensam atque oleum perdere ni quis amat[1].

14.

De officio feminae[2].

Servet clausa[3] domum, non tangat femina limen,
Curas hos fines discat habere suas.
Et lanae imperium, non illam publica pulsent
Munera, non et res huius et huius agat.
Quin assueta colo potius calathisque Minervae,
Immunes operis non sinat ire manus.
Impigrae peragant curet sua pensa puellae,
Intentasque operi cogat habere manus.
Castigetque moras, clametque nigrescere caelum
Et fusos linum vix operire suos.
Cristato famulas prior excitet alite, solem
Ante ortum multum clamitet esse diem.
Obiurget, minus esse domus si munda videtur,
Atque suo si quid non videt esse loco.
Femina curarum discat, quae meta suarum est,
Quaeque est imperii femina meta sui.
Hoc praeter, quicquid molitur femina peccat,
Cura nurus decet haec, non decet illa nurus.
Illis cura domus, non illis cura senatus,
Lataque cur sit lex illa vel illa magis;

---

[1] Hunc versum in ossolineo sequitur versus hic: „Ni sumptum atque oleum perdere forsan amat", sed posteriore manu atramento pallidiore deletus.

[2] Corn. 35 sq.

[3] Ms. „ot ausa".

ceu Deus
imulare
habet
a disc
perdi

C.

EPITAPHIA.





III.

Hic iacet Albinus, qui dum mala pharmaca miscet;
Occidit medicus milia multa virum.
Condendis terra, quos ille occiderat, aegris
Fossores poterant vix satis esse decem.
Abstulit hunc cur mors, quaeras fortasse viator?
Ille prius morti sustulit officium.

2.

Epitaphium cuidam medico [1].

Hic situs est medicus, cuius servata medelis
Ne [2] musca est, multi sed cecidere viri.

3.

Epitaphium Arcadii [3].

Hic iacet Arcadius, stellati doctus Olympi,
Qui caelum in manibus in digitisque tulit.
Ille, vicos caeli tractusque professus et orbes,
Quicquid et astra valent, Arcadius iacet hic.
Hic corpus iacet infelix, animam intulit orco
Indignus casus, dignus at astrologo.
Cum moriens petere aggreditur duce sidera nullo,
Esse sibi notas et putat ille vias,
Infelix anima aethereas dum credit ad oras
Ire, est [4] in stygios praecipitata lacus.

[1] Oss. 141 = corn. 257.
[2] Conf. pg. 393 adnot. 2.
[3] Corn. 71.
[4] ms. „et“.

Astra fefellere astrologum, via nota fefellit;
Ditem adiit, dum se credit adire Iovem.
Astrologi, caelum vobis mentitur et astra!
Non illa est, quam vos creditis esse, via.
Discite ab Arcadii miserando fine; docebat
Caelum alios, caelum nesciit ipse sibi.

4.

Epitaphium Auli[1].

Mortuus est Aulus pingui grave pondus omaso;
Accipe styx illum, terra tenere nequit.

5.

Epitaphium Phoebi[2].

Quod cadis exstinctus medicum crudeliter igni,
Phoebe, gulae fuerant debita fata tuae.
Perpetis hoc perpes meruit tibi flamma coquinae,
Quae caluit noctes, quae caluitque dies.
Dum ventri indulges, dum iungis prandia cenis,
Et mensis celebras orgia perpetuis,
Dignum lurconis fatum dignumque nepotis,
Qui tot ligna focis usseris, ustus obis.

---

[1] Corn. 46.
[2] Oss. 211' = corn. 303 idemque denuo oss. 304 = corn. 367 sq.







IV.

In Aulicum[1].

Pastorem cum te appellas, facis, Aulice, recte;
Pascis enim, at scurras, Aulice, scorta, canes.

V.

In Marcum[2].

Plus cyathos tibi, quam tua biblia, Marce, placere
Fama est. At[3] caupo biblia noster amat.
Ille suos cyathos, tua biblia deseris ipse,
Quodque est alterius, occupat alter opus.
Fias ille, o, tu, fiat tu protinus ille:
Orabis bene tu, Marce, bene ille bibet.

Ad Hylam episcopatus petitorem[4].

VI.

Praesul, Hyla, vis esse? preces tibi fundere magnum est.
Aures ne obtundas huius et huius, Hyla.
Epsilon, alpha loces si primo, et sigma sequatur,
Hae diadema dabunt tres tibi litterulae[5].

VII.[6]

Praesul Hyla vis esse? preces tibi fundere frustra est;
Alpha addas fini fundeque: praesul eris[7].

Ad Petrum[8].

VIII.

Antistes vis esse? preces effundere parce:
Amisere suum, Petre, preces pretium.

---

[1] Corn. 87.
[2] Corn. 88.
[3] ms. aut.
[4] Oss. 129 = corn. 247.
[5] scil. aes.
[6] ibid.
[7] Fini scil. voci „eris" id est „aeris".
[8] ibid. et VIII et IX.

XIII.

De Aemiliano[1].

Octo tibi brumas servit, totidemque recenset,
Cum tuas, aestates[2], Aemilianus erat.
„Arva adii Litavum decies, totiesque cucurri
Potavique tuas, Albula[3], fessus aquas.
Pro te“, inquit, „quae non discrimina, praesul, obivi?[4]
. . . .
Caula placet; satis o curavimus hactenus aulam;
Da quascunque tuas pascere, praesul, oves.
Iusta peto; servire placet populoque Deoque,
Commissasque iuvat pascere, praesul, oves.
Ergo tuo, praesul, non consulis Aemiliano?
Vanas esse pias et patiere preces?
Non te vota movent sanctissima? non aget olim
Per te commissas Aemilianus oves?“
Ne bone te, praesul, fallat vafer Aemilianus:
Lanam vult, non vult Aemilianus oves.

XIV.

De Metonio[5].

Aris praeficitur multis Metonius. Uni,
Quanto praestiterat, praeficeretur harae!

XV.

De Nerva[6].

Petre, simoniacum Nervam ne dicito: non est
Nerva simoniacus; est, Petre, Nerva Simon.

---

[1] Oss. 131 = corn. 249 sq.
[2] Durius haec vox (aestates) transponitur in alterum enuntiatum.
[3] = Tiberis.
[4] In utroque msto. hic spatium unius versus relictum et ipsa metri ratio versum pentametrum deperiisse declarat.
[5] Corn. 89.
[6] Corn. 85.

Parce mihi verum dicturo, — dicere verum
Quis vetet? — et voces pectore conde meas:
Dignus ad astra rapi Paulo sublimius esses,
Cura Dei si esset, quae est tibi cura canum.

XIX.

Ad theologos[1].

Dicite, divinae sacra quos tegit infula legis,
Quis studium, quicquid pagina Mosis habet:
Si Deus ante diem quartum non fecerat olim
Solem nec stellas, luna nec ante fuit:
Lux, primo quae facta die memoratur ab ipso,
Si verum Moses rettulit, unde fuit?[2]

XX.

In Petrum[3].

Quem clarum terris Christi confessio fecit,
Promeruit caeli ianitor esse, Petrus.
Alter at hic Petrus, quem Christus ad ima negatus
Tartara deturbat, quid meruisse potest?
Ianitor ut quoque sit, sed nigri ianitor orci,
Tergemino subeat munera iuncta cani.
Dignus uterque ferat Petrus sua praemia: Christi
Alter erit, Ditis ianitor alter erit.

XXI.

Ad Catullum[4].

Centum, quod decimas, quod habes altaria centum
Et tot opes, quot vix enumerare queas,
Commoda multa dabunt et multos forsan honores

---

[1] Oss. 18 = corn. 153.

[2] Carmen hoc argumento discrepat a plerisque Royzii, qui dogmata scripturamque sanctam semper fere reverenter tangit. Ceterum scholasticos, quos dicunt, vellicare mihi hoc carmine videtur.

[3] Oss. 226 = corn. 316. Hoc epigramma hoc loco dedi, nam et ipsum ad sacerdotem quendam spectare videtur.

[4] Corn. 12.

Plus reddunt; decimas vendere nolo meas.
Omnia sunt decimae, loqueris quaecunque. Iubebo
Sin nil de decimis dicere, mutus eris.

2.

De iurisconsultis et medicis.

I.[1]

Iurisconsulto certat de laude Galenus:
Si aegrotat iudex, causa, Galene, tua.

II.

In Anaxagoram[2].

Observas medicos, nil curas iure peritos:
Es sanus sed non iustus, Anaxagora.

III.

De Ollo[3].

Cur Ollus medicos piae peritis
Legis praeferat, Alde, postulasti?
Nescis, hic meus Ollus, Alde, nescis,
Mavult, quam fieri pius, cacare.

IV.

De iurisconsulto et medico[4].

Iuris consultus quos punit, in aere pendent,
Admoti aethereae, qua itur ad astra, plagae.
At medicus quos occidit, tellure recondit,
Est iter ad tetras qua Phlegethontis aquas.

---

[1] Corn. 20.
[2] Corn. 66.
[3] Corn. 66.
[4] Oss. 196 = corn. 298.

IV.

In [illegible]

Filius est medicus [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

V.

Ad Albinum[2].

Plurima [illegible] medicus [illegible] mihi, Albine, [illegible]
Qui medici [illegible] Albine, [illegible]

VI.

In Cedrum medicum de manibus Christi[3].

Esse manus Christi Cedrus iubet omnibus aegris[4];
Est manus Christi si iubet esse manus.
Hippocratem numquam, numquam citat ille Galenum,
Ignotum est illi nomen Apollinis [illegible]
Vicinae haud procul crinis promissaque barba
Audita, aut si quid saecula prisca colunt.
Illius haec multis medicina refertur ab annis:
Christi, — totus in hoc, — esse iubere manus.
Quae sit consilii tanti si causa requiris,
Non est a nobis illa petenda procul.

---

[1] Oss. 133 = corn. 251.

[2] Corn. 21.

[3] Corn. 238 = oss. 119.

[4] Verbum iubendi coniunxit cum dativo casu Tacitum secutus. Manus Christi (rączki, dłoń Chrystusowa, dłoń Boża) esse bulbos plantae cuiusdam ex orchidearum familia — fortasse orchidos conopreae, — quibus comosis vim toxicorum incantationumque arceri medici medii aevi credidissent, edoctus sum liberaliter per litteras a I. Rostafiński, crac. universitatis professore.

IX.

In Phoebum[1].

Curarunt medici Phoebum male; num male factum est?
Et medicos sacris[2] emerat ille male.

X.[3]

Sistanus medicos sacris altaribus emit:
Qui mirum medicas nil valuisse manus?

XI.

Adiutus cecidit medica nihil arte medentis,
Nil iuvit sacris censibus empta manus.

De medicis[4].

XII.

Noxia saepe fuit medici indulgentia sanis:
Et dubitas, aegris an ferat illa necem?

XIII.

Odi indulgentes medicos aegroque placentes;
Hunc, nihil e rigida qui arte remittit, amo.

XIV.

Frugibus admixtis acheloia[5] pocula praebet,
Et gracilem ptisanam praecipit ille bibam;
Hic mihi pannonii calices indulget iacchi,
Et mensis addit vina falerna meis.
Abstineas, ait ille, assis; hic assa ministrat;
Vescar lactucis hic iubet, ille vetat.

---

[1] Oss. 181 = corn. 288.
[2] fortasse „saccis".
[3] Ep. X et XI (oss. 315 = corn. 373) carent titulo in mstis.
[4] Ep. XII, XIII et XIV exstant in ossolin. pg. 222, in cornicen. pg. 318 sq.
[5] = aqua impleta.

XVII.

In Porthmea[1].

Ditis regna patris complevit manibus olim,
Cum sedit Mosis Porthmeus in cathedra[2].
Nunc medicus centum luce una funera condit,
Ut, quos immisit in styga, mole premat.

XVIII.[3]

Uxori est studium medicina, pioque marito
Ars est defunctis aedificare domos.
Illa homines uno centenos mactat in anno,
Singula vix anno vir monumenta facit.
Ergo ne iaceant homines sine honore sepulcri,
Supremo cassi scilicet officio,
Aedifica, o vir, plus, minus aut tua saeviat uxor,
Aut uno centum conde vir in tumulo[4].

XIX.

In medicos[5].

Aegrum curatis, medici. Nisi iuverit illum,
Qui rex est hominum, cura quid ista valet?
Post vestras operas repetitaque verba Galeni
Ille vel hic, sequitur, conditur hoc tumulo[6].

XX.

In malos medicos[7].

Ferro obtruncarunt Syllanum in viscera adacto
Crudeles medici carnificesque manus.

---

[1] Oss. 207 = corn. 305.
[2] Professorem veteris testamenti videtur designare.
[3] Oss. 208 = corn. 306. Caret titulo.
[4] Revocat hoc epigramma in mentem quadamtenus Martial. epigr. I, 30.
[5] Oss. 301 = corn. 366.
[6] Iunge: Post . . . . . Galeni sequitur: Ille v. h. c. in tumulo.
[7] Oss. 211 sq. = corn. 308.

Nec satis: Hippocratem tentat superare medendo
Inque utero, mater quos gerit aegra, necat.
„Vita“, — quid? — Hippocrates, „brevis est“ ait? Ecce [nec ulla est!
Mendacem fecit Maevius Hippocratem.

XXV.

In praeposterum medicum[1].

Aegrotat caput, et pedibus medicina paratur.
Anne dolor capitis esse podagra potest?[2]

4.

In astrologos.

I.

In astrologos[3].

Nunc pluvias tibi, nunc facientes frigora ventos,
Nunc densasque nives nuntiat astrologus;
Nunc tristemve famem populantemve omnia pestem,
Armata cum stat mors truculenta manu;
Funera nunc regum, maioribus excitus astris,
Casura et fatis debita regna suis.
Mentiturne? Crede, quod est, si dicere tentet,
Dicturus. Dicat „mentiar“ astrologus[4].

II.

De astrologo consulto[5].

Astrologum, spesne ulla mitrae sit, consulit Ilus.
Astra negant. „Nulla est spes“, ait astrologus.

---

[1] Oss. 141 = corn. 257.
[2] Alia epigrammata in medicos scripta vide inter epitaphia pg. 400 sqq. Conf. 389, 9.
[3] Corn. 49.
[4] Ita dubitanter quidem haec coniunxi et interpunxi.
[5] Corn. 8. Conf. pg. 387 sq., 7.

V.

In astrologos [1].

Astra iubent certis nihil inceptare diebus:
Hoc mendax populo praecipit astrologus.
Astrorum contra Dominus, regnator olympi,
Vult bona nos horis omnibus incipere.
Astra hoc: astrorum Dominus iubet illud. Utri nos
Paremus [2], servis, astrologe, an Domino?

VI.

In eosdem [3].

Nil dicunt, et vos mentiri cogitis astra;
Vos non, illa levem decipiunt populum.

VII.

In astrologum quendam [4].

Humanae metam vitae praescribis ab astris,
Non intellectis sed neque veridicis;
Mentiris semper, te fallunt sidera semper:
Vita huius brevior, longior huius erat.
Vis, qua divinare queas ratione, doceri,
Ne falsus vates saepius erubeas?
Illud fac: quaecunque tibi praedicere caelum
Visum erit, hoc, quod eras dicere suetus „erit“,
„Non erit hoc“ dicas. Nunquam te tempora fallent;
Vates, te contra dicito, verus eris.
Astrologum nam qui mentiri dixerit, ille
Est verus vates verus et astrologus.

---

[1] Corn. 79 sq.
[2] Sic in ms.
[3] Ibid.
[4] Corn. 33 sq. Conf. pg. 424, 4, I.

VIII.

De Hyla[1].

Observabat Hylas qui caelum rebus agendis
Cuique Deus praeter sidera nullus erat,
Non prodire domo, non aut incidere vestes
Ille novas, non ac induere ille novas, —
Nil non consulto moliri audereve caelo,
Ut res hoc nimium posceret, ausus Hylas;
Non, credo, nec minxit Hylas, nec, credo, pepedit,
Nec, nisi suasissent astra, cacavit Hylas.
Unum inconsultis faciebat saepius astris,
His inconsultis nam futuebat Hylas.
Hinc natos sibi — nemo temnat sidera — nullos[2]
Legitimos, multos liquit at ille nothos.

IX.

Ad Linum[3].

Sollicitus quid de furto, Line, consulis astra?
Monstrabunt, frustra consulis, astra nihil.
Si nescis: furtum de quo te consulit Aulus,
Nuper cum factum est, nubilus aër erat.
Subduxere oculis astrorum nubila furem,
Nec poterant furvas astra videre manus!
Non dicent, quem non videre. Quid aspicis astra?
Fur, astra aspicias si, Line, liber erit.

X.

Ad quendam[4].

Dixerit astrologus, sua pabula dulcis aedon
Cras ubi, cras capiet[5] pabula turdus ubi.

---

[1] Corn. 87 sq.
[2] Ms. „natos et nemo contemnat sidera et nullos".
[3] Corn. 87.
[4] Corn. 71.
[5] sic ms.

At, per tot dum tu procerum vagus atria curris,
Huiusque ac huius prandia lurco petis [1],
Sis ubi pransurus cras, hoc non dixerit ullus
Astrologus, norint astra nec ipsa satis.

XI.

In astrologum agricolae filium [2].

Rastris arva pater ciet, astris filius urbes;
Turbatis terras filius atque pater.

XII.

In quendam [3].

Filius astrologus, pater auceps, notus uterque est:
Iste suis studiis notus, et ille suis.
Filius at magno superat discrimine patrem:
Scilicet hic homines, decipit ille feras.

XIII.

In astrologos [4].

Nescio quae solem facitis praedicere nobis,
Cum vultus terris occulit ille suos;
Deinde nihil rerum, quicquid praedicitis, unquam est,
Cunctaque sunt illo, quo ante fuere, loco.
Mendacem facere, astrologi, iam parcite solem;
Nam si mendacem Iuppiter esse sciat,
Deturbet toto, exosus mendacia, caelo.
Per vosne aeternas ibimus in tenebras?

---

[1] Ms. exhibet „lucro". Correxi.

[2] Exstat hoc epigramma et in calce Carminis tumultuarii adversus astrologam quendam sine loci anniquo nota typis expressi (conf. I, 251 sqq), et in utroque libro msto. et corn. (pg. 251) et oss. pg. 133). In libro typis expresso epigrammatis titulo addita sunt verba „ex tertio libro epigrammatum", quae declarant ab ipso Royzio ipsius carmina minora in libros distributa esse. Sed distributionis huius incerta tantum in libris mstis mansere vestigia.

[3] Oss. 132 = corn. 251.

[4] Corn. 58.

Cum facias tanti [illegible] Pauli [illegible]
Quanti [illegible] ingere, quam [illegible].

III.

In Decianum[1].

Magnus es [illegible] numerisque insignis et arte:
Par tibi non unquam est nec, Deciane, fuit.
Non tibi Vergilius, tibi non aequandus Homerus,
Nil tu Graeci, nil tu culte Camille, vales.
Haec de te, Deciane, putas: [illegible] vates
Non maior es musis, non Helicone minor.
Stultus es, o Deciane: mihi, [illegible] parce. Quid [illegible]?
Non fortasse putas caelis habere nihil?
Carmina componis verbis insuavis hiulcis,
Quae cantare potest nemo, cacare potest.
Vela alio vertas, te digna requirito; praestat
Non musas, agros sed, Deciane, colas.

In Palumbum[2].

IV.

Carmina quod tua sint nulli intellecta poëtae
Sensusque attingat Sarmata nemo tuos,
Nil mirum est, ales cum sis pennata, Palumbe,
Si, quam homines cernant[3], altius ipse volas.

V.

In Phoebum[4].

Ut placeant nobis, quaeris, tua carmina, Phoebe.
Vis, dicamne? minus quam tibi, Phoebe, placent.

[1] Oss. 181 sq. = corn. 250.
[2] Oss. 817 = corn. 874.
[3] Ossol.: „cernat"; corn. „cernāt".
[4] Oss. 806 = corn. 369.

Aeris egens herus interea est; tua sustinet aegre,
Quas modo congestas arca, recondit, opes.
Unde, sit hoc nobis fas ex te quaerere, dives
Es dispensator, dic mihi, pauper herus?

Ad Ianum [1].

II.

Est dispensator tibi longus corpore, sed se
Longior est, cum cui quid dare, Iane, iubes.

III.

Largus herus longusque est dispensator, ut inde
Fiat quadratum quadret et inde nihil.

IV.

Ante diem Christi natalem, haud nuper, avenae
Bis quinos modios qui dare iussus erat,
Non dedit et Christum post natum, postque sepultum;
Non etiam et postquam est excitus e tumulo.
Spiritus an sanctus caelo ut mittatur ab alto,
Exspectat? gelidos urat ut ille sinus?
Exspectat frustra ac incendia tanta moratur,
Quae summus supera mittit ab arce Pater.
Iudicat haud illum, qui iussum spernit herilem,
Igne suo dignum Spiritus ille sacer.

In Aulum, dispensatorem iniquum [2].

V.

Dixit: „ego Dominus" de se Deus, omnia fecit
Qui ex nihilo. Hos titulos noster et Aulus habet,
Ex multis qui pauca facit. Dare namque iubetur
Tot seu tot, semper dat tamen ille minus.

---

[1] Haec et illa, quae sequuntur in Aulum, ad Royzium ipsum referri videntur. Sed quemnam Iani et Auli nomine tangat, incertum. Exstant vero proxima tria carmina (II—IV) in oss. 272 = corn. 346.

[2] Oss. 272 sq. = corn. 346.

III.

In quendam[1].

Omnia promittis, nil praestas, omnia debes
Haud fallens[2], adhibet nam tibi nemo fidem.

IV.

In Petrum[3].

Quod tam multa udus, Petre, pollicearis iaccho,
Velle dare hoc non est, non, Petre: nec dare vis.
Scis te etenim immemorem post pocula mane futurum;
Pollicitus poteris sic nihil ergo dare.

V.

In Acerram[4].

Das nunquam, semper promittis, Acerra, roganti;
Si fallis semper, semper, Acerra, nega.

VI.

In Hylam[5].

Potus „habes" dicis; cum vinum efferbuit, idem
Nil das; sis potus, cum morieris, Hyla.

VII.

In Hylam[6].

Omnia promittis, nil praestas: omnia debes.
Omnia da, et dehinc nil pollicearis, Hyla.

---

[1] Oss. 209 = corn. 306 sq.

[2] In ossol. est „falles", sed litterae e superscripta directa lineola, quae interdum litteram n omissam designat.

[3] Corn. 67. Conf. Martial. XII, 12.

[4] Oss. 195 = corn. 297.

[5] Corn. 21.

[6] Corn. 19. Primus huius epigrammatis versus concinnit cum primo v. epigr. III.

IX.

De Caio [1].

Quae in fronte apparent, excusat stigmata quaedam,
„Descenduntque", ait, „haec", Caius, „ex capite".
Ascendunt, fateare, quod est, ex inguine, Cai,
Certa haud servatae signa pudicitiae.

X.

In Lentulum [2].

Occurrit quoties miles mihi, bella recordor
Et subeunt animis castra ducesque meis,
Succurruntque mihi viso procul aequora nauta
Atque laborantis naufraga vela ratis.
Causidicum vidi, fora cogito, cogito lites
Actorum et fasces, triste clientis onus.
Praesentat musto gravidas mihi vinitor uvas,
Messeque surgentes curvus arator agros.
Femina visa dolos, visus magalia pastor
Subiciunt oculis illa vel ille meis.
Praesul sacra Deum spemque omnipotentis olympi:
Obiectant speciem proxima quaeque suam.
Cum mihi tu occurris, succurrunt, Lentule, dicam,
Stupra et peiora his, Lentule, adulteria,
Incesta et quicquid male suadet foeda libido,
Quodque Venus suadet quod venerisque puer.
Lentule, parce mihi, natura vincimur. An vis
Me suibus visis non meminisse luti?

XI.

In Rubellium [3].

Prandia longa, venus longa, alea longa, Rubelli,
Longa tibi haec; virtus nulla, vel illa brevis.

---

[1] Oss. 182 = corn. 289.
[2] Corn. 7.
[3] Corn. 90.

Nam si Bacchi hostis vineta putaverat ensis
Turcicus, heu, quid tu, Caeciliane, bibes?

III.

De Prisco [1].

Quaeritis hic Priscum, hac modo quem tumulastis in urna?
Non est hic: illum regia Ditis habet.
Nam tantum ut ventrem nequit terra ista tenere,
Mole sua tractus decidit in stygiam,
Estque ibi submersus, non quivit namque natare,
Nec tenuere ullae pondera ventris aquae.
Tot tibi, Prisce, feret malus hic incommoda venter
Et mala tot, quot vix enumerare queas.
Post tot damna miser, prae vasti pondere ventris,
Prisce, resurgentes ultimus inter eris.
O ventrem, quem ferre nequit nec terra nec orcus!
Debueras corvis esca lupisque dari.

IV.

De Gellio [2].

Inter caupones, caupona fusus in ima,
Quinque cadis haustis Gellius occubuit.
Stulti! qui templis defunctum inferre paratis;
Hic tumuletur, ubi maluit ille mori.

V.

In Papilum [3].

Quanti conductus portas hunc, Papile, ventrem,
Quem gestare aegri vix potuere pedes,
Septenosque utero portare aegyptia mater
Sueta [4], gemens tantum ferre queratur onus?

---

[1] Corn. 9 sq.

[2] Corn. 68.

[3] Ibid.

[4] Fecunditas aegyptiarum feminarum, celebrata ab antiquis, recentissimis etiam temporibus comprobatur. Septenos uno utero simul gigni in Aegypto refert Plinius Nat. hist., VII, 3, 33 auctorem Trogum secutus.

Et mensae non immensae. Servire necesse est
Sic ventri et stomacho, sic licet usque gulae,
Ut bene sit nobis; naturam quisque sequatur:
Qui vivit medice, vivere vult modice.

IX.

De ebrietate[1].

Argentum faber atque aurum diiudicat igni:
Ipsa hominum mores detegit ebrietas.
Quaeque diu toto vitia occultavimus aevo,
Haec una fiunt ebrietate palam.

X.

In quendam[2] largius se ingurgitantem.

Pulcher es ingenio pulchrisque es moribus; idem
Editus es pulchris sanguine, gente, domo.
Et pulchris gaudes studiis. Haec pulchra, sepultus
Vino cum stertis, turpificata iacent.
Cernere si liceat tibi te per vina iacentem,
Haud toto vitae tempore vina bibas.

XI.

De quodam[3].

Hic iacet harpyiis[4] lurco ille voratior ullis,
Quem tulit humanum mors miserata genus:
Si duo vixisset vel tres longaevior annos,
Ut comedebat, erat certa futura fames.
Quod poterat septem satis esse Milonibus illud
Lurconis ventri non satis huius erat.
Non mare, non tellus, escarum non satis aether
Huic habuit: fuit huic nulla culina satis.

---

[1] Hoc epigramma bis legitur et in ossol. (pg. 17; 264) et in corn. (pg. 153; 342).

[2] Oss. 201 = corn. 301.

[3] Corn. 40.

[4] Ms. „Arpiis".

XVI.

*** In Tabullum [1].**

Fercula post centum post haustaque pocula mille
Omnia sub cenae fine, Tabulle, vomis.
Mensa dedit, mensae reddis. Reprendere factum
Quisquam ausit? reddis cuique, Tabulle, suum.

XVII.

In Petrum [2].

Convivis saturis quid centum fercula ponis,
Petre? Hoc est oculos pascere, non stomachum.

XVIII.

In vino veritas [3].

Vina parant animis oblivia, dicere siccus
Haud possit, fecit quae temulentus heri.
Seu convivarum, seu laeserit hospitis aures,
Seu quid in absentes fuderat udus homo,
Unum se excusat: vinum peccasse fatetur,
In plantas culpam torquet, Iacche, tuas.
Credere parce; tulit quae in pectore sobrius alto,
Trudunt, mentiri nescia, vina foras.

XIX.

In Bibilargum [4].

Abstineas Baccho, docto, Bibilargo, magistro,
Debilitare pedes, infatuare caput.

---

[1] Corn. 59. Titulus desideratur in msto. carmenque hoc proximo cohaeret.
[2] Oss. 131 = corn. 249.
[3] Oss. 275 = corn. 348.
[4] Oss. 299 = corn. 365.

11.

* De iniquitate in reddendo iure.

I.

De iudice [1].

Actori iudex aurem male praebet utramque,
  Auris servari debuit una reo.
Idem non odium placidumve sequatur amorem,
  Monstrata discat legibus ire via.

II.

De locupletum litibus [2].

Cur nullum inveniunt locupletum iurgia finem?
  Divitiae hoc faciunt; hae nisi, finis erat.

III.

De foro [3].

Millae una causae miserum properantur in hora,
  Finem aevo causae vix locupletis habent.
Difficilesne illae [4] promptaeque hae? Non. Habet iste;
  Illi non possunt pascere causidicos.

IV.

Ad quendam [5].

Te male difficili vicinus lite fatigat:
  Adde senatori munera; victor eris.

---

[1] Oss. 280 = corn. 351.
[2] Corn. 67.
[3] Corn. 66.
[4] ms. Difficiles ne illae.
[5] Oss. 280 = corn. 352.

Tulle, tace, totus te, Tulle, ut mundus adoret;
Si fias mutus, nil tibi, Tulle, deest.

II.

De Cassellio praeside picto [1].

Haec cuius tabula est Cassellii, ille, ubi celso
In solio sedet, est pictus ut in tabula.
Quid facit in solio residens Cassellius alto?
Hoc facit in solio, quod facit in tabula.

III.

Ad Dindimum [2].

Ne videare loqui vulgari, Dindime, more,
Dixisti a me abiens: „candida nox tibi sit".
Obscuram sed ego et nigrantem, Dindime, malim,
Nam dormire mihi non vigilare placet.
Invitat nigra nox somnos, sed candida solvit,
Haud oculos somnum carpere passa graves.
Ista viatori, fugitivis ista precare,
Ignaro liquit limina si quis hero.
Erroni tales optabis, Dindime, noctes,
In nervo stultus quem male credit herus, —
Non nobis lassis et iam dormire paratis:
Est dormituris nox nigra grata magis.
Si tales noctes caris optabis amicis,
Sis in noctem hostis, Dindime, malo mihi.
Cum dormire iuvat, cum nec vigilare nec ire:
Candida nox tibi sit, Dindime, nigra mihi.

IV.

In Plancum [3].

Doctos, Plance, viros vitas vitasque disertos;
Stat cum vulgo aevum degere, Plance, tuum.

---

[1] Corn. 15.
[2] Corn. 36 sq.
[3] Corn. 19.

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]

* In homines novos arrogantesque.

I.

In quendam [illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

IV.

In quendam [1].

Cui Iudaeus avus, furcam pater actus in altam,
Hic patrem monstret, hic mihi monstret avum!
Quin, nisi desipiat, nisi cura recessit honoris,
Hic patrem sileat, huic sileatur avus?

14.

* In ambitiosos superbosque.

I.

De corrupto more [2].

Auctorem si quis colit omnipotentis olympi,
Hoc illum facto Christus Iesus amat.
Qui Christum colit, est Patri carissimus unus,
Et fit Spiritui carus uterque sacro.
Hoc proceres erga si quis facit: huius amicus
Qui fit, hic alterius protinus hostis erit.

In Macrinum [3].

II.

Omnibus esse tuum studium, Macrine, placere,
Hoc, Macrine, mihi dicere saepe soles.
Omnia facturum [4], sive hoc sive illud oportet,
Facturum nil non, omnibus ut placeas.
Efficere hoc si vis, hoc si praestare, Macrine,
Quos tu cunque novos fors meditere modos,
Disce: — brevis ratio est, te per compendia ducam, —
Omnibus ut placeas, tu tibi displiceas.

---

[1] Oss. 191 = corn. 295.
[2] Corn. 67.
[3] Oss. 316 = corn. 368.
[4] scil. te.

Nactus es hoc. Gaude, multis impune, Rubelli,
Irasci nulla quod ratione potes.

15.

* In luxuriosum.

In Hylam[1].

Multos pascis, Hyla, convivarisque frequenter,
In stabulisque tibi plurimus hinnit equus.
In picturatos multum consumis amictus,
Et quae Ser fusis vellera raptat aquis[2].
Luxuriosus emis tota scortilla crumena,
Quam vacuam exhausto saepius aere refers.
Pone modum luxu; tibi non Pactolus arenam
Volvit, Hyla, servit nec tibi ripa Tagi.
Quantum est[3] in censu, videas, nec plura profunde,
Res est paupertas, heu, metuenda nimis.

16.

* In nebulones.

I.

In quendam[4].

Grammaticus rhetorque fui, dialecticus idem,
Iureque consultus: quattuor haec docui.
Prima cibum dedit ars, potum dedit altera, vestem
Tertia; ius populo fecerat egregium.

---

[1] Oss. 207 = corn. 805.
[2] Sic in mstis. Conf. Verg. Georg. II, 121.
[3] = sit.
[4] Oss. 276 = corn. 349.

Deturbaris equo et mediis laceratus in agris
Emoreris. Vires nunc, opus, ede tuas.
Nunc quid naturae possis contrarius, ede:
Te natura negat, Plance, valere: vale.

V.

In Castricum [1].

Claudus es, at tantum pede, Castrice, claudus in uno;
Tu torques, claudus ne videare, duos.
Pulchrum o consilium! Claudum te, Castrice, nobis
Bis facis, ut claudus non videare semel.

17.

* In avaros.

I.

In Decianum [2].

Poscebas, Deciane, Deos nunc aurea centum.
Assensere tibi haec et tribuere Dei.
Pauca haec visa; Deos, Deciane, ducenta petisti.
Assensere tibi haec et tribuere Dei.
His vicos, villas addi et praetoria poscis,
Haec etiam faciles et tribuere Dei.
His non contentus, Pactoli poscis harenas,
Croesi et divitias nescio cuius amas.
Pone modum votis, Deciane; sat illa tulisse
Censeris; spernas [3], quod nimis esse potest.

---

[1] Corn. 69.
[2] Corn. 39.
[3] Ms. „Esse his non vis“.



Iamque suas pendens fecit in ore vias.
Concretae ciliis[1] lacrimae densantur opertis,
Ut possis oculos vix aperire tuos.
Non apte pendens humeris sinuatur amictus,
Nec tegit instratos apta lacerna pedes.
Non tegmen capiti recte insidet: aure sinistra,
Nunc dextra pressa torquet agitque caput.
Calceus aestivo semper tibi pulvere turpis
Aut, quod ferre pedes vix potuere, luto,
Saepe putri summus tota crepat ustus[2] aluta,
Ostendat digitos ut pes uterque suos.
Interulae natibus pendet pars ima sub ipsis,
Subque locis illis it, sumus unde viri.
Ruptaque demonstrat, quae rideat obvia turba,
Et quibus avertant lumina casta nurus.
Omnia quid memorem? quid ego per singula curram?
Quid frustra calamus tantaque charta perit?
In te, Phoebe, carent more et lege omnia; nullus
Phoebe, decor tibi, sed nec tibi, Phoebe cor est.

II.

In Tullum[3].

Ungues tam longi, tam sunt tibi semper acuti,
Urso ut sis, ut sis, Tulle, timendus apro.
Non aquilae teneros laniarint unguibus haedos
Promptius aut praedas saeva leaena suas,
Quam tu praeduri tergum bovis. Optet habere
Ungues ursa tuos atque leaena tuos.
Arma vetat iustus qui ferre per oppida praetor,
Ungues adversus ius habet ille tuos.
Felicem lanio se dixerit atque beatum,
Par si esset cultris unguibus ille tuis.

[1] Ms. „aliis".
[2] scil. calceus. In msto. exstat „summa", quod corrigendum censui. Iunge: Saepe summus (calceus), putri tota aluta, ustus (= pressus) crepat (= rumpitur).
[3] Corn. 38 sq.

Pila licet dextram nulla arment hastaque nulla,
Stringant sumpta manus arma nec ulla tuae:
Unguibus horrendum cum te cano, dicere possum,
Versibus in nostris: Arma virumque cano.

III.

In Cangilianum [1].

Ut putent dentes, ut putet spiritus oris,
Putet ut os totum, Cangiliane, tibi!
Nescio, quid dicam, facie sed, credo, sub ipsa
Culum, non facere os Dii voluere tibi.

IV.

In Phoebum [2].

Una tibi est vestis, festis qua Phoebe, diebus
Uteris, est usus qua pater ante tuus;
Usus avus proavusque abavusque et nescio quis non,
Ultima, maiores, nomina, Phoebe, tui.
Consumpta est usu, dum post tot saecla nepotes
Vestit, quae priscos antea texit avos.
Trita est, attrita est, saturataque murice quondam
Cum domino vestis esurit ipsa suo.
Ne sint festa, o quam velles, quia festa lacerna
Detrita est, caelo, Phoebe, nec esse Deos.

---

[1] Oss. 226 = corn. 316.
[2] Oss. 133 sq. = corn. 252.

19.

* In pumiliones[1].

I.

In Pignulum[2].

Quid mendax hominis nomen tibi, Pignule, sumis
Atque audes vanus dicere, sis quod homo?
Uno qui totus minor es pede, cernere quem qui
Vult, opus est unum claudat ut ille oculum.
Non, homo tu non es, nec homunculus. „Ergo quid?“ inquis.
Huius dimidium, Pignule: culus eris[3].

II.

Ad Babium[4].

Omnia, quae ex atomis Epicurus facta putavit,
Quod minimum hoc inter corpora corpus erat,
Corpore novisset si te quocunque minorem,
Ex te dixisset omnia facta, Babi.

In homuntionem[5].

III.

Omnia qui ex nihilo, quisquis fuit ille Deorum,
Esse dedit, fuerat maximus ille Deus.
Maior erat, maiusque decus nomenque tulisset,
Si ex te fecisset; nam minor es nihilo.

IV.

Ex nihilo factum memorat sacra pagina mundum.
Credimus, est quamquam res ea mira nimis.

---

[1] Fortasse omnia haec epigrammata ad eundem hominem referuntur.
[2] Oss. 805 = corn. 868.
[3] Vv. 5 et 6 desideratur in cornic.
[4] Corn. 85.
[5] Epigrammata III—V exstant in oss. pg. 140, in corn. pg. 256 sq.

Historiam sequimur faciles, sed et addimus illud,
Ex te quod factum credimus esse nihil.
Corpus enim, si corpus habes, pater o atomorum,
Aspicio hoc longe quam minus esse nihil.

V.

Erigis in digitos cum te, rex pumilionum
Pygmaeusve gigas[1], esse videre mihi.
Cum stas, appares, residens vix esse videris;
Est tunc, te ut videam, lumine lyncis opus.
Sub lodice cubans demens ne te occulo, ne te
Deceptus digitis pro culice excruciem.

20.

* In spurios.

I.

In Nervam[2].

„Fert aurum, fert argentum mea patria", dicis,
„Hoc mea fert, aut hoc patria", semper ais.
Mentiris: non est tibi patria, matria, Nerva, est:
Cui pater est nullus, patria an esse potest?
Cui mater, cui non pater est, huic patria nulla est;
Legitimis patria est, matria, Nerva, nothis.
Hinc natale solum tibi matria, Nerva, vocetur,
Atque nothus verbis utere, Nerva, nothis.
Nunc ergo doctus, quis verbis, Nerva, loquaris,
Dic, tua quid tandem matria, Nerva, ferat.

[1] Forma nominativi (pygmaeus) vocativi notione hoc loco usus esse videtur Royzius.
[2] Oss. 205 = corn. 304.

II.

In spurium gloriosum[1].

„Unus ego facio satis", inquis, „pluribus". Illud
Matris habes: fecit pluribus illa satis.

III.

De spurio claudicante[2].

Inclinare genu qui me videt omnibus, ille
Claudum me aut laeso iudicat esse pede.
Decipitur: patrem vulgo quaesitus honoro,
Omnibus hinc, dum qui est nescio, flecto genu.

IV.

In eundem[3].

Incivilis eras, nullum dignatus honore,
Rustice; nunc flectis[4] unicuique genu.

V.

In Veterinum[5].

Conditor atque pater romanae Romulus urbis
Altus lacte ferae creditur esse lupae.
Et tua lacte lupae, Veterine, infantia crevit;
Hac re te nil plus conditor urbis habet.
Illo at tu plus hoc, nam quae ubera praebuit illi,
Illa tibi nutrix et tibi mater erat[6].

[1] Corn. 68.
[2] Corn. 48.
[3] Corn. 48.
[4] Ms. „more flectes". Correxi.
[5] Oss. 254 = corn. 335.
[6] Matrem enim Veterini scortum (= lupam) esse notat R.

VI.

De uxore[1].

Nil uxore bona melius; sed quae mala contra est,
 Illam tormentum dixeris esse viri.

22.

* De mulieribus.

I.

In Naeviam[2].

Ne tuus hic nostros discat hic[3], Naevia, mores,
 Credo times, ne illi, Naevia, displiceas.
Namque meos fuerit mores quicunque secutus,
 Et quicunque, mihi quod placet, illud amat,
Huic tua garrulitas minus, huic tua vita placebit
 Prava nihil, nihil huic, Naevia, quicquid agis.
Non bene discinctus remis mare verrit arator,
 Non bene saxosos navita versat agros,
Non bene sacra Deum miles trux tractat ad aras,
 Non bene turifera sumpta stat hasta manu.
Sic[4] nec femineo tractari publica sensu
 Convenit, et quis sint illa regenda modis.
Ista decent poscuntque viros et mascula corda,
 Hectora res haec, non postulat Andromachen.
Praeter acus calathosque et nexae vellera lanae
 Pertinet ad te nil, Naevia, quicquid agis.
Parce! meos liceat mores hic et ille sequatur,
 Sectetur mores, Naevia, nemo tuos.

---

[1] Oss. 224 et 275 = corn. 315 et 348.
[2] Corn. 64 sq.
[3] Primum „hic" videtur referri ad personam, alterum ad locum.
[4] Ms. „si".

Ex costa fabricata viri cui femina dicta est,
Eruta sopito quae fuit una viro:
Tantum quod loquitur, tantum quod femina garrit,
Dixissem: ex lingua femina facta viri est.

VIII.

De mulierum loquacitate [1].

Ut muliebre loquax genus est, ut femina tundit
Aures, si inceptat non tacitura, virum,
Muta cicadarum in genere est quod femina, vates
Graius [2] felices iudicat inde mares.

IX.

Ad Maeviam [3].

Quod decet, illud ama, plenis fuge, Maevia, velis
Dedecus et sanctae damna pudicitiae.
Hoc sibi proposuit Lucretia casta sequendum,
Hoc Helena prae se non tulit argolica.
Illius idcirco laus nullo intercidet aevo,
Perpetuum terris dedecus huius erit.
Illius haud oberunt saeclorum oblivia famae,
Non Helenes sordes abluet oceanus.

X.

Ad Pollam [4].

Defuncto Petro noctes fles, Polla, diesque
Et tua continuis fletibus ora madent.
Miramur lacrimas causamque requirimus omnes,
Quid tantum Petri funera, Polla, fleas,
Quantum non fratrum, quantum non, Polla, sororum,
Flesse olim fama est, non quoque, Polla, patris;

---

[1] Oss. 275 = corn. 348.

[2] Xenarchus in fragmento comoediae Hypnos apud Athenaeum XIII, pg. 589 a, et Eustathium comm. ad Odysseam pg. 1423, 28. Conf. Aeliani Hist. an. I, 20; Meineke, Fragmenta comic. graec. III, pg. 625.

[3] Oss. 186 = corn. 291 sq.

[4] Corn. 30.

23.

*VARIA.

I.

Ad lectorem[1].

Nemo leget, dicis, lasciva haec carmina, lector?
Nemo leget[2] Hosius, sed scio quis leget haec.
Quis leget haec quaeris?[3] leget haec..., sed dicere nolo,
Eius ne stringam forte rubore genas.
Sed leget haec unus, forsan leget alter, et ille
Clam leget haec, quamvis non legat ille palam.

II.

In pincernam, aquae potorem[4].

Ad calices qui stat, madidi cui cura lyaei est,
Dat dum vina aliis et sibi sumit[5] aquam,
Fallere vult, mihi crede; dolus, non scilicet illa est
Sobrietas: vino sic parat insidias.

III.

In Papilum[6].

Miror, hebes cum sis, vinum cur mittis acutum:
Da, quod habes vino, quodque habet illud, habe.
Sic sapies, sapiet nobis quoque, Papile, vinum; —
Ast opus, ut sapias, amphora multa, puto, est.

---

[1] Corn. 90.

[2] In msto. post „leget" exstat: „haec".

[3] Persium Sat. I, 2 imitatur. Ceterum hoc epigramma nisi alterius libro praemittendum scripsit Royzius, testari videtur ab ipso quaedam carmina lasciva scripta deperiisse.

[4] Oss. 304 = corn. 367.

[5] Cornic.: „sumat".

[6] Corn. 21 cum titulo: „In pincernam". Sed titulus hic non a Royzio praescriptus esse videtur, quandoquidem carmine non pincerna sed Papilus quidam notatur.

Si tua nec caelum nec tartara vita meretur,
Dic mihi, quo tandem mortuus, ibis, Hyla?

IX.

Ad Catullum[1].

Laetaris tibi quod dedit, Catulle,
Fortuna imperium atque opes beatas,
Sublimi in solio procul sedere,
Submoto populo rudique plebe.
Tristandum potius, Catulle, tibi est.
Post hanc namque tuam beatitatem,
Post trux imperium atque opes superbas
Verum nec semel audies in anno.

X.

In Attalum[2].

Te lignum potare[3] malus volat, Attale, rumor,
Illoque infandam fonte levare sitim.
Par immissa fames si forte sit, Attale, lignum
Qui potas, idem mandere saxa potes.
Nescio quid meias post talia pocula; ferrum
Post tales epulas, Attale, credo, cacas.

XI.

In Phoebum[4].

Alveolos disponis apum prope, Phoebe, latrinam:
Ex merdis an apes vis tibi mella legant?
Alveolos transfer; quae mellificare laborant,
Vis ni stultus apes merdificare tuas.

---

[1] Corn. 70.
[2] Oss. 196 = corn. 298.
[3] Conf. pg. 104, XI et XII eiusdemque paginae adnot. 4.
[4] Oss. 165 = corn. 277 = Petrop. II f. 31.

XII.[1]

Verus amor vero tibi, Petre, petendus amore est,
Nam pretium est veri verus amoris amor.

XIII.

Vis, ut ameris, amor tibi conciliandus amore est,
Solius pretium est solus amoris amor.

XIV.

In Ponticum[2].

Quod sapiunt alii, sapias non, Pontice, contra:
Contra omnes sapere est, Pontice, desipere.

XV.

In Franciscum[3].

Historicos metuis, metuis, Francisce, poëtas.
Vis hos, quos metuis, temnere? Vive bene.

XVI.

In Caecilianum[4].

Lenis ut in vivos, in cassos lumine trux est:
Ni sit homo, vultur Caecilianus erat.

XVII.

In bilinguem[5].

Pectore quod versas, hoc os, hoc lingua loquatur;
Crede, bonis aliter non licet esse viris.

---

[1] Haec duo disticha (XII et XIII) in corn. bis, pg. 261 posteriore manu adscripta et pg. 226, leguntur. Eadem semel in ossol. pg. 105.
[2] Corn. 68.
[3] Corn. 66.
[4] Oss. 95 = corn. 218.
[5] Oss. 110 = corn. 230.

XVIII.

In effigiem hominis multos oculos auresque habentis [1].

Qui tot et intentis oculis os addidit unum,
Ille videre iubet plurima, pauca loqui;
Quique tot arrectis os addidit auribus unum,
Idem audire iubet plurima, pauca loqui.
Ergo multa vide, multa audi, paucaque fare,
In terris nomen qui sapientis amas.

XIX.

In furem sacrilegum [2].

Surreptis pedibus, quibus undae stabat ahenum
Sacratae, se fur proripuit pedibus.
Mox pedibus cum surreptis in vincula captus
Et nervum pedibus cogitur ire suis.
Nec longum; in poenam pinu suspensus ab alta,
Pulsat pro pedibus aëra nunc pedibus.

XX.

In virtutem et fortunam [3].

Fortunae est, non est virtutis, munus habere;
Fortunae hinc instar instabiles et opes.
At virtus est quam fortuna valentior omnis;
Inde bonis merces, inde petatur honor.

XXI. [4]

Haereticis carnes das manducare [5] ferinas,
Cum Christus Deus est excitus a tumulo.
Des pisces praestat ieiuni tempore; pestis
Illa hominum carne est nam saturata satis.

---

[1] Oss. 119 = corn. 238 sq.
[2] Oss. 128 = corn. 246 sq.
[3] Oss. 165 = corn. 277.
[4] Corn. 411 (sine titulo).
[5] In msto. desideratur hoc verbum; supplevi ex coniectura.



XXVII.

Non temere credendum[1].

Non adhibere fidem cuiquam sine teste memento,
Fallentique semel credere crede nefas.

XXVIII.

De artibus[2].

Artes omnis[3] alit tellus, occasus et ortus,
Et medio flagrans quae calet ora die,
Nec spernit doctas rigidus[4] septemtrio musas:
Quo se cunque ferat, semper egebit, iners.

XXIX.

Vivat bene, qui non vult male audire[5].

Peccato abstineat, bene vult qui audire; negatum est[6]
Quippe mala in vita nomen habere bonum.

XXX.

Iustae opes quae[7].

Insidias quae non metuunt et munera vitae
Suppeditant, iustas has Plato dixit opes[8].

XXXI.[9]

Proferet in medium mendacia credita tempus;
Nam veri invetrix est, mihi crede, dies.

---

[1] Ibid.

[2] Oss. 315 = corn. 373. In ossol. desideratur titulus.

[3] Ossol. „omnes"; correxi.

[4] Msti. „rigida".

[5] Oss. 218 = corn. 312.

[6] Cornic. omittit „est".

[7] Oss. 301 = corn. 365.

[8] Conf. Platonis Legum II, 661 a et b, Convivii cap. XXIX, Ciceronis Tusc. disp. V, 12, 34.

[9] Oss. 194 = corn. 297 (sine titulo).



Namque domi si se condat, quo scilicet illum
Non auditurum nostra querela petat?

XXXIX.

De iusta et de temeraria ira[1].

„Tunc non irasci, cum res expostulat iram,
Est id“, Aristoteles, „insipientis“, ait.
„Irasci contra, cum res non postulat iram,
Est id“, Aristoteles, „insipientis“, ait[2].

XL.[3]

Dic, quotus est, res cui semper fluxere secundae,
Iustitiae pulchrum qui quoque nomen amet?

XLI.

Pauca loquendum[4].

Multa audire decet prudentem et pauca profari,
Os qui unum ac aures se scit habere duas.

XLII.

A m i c u s[5].

Non aurum vel opes, studio quaerantur amici;
Divitiis melior, credite, amicitia est.

XLIII.

De fure quodam[6].

Furatus funem fur est, et fune pependit;
Sic finis vitae non sine fune fuit.

---

versus exstant in corn. etiam 206 sine titulo posteriore manu adscripta, desiderantur tamen in ossol. idoneo loco, id est pg. 83.

[1] Oss. 174 = corn. 283.

[2] Aristotel. Eth. Nikom. IV, 11. Conf. Ritter et Preller, Historia philos. gr. et rom. ex fontium locis contexta. Gothae 1857. § 346.

[3] Oss. 303 = corn. 367 (s. t.).

[4] Corn. 129.

[5] Ibid.

[6] Oss. 255 = corn. 336.

L.[1]

Unde fides abiit, nescit post illa reverti;
Fallenti ergo semel credere crede nefas.

LI.

Ad mutuum petentem[2].

Mutua pauca petis: donabo plura; sed idem
Ab Iove si poscar, mutua nulla dabo.
Nam cum solvendum est, quas prima iugaverat aetas,
Mutuus abrumpit nummus amicitias.

LII.

In blandiloquos[3].

Ridentem blande semper blandeque loquentem:
Hunc, ut avis laqueos, ut fera rete, cave.

LIII.

De usu opum[4].

Stultus opes dominas misere sibi fecit; easdem,
Qui sapit, imperio subicit ille suo.

LIV.

De munerum contemptu[5].

Augusti est animi contemnere munera; contra
Angusti est animi, munera quisquis amat.
Dicere fas; hoc sed quis persuadebit, habendi
Nil sat habens nostra ut pectora pressit amor?

---

[1] Oss. 23 = corn. 157. Conf. XXVII, v. 2.
[2] Oss. 310 = corn. 371.
[3] Oss. 180 = corn. 288.
[4] Oss. 23 = corn. 157.
[5] Oss. 24 = corn. 158.

Esse suis olim
Stemma du
Nescis consili
Decidit in
Stringe! Qui
Ecquid, q

Iura potes
Et dur
Exilio h
Extre
Cive or
Esse
In res
At
Omni
Ir

---

[1] I
„In Sacri

O

]

a I
ex
sol
th
t
j



LXIII.

Ad aegrum [1].

Principio medearis: habet mora damna, diuque
Quaesitus morbus semina mortis habet.

LXIV.

Ad Petrum [2].

Dicam vis, ut, Petre, velim te vivere? dicam:
Ut vixisse, olim cum moriere, velis.

LXV.

Cuiusdam dictum [3].

Sanguine prognata illustri prece flexa puella,
Auro urbana, loco [4] rustica facta mea est.
Prima, preces pretium veneris quae sustinet esse,
Illa Iovi est similis, qui prece flexus adest.
Ultima, quod facilis, non est culpanda puella,
Credenda aut nobis inde pudica minus.
Laudanda est potius, quaeque accersatur in urbem
Digna, locum prudens quae facit esse loco.
Quae exhaurit [5] loculos, media, haec est exsul ad Indos,
Quae vendit, quod non emerat ipsa prius.

LXVI.

De facilitate [6].

Criminibus facilem qui praebet credulus aurem,
Expertes culpae mille habet ille reos.

LXVII.

In ludos equestres [7].

Hasta traicitur crus illi, huic tibia fracta est,
Dextra alium mutila mittit arena domum.

---

[1] Corn. 69.
[2] Corn. 85.
[3] Oss 208 = corn. 303.
[4] = occasione, nisi fortasse ipsas partes pudendas hac voce designare voluit R. Conf. v. 8.
[5] Corn.: „exaurit".
[6] Corn. 69.
[7] Oss. 276 = corn. 348 sq.

Ludus equestris hic est. Recte appellatur equestris,
Non homo cui sed dat bellua nomen equus.

LXVIII.

De nummo[1].

Omnia nummus emit. Tellus tibi pareat, optas,
Et Iovis et Ditis regia? Nummus emet.

LXIX.

De obsequio castrensi[2].

Iussa ducis nisi miles habet velut edita caelo,
Adnuit et nisi quae dux, ea miles obit,
Nil bellum in bello est; victoria quaeritur hosti,
Cumque probro certum est inde redire domum.
Linque igitur dux castra, vir aut hoc effice, discat
Esse tuo miles semper in arbitrio.
Lingua tua est, qua praecipias: hac utere. Miles
Debet habere aures, debet habere manus.

LXX.

De regibus non violandis[3].

Sunt oculi multi, multae sunt regibus aures,
Et reges multas constat habere manus.
Nil facere in reges, nil dicere convenit ergo,
Cui dulcis vita est, cui sua cara salus,
Ne, regis qui oculos auresque offenderit audax,
Discat flens multas regibus esse manus.

LXXI.

In Sentinum[4].

Nupsisti nuper; nunc es, Sentine, maritus:
Femina qui[5] fueras, unde repente vir es?

---

[1] Oss. 262 = corn. 340.
[2] Oss. 263 = corn. 340 sq.
[3] Oss. 224 = corn. 315.
[4] Oss. 200 = corn. 301.
[5] Corn.: „quae". Lectio ossol. „qui" sententiae magis convenit.

LXXVII.

In Cassiodorum [1].

Cur reges tollunt vilem ad fastigia plebem,
Et genere illustres semideosque premunt?
Non habet abstrusas causas, est dicere promptum,
Istud: adorari, Cassiodore, volunt.

LXXVIII.

In Rubeltium [2].

Me cupio fallas, quae sunt mea vota, Rubelli.
Scis, quare? de te nil ego spero boni.

LXXIX.

In quosdam [3].

Ille patris funus magnis ululatibus effert,
Maestaque continuis fletibus ora rigat:
Tu patris extremum siccus comitaris honorem,
Ad te pertineat res velut ista nihil.
Tu minus, ille nimis fecit; peccastis uterque:
Inde ille est visus femina, non homo tu.

De indice horologii [4].

LXXX.

Quot volvente rota numeros transmittimus, istud
Totum de vita cedere, crede, tua.

LXXXI.

Cernis, paulatim ut spatiis it pulsa sagitta?
Hoc ad te mortem, crede, venire gradu.

---

[1] Corn. 84.
[2] Corn. 29.
[3] Corn. 38.
[4] Oss. 279 = corn. 351.

LXXXII.

Incisum in horologio [1].

Utendum est aevo; properantibus effluit annis:
Horas, dispensas quas bene, crede tuas.

LXXXIII.

De quattuor temporibus [2].

Claudit hiems terras, aperit ver, frugibus aestas,
Pomis autumnus replet: et annus abit.

LXXXIV.

De iisdem [3].

Maeret hiems, ridet ver, gaudia duplicat aestas
Messibus, autumnus vitibus: annus abit.

LXXXV.

Ad viatorem [4].

Ecquid sollicitus quaeris sine fine, viator.
Absit, quo tendis, quam procul hospitium?
Ne serus venias, quo mens tua destinat, acri, —
Illud fac, — calcar adde, viator, equo.

LXXXVI. [5]

Ingenio quisquis gaudes et vivis aperto,
Huc intra; qui non, protinus, hospes, abi.

LXXXVII.

Ante ostium stubae [6].

O laetus mecum laetum celebres hymenaeum,
Has quisquis nostras ingrediere fores.

---

[1] Oss. 100 = corn. 221.
[2] Oss. 100 = corn. 222.
[3] Ibid.
[4] Oss. 201 = corn. 301.
[5] Oss. 218 = corn. 312 (s. t.).
[6] Corn. 25. Haec (epigr. LXXXVII—LXXXIX) fortasse Radivili Nigri atriis tempore nuptiarum inscribenda poeta composuit.

LXXXVIII.

Intus [1].

Iam iuvenes laetas laeti celebrate choreas:
Aptius hoc nullum tempore tempus erit.

LXXXIX. [2]

Tempus erit — spectator adest — ductare choreas.

In abaco [3].

XC.

Relliquias mensae condo servoque supremae:
Me iubet hoc fungi munere parcus herus.

XCI.

Vates, qui dixit: „pereant, qui crastina curant" [4],
Ille fame pereat dispereatque siti.

XCII.

Pelicano [5].

Suo, vulnere sauciatus, ales
Pullos sanguine pascit en tenellos:
Quid nostris faciamus ergo natis,
Exemplum dat et instruit parentes.

XCIII. [6]

Demulcere aures et tristes pectore curas
Excutere est nostrae, non leve munus [7], opis.

---

[1] Corn. 25 sq.

[2] Ibid.

[3] Oss. 144 = corn. 259 (epigr. XC et XCI).

[4] Conf. Copae v. 37 „pereat, qui crastina curet!"

[5] Corn. 26. Haec simulacro pelicani fortasse in hortis posito inscribenda erant.

[6] Corn. 410 (s. t.). Hoc epigramma inscribendum fuit organo cuidam ad canendi usum apto.

[7] mss. „numen".

XCVIII.

AENIGMA.

[Fornax[1] vel fornacis calor][2].

Gentibus optatus media inter frigora nascor;
Ore parens[3] patulo me concipit edit et alvo
Centum uteris distincta, alvusque illaesa superstat.
Non fert longa novem mater fastidia menses[4].
Angustis horae spatiis conceptus in auras
Prodeo sublimis, consurgensque undique pello
Vitae hostem; succedo loco reddoque salutem
Omnibus optatam et tenui solatia plebi.
Me populi patresque colunt, regesque superbi,
Plebs tenuis mihi se et natos debere fatetur.
Vita brevis; septem vivo longaevus in horas;
Est totum vixisse diem longissima vita.

C.

Cucumer[5].

Elixis addi est cucumis conquestus: „Edamur
Qui super assa, cibus nos“, ait, „ille sumus“.
Parce queri cucumis; si nunc non iungeris assis
In disco, in stomacho postmodo iunctus eris.

Pastor amat caulas, trux vult fera proelia miles,
Haereticus nostros depopulatur agros.

[1] Titulus hic vix a Royzio praescriptus esse videtur, aenigma enim non spectat ad fornacem sed ad fornacis calorem.

[2] Corn. 61 sq.

[3] ms. „patons“.

[4] Vergili Buccol. IV extr. in memoriam revocat.

[5] Oss. 105 = corn. 226 et 129, ubi praescriptus est titulus: „Cucumer“, primis enim duobus locis desideratur.

VI.[1]

e rpaucis hominum bona mens data munere
Saepe malis largas Dii tribuistis opes,
Fas quibus atque nefas miscent, mediocrib
Ut possit quicquam dicere nemo suum.
Hanc ergo diram iustorum perdite pestem,
Aut, quas donastis, Dii, repetatis opes.

VII.[2]

Murem Asclepiades sub tecto ut vidit avar
„Quid facis, ah, nostrae“, dixit, „amice,
„Parce metu“, contra mus ridens blandius
„Non hinc tollo cibum, tollo sed hospiti

VIII.

Divitis est tibi gaza, geris sed pectus egen
Heredi locuples, pauper es ipse tibi[4].

IX.

Quattuor hoc tumulo fratres conduntur; eo
Una dedit terris et tulit una dies[5].

X.[6]

Donatus dominum fratrem te scribet amicu
Si nihil accipiet, nil nisi frater eris;
Est etenim domini verbum venale. Sed ips
Do minus: hinc dominus nulli ego dictu

---

[1] Similia Theognidis (Ziegler[2]) vv. 149 sq.; 153
635 sq.; 865 sq.

[2] Carm. VII—IX. Oss. 13 = corn. 150.

[3] Est Lucilli (Anthol. graeca ed. Iacobs) III, pg. 50.
sum novo acumine auxit Royzius, in graeco enim est: οὐ
σοὶ χρῄζομεν, ἀλλὰ μονῆς.

[4] Liberius videtur reddidisse graecam Anthol. (Iacob

[5] Originem graecam atque vim huius epigrammatis

[6] Epigramma X et XI exstat in oss. pg. 12, in corn.
versioni poetae praemittuntur in mstis. haec:

Laeserit arbitriis, ingentibus acta querelis
Se sistit Iovis ante pedes, mortaliaque acris
Consilia et fraudes dictis incusat acerbis,
Facta orans regum populus luat improba, regum,
Omne nefas qui mente agitant pro iureque reddunt.

XIII.

* Ex Hesiodo [1].

Optimus ille vir est, qui scit se cuncta magistro,
Praeceptis olim non inferiora secutus;
Nec malus ille vir est, audit qui recta monentem;
Qui non ipse sapit clauditque docentibus aures,
Ille vir invisus vivit nec idoneus orbi est.

XIV.


* Ex Homero [2].

Triste genus leti miseris mortalibus omne est;
Tristius esurie exstingui atque occumbere leto.

---

[1] Decis. Lit. IV, 138. Conf. Hesiodi Ἔργα καὶ ἡμέραι vv. 293—297.

[2] Decis. Lit. III, 263. Est locus in Odyss. l. XII v. 341 sq. Ceterum Royzii hanc esse versionem tantummodo suspicatus sum, ipse enim diserte non fatetur.





Parte, pagina (carmine), versu:	pro:	legendum est:
II, 419, adn. 2	315	305
II, 437, adn. 5	308	306
II, 446, III, 1	Millao	Mille
II, 452, adn. 3	316	306
II, 453, adn. 1	316	306
II, 459, III, 4	volucre	voluere
II, 475, adn. 6	274	247
II, 475, adn. 7	Oss. 163 = corn. 276	Oss. 103 = corn. 224.
II, 480, adn. 1, 1	(pg. 203)	(pg. 213 = corn. 309).

